




Hiſtori
Horten
ſium Aut
Antonio
Mizaldo
1577









vale.

HISTORIA HORTENSIVM QVATVOR OPVSCVLIS METHODICIS CONTEXTA, QVORVM PRIMVM, HORTORVM CVRAM, ORNATVM

& secreta quamplurima ostendit. Secundum, Insitionum artes proponit. Tertium, Auxiliares & medicas Hortensium vtilitates percurrit. Quartum, Iucunda et benefica medicandorum Hortensium olerum, radicum, fructuum, vuarum, vinorum et carnium artificia explicat.

OMNIA AMOENAE VOLVPTATIS ET *inenarrabilis vtilitatis abundè plena: rerum variarum accessione nunc primum aucta & illustrata.*

AVCTORE ANTONIO MIZALDO MONLVCIENSI, MEDICO.

Accesserunt & alia quæ decimasexta indicat pagina.

CVM MONITIS DISCITE IVSTI.

COLONIAE AGRIPPINAE,
Apud Ioannem Gymnicum sub Monocerote, Anno M. D. LXXVII.

NOBILI ET ERVDITO VIRO EMONDO DE LAIGE, REGIS IN supremo Senatu Parisiensi Consiliario, & Cœnobiorum B. Mariæ de Fontenayo, necnon S. Memmij, & de Miserayo Abbati, ANTON. MIZALDVS Monluciensis, S. P. D.

PLVTARCHVS *scriptor grauis, atque omni iudicio* πολυΐςως *elegans, tradit, Clarissime Senator, idemqúe Abbas erudite, negociatorē quendā Chi[illegible] vinum multum, primæq; bonitatis vendidisse: sibiqúe acidum & in vappam deprauatum selegisse, ac in vsum quotidianum reseruasse. Cuius seruus, qui ab eo fortè recesserat, interrogatus, qua impulsus causa dominum reliquisset: Quia (respondit) cùm in manibus bona quamplurima & præstantissima haberet, mala tamen & deteriora quæq; bonis præferebat. Serui huius apophthegmate planè philosophico excitatus, ceu quodam classico, circumspectè prouidendum mihi duxi, ne simili nota inurerer, similiue infamia notarer qua sordidus iste negociator* οἰνοπώλης. *Quod ne hîc mihi contingeret, mala scilicet, & malos, bonis: indoctos doctis, & ignobiles nobilibus præferendo: precium operæ facturum me putaui, si posthabita ignobilium & populariũm fece (ceu vino quodam in*

vappam deprauato, &, vt loquitur Plautus, edentulo & infuſcato) te vnum de multis, Vir ornatiß. ſeligerem in propugnatorem, patronum et ſuſceptorē Hortenſis huius hiſtoriæ noſtræ. Quæ ſicuti in tuo nomine foras prodit, & variè aucta ac locupletata, incredibilem, mira cum iucunditate & delectatione, fructum quibuſuis pollicetur, ita anxiè à te petit & poſtulat, vt tibi nuncupatam iſtam voluntatem, aut, ſi mauis, voluntariam & propenſam nuncupationem hanc boni conſulas. Quam vt audentius, ne dicam ardentiùs, aggrederer, tibiq́ue adſcriberem, ad id incendij frigidam, vt aiunt, non mediocriter ſuffudit, rarus ille animi tui candor, & non vulgaris modeſtia, qua literarij nominis profeſſores omnes libenter excipis, libentiùs audis, & libentiſsimè iuuas. Accedit ad hæc, natale ſolum, & patria: quæ, vt vtriq; noſtrûm communis eſt, ita mutuum amorem conciliet oportet. Nec temerè, mea quidem ſententia, habetur enim hæc velut parens et mater altera: ob idq; indigenas omnes, & αὐτόχθονας, ceu fratres, neſcio qua inuicem dulcedine vincit, & immemores non ſinit eſſe ſui. Quod latētis neſcio quid energiæ illa habeat, à Luciano vtcunq; adumbratū his verbis, τῆς πατρίδος καπνὸς λαμπρότερος ὀφθήσεται τοῦ παρ᾽ ἄλλοις πυρός. *id eſt, Patriæ fumus luculentior videtur aliorum igni. Hinc ſanè frequens fuit multis admiratio, & iuſta aduerſum me obiurgatio, quòd te tantum Senatorem, tamq; illuſtrem virum, & celebre Borboniorum noſtrorum ornamentum, lucubrationum mearum inautoratione & fructu non dignarer, ac parum conſultè tacitum relinquerem, meritoq; honore priuarem. In quo, re vera, culpam meam libenter agnoſco &*

accu-

accuso: tantum abest vt auertere aut prætexere, vel in rem quampiam illam conuertere satagam: nisi quòd verebar laudes tuas, vt cum Horatio loquar, culpa deterere ingenij. Vt vt fuerit, quicquid anteà impruděter omissum et commissum fuit, in posterũ, si diuina fauerint numina, multo cum fœnore resarcietur. Plura dicere constitueram, nisi voluntatem eam & propositum mihi inuidisset Heliodorus, tradens, longæ orationi comitem plerunque esse vanitatem & fastidium. Fœliciter itaque valebis, Senator inculpatißime, idemquǘe Abbas vigilantissime: Quem & mihi, & patriæ, doctisquǘe omnibus, incolumem seruare dignetur ille sine quo est omnis medicina venenum. Lutetiæ,

Idibus Augusti, 1574.

LECTORI PHILOKEPO,

HOC EST, HORTORVM ET Hortensium studioso.

NVNC demum expertus, verissimum esse fateor, Lector amice, quod Euripides scripsit in Tragœdia cui titulus Hippolitus coronatus βροτοῖς αἱ δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι: mortalibus posteriores cogitationes prudẽtiores melioresq́; esse solent. Quod hîc dictum & testatum volui, vt intelligas secundam istam editionem Hortensium Secretorum nostrorum & auxiliorum, emendatiorẽ & auctiorem, rerumq; plurimarũ iucunda varietate conditarum locupletiorem tibi prodire, quã quę ante annos aliquot ex nobis nata foras abijt, & communi omnium vtilitati exposita fuit. Nosti Horatianum illud,

Multa ferunt anni venientes commoda secum.

Et Quintiliani aliud: Multa limat ætas, deterit vsus plurima, & longè plura cõcoquunt anni. Cũ itaq; Typographus mihi opportunè significauisset, distracta vbiq; locorum esse Exemplaria omnia prioris editionis horũ Librorum, proindeq; ad secundam editionẽ se, operasq́; suas typographicas accingere, petere, & rogare, nunquid haberem quod in illis vel emendandum, vel illustrandum, aut locupletandum, addendúmue cuperem, maturè id peragerem. Hac significatione, ceu pulsato clasſico inuitatus, illico ad charta-

ceas

ceas machinulas meas cõuolaui, ſchedulas & literarios codicillos omnes (in quibus legẽdo, audiendo, & lucubrando, egregium aliquid quotidie adnotare conſueui) nulla mora excuſsi, omniumq́ maximè Commentariolos noſtros Centonum ruſticarum rerum diligenter volui ac reuolui. In quibus multa cùm iucunda, tum vtilia, & iuuandæ humanæ vitæ ſanequàm idonea reperi, quæ in tuum vſum in his libris pluribus locis remiſcui & interſeui. Id quod facilè tu ipſe agnoſces, ſi vtranq́ editionem inter legendũ conferre volet. Agedum itaque, cariſsime Lector, οἷον φασὶν οἱ παίζοντες, ἀμεινόνων ἐξ ἀρχῆς δευτέρων ἐπαναπολήσωμεν, vt eſt apud Platonem. id eſt, quemadmodum ludentes dicere conſueuerunt, ſecundis denuo melioribus repetamus, & ſingula expendamus. Fruere ſalubriter & iucundè hiſce laboribus noſtris, tuiſq́ apud Deum precibus conatus noſtros, dum meliora tibi meditamur, iuuare perge.

Heſperidum ingentes quorſum miraberis Hortos,
Cùm tot opes vnus Hortulus iſte ferat?

SVMMARIVM EORVM QVAE IN SINGVLIS CAPITIBVS HORVM librorum explicantur. Prior numerus folium: posterior caput designabit.

LIBRO I. HAEC INSVNT.

Auxilia

LIBRO II. HAEC SVMMATIM explicantur.

Hortensia olera.

Radices eſculentæ.

Herbacei fructus eſculenti.

Flores & plantæ hortorum odoratæ, & contrà.

Vetto-

LIBRO III. HAEC TRACTANTVR ET EXPLICANTUR.

Arbo-

PLANTARVM ET ARBORVM QVAE IN HOC OPERE CONTINENtur, Catalogus serie alphabetica.

Poma

Qui plureis plantas & arbores requiret, consulat Alexikepum, seu medicum Hortum nostrum.

OPVSCVLVM DE HORTENSIVM Arborum Insitione, hæc habet.

OPV-

OPVSCVLVM DENDRANATO-MES, SEV SECTIONIS ARBO-rum in ſua membra, ſumma-tim hæc proponit.

COM-

COMMENTARIOLVS DE HOMINIS SYMMETRIA HAEC HABET.

FINIS.

Accesserunt ad Hortensium Historiam,

ANTONII MIZALDI MONLVCIENSIS, MEDICI, DE HORTORVM CVLTV, cura, auxilijs & secretis,

LIBER PRIMVS.

Hortorum institutio, & priscus vsus.

CAPVT I.

EPICVRVS ille ocij, vt tradit Plinius, magister, primus hortos instituisse fertur Athenis: nam antea moris non fuerat, in oppidis rura habitare. Sanè apud Priscos Romuli nepotes, hortus nihil aliud fuit, quàm pauperis agellus, & rustici qualiscunque prouentus, victum innocentissimum & frugalissimum porrigens, & mensam sine arte facilem, ac ne longius eundem esset, ilico instructã, leuíque apparatu lautissimam exhibẽs. Qui tum maximè placebat, quod igni non egeret, sumptibúsque macelli parceret, ac merces cùm herbaceas, tum arboreas, oppidatim venales quouis tẽpore præberet: re semper expedita & ad extemporaneum alimentum præsentissima. Quod Virgilius in Moreto, doctè & eleganter (vt omnia)

Epicurus primus hortorum institutor.

Prisca hortorum commoditas, & vsus.

expressisse mihi videtur, de Simulo exigui horti cultore rustico, & laboris patientissimo, hunc in modum scribens:

Priscorum hortorum descriptio pulcherrima.

Non illi suspensa focum carnaria iuxta,
Durati sale terga suis, truncique, vacabant:
Hortus erat iunctus casulæ: quem vimina pauca,
Et calamo redimita leui, munibat arundo:
Exiguus spatio, varijs sed fertilis herbis:
Non illi deêrat, quod pauperis exigit vsus:
Interdum locuples à paupere multa petebat.
Nec sumptus erat illud opus, sed regula curæ,
Si quando vacuum casulâ, pluuiæ ve tenebant,
Festáve lux: si fortè labor cessabat aratri,
Horti opus illud erat, &c.

Deinde subdit,

Horti priscorum prouétus erant populi.

Verùm hic non domini (quis enim contractior illo?)
Sed populi prouentus erat: notisque diebus
Venaleis olorum fasceis portabat in vrbem:
Inde domum ceruice leuis, grauis ære redibat,
Vix vnquam vrbani comitatus merce macelli.
Cæpa rubens, sectique famem domat area porri:
Quæq; trahunt acri vultus nasturtia morsu.

Quomodo ex agris in oppida venerint horti.

Hactenus Maro de prisco & rustico vsu hortorum: qui in oppidis antè habitare non nouerât, quàm gulæ delitiæ, & ventris prodigia, Epicuro duce, ex agris eò, vt diximus, commigrare illos impulissent. Nam vsqueadeò paulatim illecebrosa inualuit voluptas, vt absque vlla Orphei lyra, vlla Amphionis testudine, arbores, fructus, olera, flores, & rustica alia solatia, (vt Prolegomena in Medicum Hortum nostrum abundè testantur) intra muros, etiam à remotissimis agris, mon-

montibus & syluis deduxerit, feceritque vt nequam in domo censeretur materfamilias, cui indiligens, & neglectus esset hortus. Verumenimuerò recisa longæ narrationis præfatione, tempestiuum est vt instituti nostri fores aperiamus, & hortorum structuram, cultum, auxilia ac secreta fœliciter aggrediamur, & cuique dilucidè ac breuiter explicemus.

Parasceue ad seriam hortorum narrationē.

Quæ vtilitas expectanda ab hortis. Ad hæc quis vsus, finis ac scopus esse debeat culturæ illorum. CAP. II.

ILle vtilissimum, ac iucundissimum hortum est habiturus, qui & colere sciet, & poterit, ac volet. Neque enim scire, aut velle cuiquam satis fuerit, sine sumptibus quos exigunt opera: nec rursus faciendi, aut impendendi voluntas profuerit, absque arte & scientia. Quia caput est in omni negocio, nouisse quid agendum sit: quemadmodum ex Varroniano Tremellio appositè tradit Columella. Qui hæc tria ad manum habuerit, & hortum seriò sibi cōstruere voluerit, duo illi rursus spectanda erunt: vtilitas nimirum, & voluptas: vtilitas fructum habet comitem: voluptas verò delectationem, &, vt scribit Varro, iucunditatem. Erit itaque hortus construendus & colendus imprimis ad vsum vitę necessarium. deinde ad sanitatem, ac vireis, cùm corporis, tum animi, à morbis reficiendas, vt adnotauit Palladius, & sæculis aliquot ante eum Florentinus, scholæ Græcorum geoponicorum doctor eximius: postremò ad delectationem ex aspectu, & iucunditatem ex odoris fragrantia: omniúmque

Qualē exigat dominū & colonum hortus non vulgaris.

Vtilitas & voluptas hortos bene cultos comitantur.

Quis finis ac scopus culturæ hortensium.

que maximè, vt & domino & colono dapibus mensas exornet inemptis. Quæ omnia, & multò plura, Virgilius longè post Varronem, & sæculis aliquot ante Columellam & Palladium, in suo hortulo elegantissimè hoc Iambico significauit:

Hortus salubreis præbet corpori cibos:
Varióque cultus sæpè cultori refert,
Olus suaue, multiplex herbæ genus:
Vuas niteneis, atque fœtus arborum.
Non desit hortis & voluptas maxima,
Multisque commixta modis iucunditas.
Flores nitescunt discolore gramine,
Pingúntque terras gemmeis honoribus:
Opaca præbent arbores vmbracula,
Prohibéntque densis feruidum Solem comis:
Aues canoros garrulæ fundunt sonos,
Et semper aures cantibus mulcent suis.
Oblectat hortus, auocat, pascit, tenet:
Animóque mœsto demit languores graueis.
Membris vigorem reddit, visus capit:
Refert labori pleniorem gratiam:
Tribuit colenti multiforme gaudium.

Horti cultissimi laudes, fructus & vsus.

Mira & inexplicabilis horti commoditas.

Hæc sunt quæ docta & melliflua Maronis musa de fructu, vsu & laudibus horti cecinit. Qui vnus si fieri potest, in propinquo esse debet, vt dictorum commodorum particeps fiat dominus, & frequenter ad illum veniat, seque frequētiùs venturum denunciet: nō enim temerè dici solet, frōtem domini plus prodesse, quàm occipitium. Nam sub hoc metu & olitorem & operas omneis in officio continebit. Vt interim non omittam, quòd eius vestigium hortum, vt postea dicemus, sum-

Cur horti propinqui esse debeát.

summè impinguabit, ac multò lætiorem fœcundiorémque reddet.

Modus & secretum ædificandæ viuæ sepis ac validæ, quæ futura sit horti tutissimum & perenne munimentum. CAP. III.

QVoniam extremæ dementiæ censetur esse, hortum habere ad vnguem excultum, probè consitum, & curiosè institutum, sed qui dies ac noctes pateat tam incursibus quàm iniurijs deprædantium hominum, & deuastantium quadrupedum atque alitum: idcirco de illius munitione & sepimento omnium primùm hîc scribā. Quibus copia suppetit, hortos parietibus cingũt ac vestiunt. Alias macerias luto & lapide circa illos erigunt. Plerique tenuis fortunæ homines paleato vtuntur fimo & limo: aut saxa in ordinem congesta illis coagmentant. Sunt qui fossis & aggeribus circumdent: quod summè vitandum est, nam horti humores ita subducuntur, nisi fortè locus palustris fuerit. Rustica turba & plebeia, in syluis recisa spineta, vimineta & arundineta pro munimento illis adaptat. Quod Virgilium adnotauisse paulò antè docebamus his verbis:

Hortus erat iunctus casulæ, quem vimina pauca,
Et calamo redimita leui munibat arundo.

Verumenimuerò sepes ad hũc modum instituta, fatigabili labore quotannis ferè est reparāda: appositísque adminiculis subinde religanda, & instauranda. Quæ si firmis, viuísque radicibus nitetur, colonum magno tædio, impensa, & sudore

Hortũ debere diligẽter claudi & muniri.

Variæ hortorum munitiones & sepimenta.

Virgilius in Moreto.

Viuæ sepis ac validæ facultas & cõmoditas.

Erigẽdæ viuæ sepis ratio ex Democrito.

Pro paliuro quo careremus albispini semina poteris supponere.

leuaret. Nã præterquàm quòd labi aut euerti nesciret, nisi radicitus effodiatur, etiam ne fulmine quidem nec aquis, nec ferro, nec vẽtis aut procellis (vti iam dicta munimẽta) imò verò ne igni, qui cũcta solet edomare, aboleri quiret. Huius rationem & structuram Democritus in suis Georgicis gręcis, longè ante Columellam & Palladium, facilè & ingeniosè ostendit. Opportuno tẽpore (inquit) colligito rubi vastissimi, quem caninum vocant, necnõ paliuri semina maturissima: ad hęc oxyacanthę fructus, & cum erui farina & alterius leguminis ex aqua, ad mellis crassamentũ omnia macerato: iisq; miscelaneis puteales vel nauticos funes, aut alios vetustate detritos, ac iam ferè putrescentes oblinito, & ita inducito, vt intra illorũ fibras & capillamẽta, recepta semina seruari possint vsque ad verni tẽporis initia. Quo aduentante & blandiẽte, vbi sepes futura erit, duos sulcos à se duobus, tribúsue pedibus separatos, sesquipedali altitudine institue: & prædictos funes cũ impressis seminibus leui terra ibi adobrue, &, si opus fuerit, identidem irriga. Ita fiet vt intra mensem, plus minus, tenella sepes surgat ac procedat. Quæ adminiculis adiuuanda erit: quibus inter se per vacua sulcorũ spatia, enata coniungẽtur spineta, futura horti vel agri validissimũ munimentum, & aduersus externas iniurias tutissimũ propugnaculum. Columella virgeã & ligneã sepem spatio, quod sulcis interiacet, erigẽdam pręcipit: quam superscendant vtriusq; sulci sentes, & habeant, priusquam roborentur, in quo sese recipiãt, & conquiescant. Alij, vt Diophanes inter Græcos geoponicos celebris, & cum illo plerique alij, viuam sepem hunc in modum erigunt. Virgas rubi crassio-

Ingeniosum muniendi horti secretum.

crassiores in segmenta & particulas proscindunt, eásque scrobibus palmari altitudine apertis sedulò obruunt, ac quotidie donec germen erumpat, & frondere conspiciantur, fossione ac rigatione, si tempus inuitet, nutriunt ac refocillant: & ita sepem validam, tutam ac perennem construunt & ædificant.

Viuæ sepis ædificandæ alia ratio.

De hortorum situ, aqua, & terra. CAP. IIII.

Horti ab area, stabulis & fœnario, longè siti esse debent, si quidem id fieri potest. Nam palearum puluerem, ceu inimicum, ægrè patiuntur ac sustinent: imò verò ne paleas ipsas, quòd olera lædant: quemadmodum scripsit Florentinus Græcus, in suis georgicæ doctrinæ præceptis & institutionibus. Nam hærendo folia perforant, quæ perforata statim aduruntur. Prosunt tamen radicibus, perinde atque stercus, sed ramulis & folijs nocentissimæ iudicantur: adhæc arborum fœtibus qui lignosi non sunt, omniúmque maximè vitibus, & inter lignosos amygdalis: vt alibi scribemus. Horti positio optima & laudabilis erit, si leniter inclinata planities cursum fluentis aquæ per discreta spatia exceperit. In quam rem si defuerit fons, eius loco aut imprimendus erit puteus, aut, si id nequeas, cisterna, vt vocát, superiori parte cõstruetur: vt illinc aquas conferẽte pluuia, hortus per æstiuos ardores excipiat. Quòd si his omnibus facultatibus carueris, hortũ tribus vel q̃tuor pedibus altiùs fodies, ad similitudinem pastini, vt loquitur Palladius: nam ita cultus siccitates negliget. In quo id quoq;

Paleę & earum puluis sunt hortis inimicissimæ.

Horti quænam positio optima & laudabilis.

Secretũ pro hortis siticulosis.

obſeruabis, vt quem humoris natura non adiuuat, per partes diuidas: & hyeme ad Meridiem, æſtate verò ad Septentrionem ſpatia colenda conuertas. Iam quòd ad hortenſem terram attinet, ſalſa, cane peius & angue vitari debet, perinde atque amara, ſi Virgilium audire velis.

Salſa terra & amara vitanda.

Salſa etenim tellus (inq̄t) & quæ perhibetur amara,
Frugibus infœlix: ea nec manſueſcit arando,
Nec Baccho genus, aut pomis ſua nomina ſeruat:
Multáque degenerant ſuccos oblita priores.

Quænã terra ſit hortis optima.

Optima itaque hortis ea cenſetur eſſe terra, quæ neque æſtate valdè reſiccatur, neque argilloſa eſt, neque arenoſa & aſpera, neque hiatibus per æſtus obnoxia, vt ſcripſit Didymus in ſuis agriculturæ Commentarijs græcis. Nam quæ æſtate reſiccari ſolet, ſata omnia & implantata perdit, aut eadem tenuia & imbecilla parit: argilloſa nimiùm eſt tenax: arenoſa & aſpera, contrà: idcirco neque nutrire, neque aquam admittere ſolet. Terram itaque hortis accommodam deprehendes, ſi aqua lotam ac diſſolutam limum multum habere videbis. In quo ſi ſuperauerit aquoſitas, ineptã ac infœcundam iudicato. Si manu ac digitis contrectando valde glutinoſam aut tenacem repereris, ac ſi eſſet cera, prorſus inutilem cẽſeto. Oportebit autem ante omnia elapidatum eſſe horti ſolum, vt Plinio placet, adhæc quãminimè rimoſum: ne Sol penetrans, plantarum radices exurat. Eligetur itaque optimum ac generoſum ſolũ cui ſemina cõmittas: vel ob id quòd nutricem, quàm matrem, ſæpenumerò conueniat partui indulgentiorem eſſe. Cæterùm, illud nec diſſimilãdum duxi, nec prætereundum, ꝙ hortenſis terra quæ flumini-

Terræ hortenſis probatio.

Quænã terra laudabilis & generoſa dici debeat.

fluminibus, aut perpetuis aquis circundatur, nõ ſemper eſt laudabilis: nam ſata & plantata quædam, aqua facilè ſeneſcunt, fructuſq; (ſiue herbacei fuerint illi, ſiue arborei) inſipidos ac humidulos plerunque gignunt. Erit itaque terra illa temperatæ vbertatis, & culturæ facilis, quæ nec madida eſt valde, nec ſitiens: ad hæc, quàm recenter effoſſam alites quærunt, & maximè corui, foſſoris veſtigia comitantes. Si improba fuerit, quidam emendari dixerũt, ſi ſuper tenuem, pinguis inijciatur, aut gracili aridulæ ve, humida ac præpinguis miſceatur. Sed hæc operæ extrema eſt dementia. Quid enim poteſt ſperare qui talem colit terram? Iuuabitur itaque optimo ſtercore: de quo nobis nunc demum dicendum.

De hortenſium ſtercore, & ſtercoratione.

CAP. V.

NON defuerunt apud priſcos qui ſtercorationem hortorum ædibus plerunque vicinorum penitus damnauerint, quòd ea nõ modò aërem inficiat, ſed etiam hortenſia quæuis inſuauiora et corruptibilia reddat. Et hac in re maximè laudant Heſiodum, qui in ruſtico opere ſciens omiſerit agrorum ſtercorationem, & hinc ſalubritati locorum potiùs conſuluerit, quàm fertilitati agrorum: ſat ſuperq; eſſe arbitratus, ex lupinorum, fabarũ, piſorum, cicerum, & aliorum folijs, caulibus & ſiliquis tempeſtiuè ſubuerſis agrum pingueſcere, non verò putri ac peſtilenti materia imbui: quæ in ſata quibus quotidie veſcimur, plerunque tranſire ſolet noxa irreparabili. Huius opinionem quia nec veteres, nec

Stercoratio à nonnullis priſcorum damnata.

Antiqua agrorum ſtercoratio.

recentiores agricolæ sequuntur, aptam stercorationem vbique commendantes, idcirco de illius natura & vsu hîc pauca scribere constitui: omnimúmque primùm monere, quòd proba terra multo stercore non indiget: arida & tenuis copiosissimo: arida tantùm (inquit Maro) ne saturare fimo pingui pudeat sola. Quæ verò media est, mediocri lætatur. Addo, quòd sicuti stercus bonũ, terram bonam, meliorem, lætiorémque reddit, (vnde Latinis lætamen dictum) & malam ac vitiosam summè iuuat ac emẽdat: ita prauum modo cõtrario deteriorem facit. Præterea, terra nõ stercorata alget: plurimùm verò stercorata, aduritur. Vnde satius est id sæpè facere, vt tradit Columella, quàm supra modum. Oportet autem plantantem hortulanum, stercus ad radices statim non inijcere, sed primùm tenuem terram illis immittere, deinde stercus, quod rursus terra tegendum erit. Ita enim neque comburentur plantæ, neque stercoraria caliditas ilicò exhalabit. Quod ad præstantiam fimorũ & stercorum attinet, Græcorum geoponici, quibus subscribunt Latinorum plerique, columbinum præstare aiunt, quòd sit multa caliditate præditum, ex quo rarius proijciendum cẽsent, & veluti semen spargendum, vt terram possit fermentare, & nõ aceruatim ponendum, vt solet pecorum stercus, quemadmodum scribit M. Varro. Est etiam volucrum laudatissimum ob acrimoniam, præterquàm palustrium & natantium propter superfluam & excrementitiam humiditatem. Quanquam & hoc postremum alijs remistum vtile esse potest, vt ex Quintiliorum Græcis georgicis testatus est idem Varro. Secunda laus asinino debetur,

Stercorandę terrę modus.

Quomodo inijciendum stercus.

Stercorum præstantia. Columbinum.

Volucrum.

Asininum.

betur, quòd natura fertilissimũ sit, ac minimũ herbarum procreet, omnibúsque plantis summoperè prosit, & olera suauissima ac dulcissima reddat. Tertio loco habetur caprinũ, acerrimum existés: quod ouillum sequitur, pinguius tamen: post hoc verò bubulũ: deinde suillum illis multò præstantius, nisi ob multam caliditatem sata perureret, illísque olidum nescio quid conciliaret. Vilissimum omnium & deterrimũ, ex Græcorũ sententia, est equorũ & mulorum, si solùm per se inijciatur: acrioribus tamẽ vtiliter remiscetur. Verumenimuerò illud præ omnibus & olitoribus & colonis summè est obseruandum, ne annuo stercore, si fieri potest, vtantur: nam præterquàm quòd nullius est vtilitatis, bestiolas etiã quamplurimas gignit: triennale valde bonum existimatur: longiori enim tempore quicquid habuit fœtidi ac mali vaporauit: & si quid durum inerat, remolliuit ætas. Vtut fuerit, stercus omnium optimis herbis ac oleribus censetur esse cinis tenuissimus, natura calidus. Nam pulices hortenses, vermes, erucas, limaces, ac animalcula alia stirpes depopulantia, occidit, vel abigit. Prædictorum tamen inopia, in vsum venire poterunt reliqua, ligonibus sæpenumerò transmutata & confusa. Sed hîc te nolim ignorare aquosum hortum maiorem stercoris copiam desiderare, siccum verò minorem. Quòd si nullum stercoris genus suppeteret, sabulosis locis certam inijcere optimũ erit: cretosis verò ac nimium densis, sabulum. Atque ita hortensia non solùm læta excitabuntur, sed etiam pulcherrima euadent, quemadmodum adnotauit Columella Romanorum hortorum cultor diligentiss. & doctissimus.

Caprinum. Ouillum. Bubulum. Suillum.

Equinum.

Recens stercus hortis inutile.

Oleribus stercus optimum cinis tenuissimus.

Quid agendum in stercoris penuria.

Quænam obſeruanda in ſtercorando horto.

mus. Sit hoc Plinij poſtremum: Quocunque tempore hortum vel agrum ſtercorare libuerit, valdè curandum eſt, vt ab occaſu æquinoctiali ſpiret ventus, ſitq; Luna decreſcens ac ſicca. Nam obſeruatione tali mirũ in modum augetur vbertas: ſicuti poſt Græcos, adnotauerunt Latinæ ruſticationis doctores.

De hortenſium ſatione, & ſeminibus.
CAP. VI.

Horto multùm conferre iter commodum.

ANtequam de hortenſium ſatione aliquid ſcribam, iuuat præmonere, multùm conferre horto iter olitori ſerenti, vel plantanti, aut quiduis aliud facienti, opportunum, & præſentiæ domini accommodum. Qui libẽtiùs eò commeabit, & acta aut agenda obſeruabit, ſi non reformidet vexationem, eritq; veſtigium illius ſtercoris loco, quemadmodum ſcripſit M. Cato, rerum agri priſcus interpres & ad vnguem factus. His poſitis ad rem venio. Non ſum neſcius quoſdam præcepiſſe, hortum vel agrum non eſſe diſſeminandum, niſi cùm terra pluuijs permaduerit. Quæ ſi tempeſtiuè & opportunè deſcendant, non improbo. Si, quod nonnunquam euenit, tardè labantur, quantumuis ſitienti horto vel agro ſemen committi poterit, ex Columellæ ſententia. Quæ res in quibuſdam prouincijs, vbi cœli ſtatus talis eſt, vſurpari ſolet. Nam quod ſicco ſolo ingeſtum eſt, perinde ac ſi eſſet domi repoſitum, non corrumpitur. Atque vbi venit imber multorum dierum ſementis vno die ſurgit. Verum enim verò ab auibus et formicis interim periclitatur: niſi ante ſationem ei ſuccurratur illis

Quando ſeminandus hortus.

auxi-

auxilijs, quæ proximo capite exponemus. Vt vt fuerit, dabitur opera vt hortus vel ager qui verè conseri debet, sub finem autumni ante gelicidia pastinetur. Et qui autumno oleribus aut herbis vestiendus erit æstatis initio conuertatur: vt hybernis frigoribus, vel æstiuis Solibus (de magnis hortis loquor) gleba soluatur: ex Maronis præcepto hunc in modum scribentis,

Hortensis philosophia pulcherrima.

-glebasq; iacenteis
Puluerulenta coquat maturis Solibus æstas.

Ad hæc, vt prauarum herbarum radices necentur. Cúmque sationis appetet tempus, quod vnicuiq; regioni suum est ac proprium, runcandus erit ac prorsum exherbādus hortus: dein quo dictum est modo, stercorandus. His peractis in areas digeretur: quæ ita informandæ erunt, autore Columella, vt runcantiū manus ad dimidiam latitudinis partem facilè peruenire possint: ne dum herbas inutiles illæ persequuntur, semina pedibus interim proculcet olitor. Verùm summè adnitendum erit, vt sationi serenitas, & temporis clementia succedat. Nam fauente cœlo, tepentibus locis & à Sole illustratis, citissimè prorumpūt ac pullulant semina: quibus ætas etiam nōnihil conferre solet. Quapropter videndū erit, vt scribit M. Varro, ne vetusta, exucta, mista, rugosa, emaciata, lāguida, aut adulterina, vel abortiua fuerint semina: quin potiùs vegeta, plena, recentia ac succulenta. Quæ dum proijcientur, vel serentur, boreales dies ac valde frigidi vitabuntur. Nam in his, terram veluti horridulā & occlusam, semina ægrè recipere ac fouere manifestū est: diebus serenis ac temperatè calidis, contrà. Quod Virgilium georgicæ disciplinæ docto-

Quænam agenda ante sationem hortensium.

Tēporis clementia sationi opportuna.

Frigidis temporibus, nec arandū, neq; ferendum.

rem eximium ſic præcepiſſe audies:

Nec tibi tam prudens quiſquam perſuadeat autor,
Tellurem Borea rigidam ſpirante mouere:
Rura gelu tum claudit hyems: nec ſemina iacta
Concretam patitur radicem affigere terræ.

Satorum defenſio.

Si verò timor fuerit ne frigoribus, pruinis, ardoribúſque perurantur, offendantúrue, paleis cōtegi poterunt: quibus tranſuerſæ virgæ imponentur, & virgis arundines aut ſarmenta, ne à ventis rapiātur, vel ab auibus deprædētur, ex Columellæ præcepto. Sunt apud Græcos rerum agri ſcriptores, qui ſementem augeſcente Luna, à quarta ſcilicet vſque ad plenam, facere conſulant, dum illa ſub terra eſt. Alij ſecuriorem viam excogitantes, ſationem præcocem non probant: quare in duo & tria, & quatuor tempora illam partiuntur: futuri temporis incertitudinem hoc modo vitare ſatagantes: & ruſticanum Columellæ adagium in memoriam reuocantes, Serere ne dubites. adhæc Virgilij illud,

Satio quandoque partienda.

Et dubitant homines ſerere, atq; impendere curam.

quod vnum ad cerealiū ſationem potius detorquerem, quàm hortenſium. Oportebit itaque eum qui ſeriam ſationem & plantationem inſtituit, videre vt proba ſint ſemina, terra apta, ſtercus bonum, & aqua prompta. Nam ſemina, quæ inde generabuntur ſimilia efficient: terra apta, ſibi credita optimè ſeruabit ac fœcundabit: ſtercus ſucculentiorem reddet terram, adhæc laxiorem, vt aquam facilius admittere poſsit, quæ radicibus impertiatur: aqua verò, quaſi ex vbere omnia alet ac fouebit.

Superiorum compēdium breue.

Auxilia & ſecreta pro hortenſibus ſeminibus, tam ante ſationem quàm poſt: ne ab aliqua cùm interna, tum externa afficiantur iniuria.

CAP. VII.

FRuſtra ſudabit hortenſis colonus, & quiuis alius, ſi ſata à beſtiolis lædantur, vel ab alitibus depopulentur, aut alia quauis iniuria afficiantur, ſiue intus illa contingat, ſiue foris fiat. Quod vt vitare poſsit, opportunè ad ſequentia auxilia & ſecreta animum conuertet. Si ſemina terræ mandãda ſucco ſemperuiui paulò ante ſationem madefacta fuerint, ab auibus, formicis, agreſtibus muribus, & alijs hortorum prædonibus, non ſolùm illæſa ſeruabuntur, ſed quæ inde naſcentur, etiam præſtantiora euadent, de Africani experimento, vt in Græcis rerum agri Commentarijs adnotatum, & à Latinis agriculturæ autoribus repetitũ obſeruaui. Quod veriſsimum eſſe tametſi docuit experientia, tamen quia herbæ huius larga vbiq; non poteſt eſſe copia, eius loco fuligine quæ ſupra focos inhæret, ſatis omnibus incolumitatem tueri etiam licebit, ſi collecta pridie quàm ſatio fiat, ſeminibus remiſceatur: vel aqua macerationis eius ſemina ipſa conſpergantur, vt tota nocte ſuccum trahant, & ebibant, quemadmodum ſcripſit Columella. Eadem à malis omnibus & hortenſibus incommodis tuta ſeruari tradunt Græci geoponici, & poſt illos Plinius & Palladius, ſi equæ, aut aſinæ caluaria, ſed nõ virginis, intra hortum ponatur: vel in eius medio, affixa palo erigatur. Nam quæcunque ſpectabit, ſua præſentia fœcundabit & illæſa cuſtodiet. Addit Plinius eſſe allium in aruis, alum nuncupatum, quod aduerſus improbitatem

Secreta pulcherrima pro ſeruandis in terra ſeminibus abſq; vlla noxa.

Vt ſata ſeruentur incolumia.

Auxilium aduerſus mõſtra hortenſia.

Secretum ne ſemina ab alitibus depopulẽtur.

tatem alitum ſemina eruentium ac depopulantium, coctũ (ne poſsit renaſci) vtiliter obijcitur: Hoc quæ deuorauere aues, ſtupentes manu capiuntur. Africanus ad eam rem modicum frumentum vel hordeum vino incoctum, aut infuſum, veratro admiſcet, ac foris per areatrũ horti ambitum diſſeminat, ſata quæuis ab auium iniuria hoc modo vindicans. Sed eas mortuas, vel inebriatas, arundini ex pedibus ſuſpendi iubet.

Res mira de cancrorum decocto.

Nec omittit cancrorum fluuiatilium decoctum, quo ſi ſemina conſperſeris, ab alitibus (res mira) nunquam aggredientur: imò verò quæ ex his naſcentur, durabunt ſalua & immunia ab omnibus beſtiolarum iniurijs. Sunt qui planta ſola decocti huius aſpergine, fœlici ſucceſſu, tantùm perfundant. Quæ res mihi & amicis plus millies fuit probata, ſed certa lunari periodo. Nonnulli contuſa cypariſsi folia, ſeminibus remiſcent, & ſubactæ ac ſtercoratæ terræ committunt, & ita ab omni corroſione inde naſcentia liberant. Alij cerui, aut elephantis cornu ſiccum & conciſum, vel deraſum, aut elimatum, ſeminibus intermiſcent: vel aqua madefactionis illorum ſpargenda ſemina imbuunt. Virgilius nitro aqua diluto eadem irroranda, vel amurca tingenda conſulit.

Vt ſemina ab omni corroſione liberentur.

Seminũ medicamenta ex Virgil.

Semina (inquit) vidi equidem multos medicare ſerentes,
Et nitro prius, ac nigra perfundere amurca,
Grandior vt fœtus ſiliquis fallacibus eſſet:
Vt quanuis igni exiguo properata maderent.

Græcus Apuleius illa vino conſpergit, atque ita minùs ægrotatura exiſtimat. Quæ etiam iuuabuntur aqua & amurca reſperſa. Sunt Græcæ agricul-

griculturæ doctores aliquot, à Columella, Plinio & Palladio ꝓbati & laudati, qui cucumeris sylueſtris radices totã diem & noctem aqua macerant, eamq́ꝫ ſeminibus, repetita aſpergine, ſuffundunt: & poſtridie, pallio velata ſemina illa, terræ committunt: hinc arbitrantes meliora euaſura, & à malis omnibus certò eripienda. Idem Apuleius lentem modicam dum ſeruntur, illis remiſcendã cenſet: nam aduerſus ventorũ moleſtias natura reſiſtit. Vult prætereà pro ſatorũ incolumitate, ante paſtinationem & foſsionem ranam Rubetam, Græcis Phrynon dictam, noctu circa hortum vel agrum deferri: poſteà in fictili vaſe incluſam, medio horto, velaruo adobrui: et appetente ſationis tempore effodi, ac procul abijci: ne ibi naſcentia, amara & inſuauia euadant. Sed pulchrum erit huc proferre elegantiſsimos Columellæ verſus, quibus medicamenta ſeminibus ſanè quàm appoſitè præſcribit.

Græcorum & Latinorũ agricolarũ ſecretum ꝓ ſeminibus pulcherrimum.

Rubetæ ranæ ſecretum magnum.

Profuit interdum (ait) medicantem ſemina, pingui
Palladia ſine fruge ſalis, conſpergere amurca:
Innatá ve laris nigra ſatiare fauilla:
Profuit & plantis latices infundere amaros
Marrubij, multoq́ꝫ ſedi contingere ſucco.

Columellæ medicamenta pro ſeminibus tuendis.

Aegyptiorum Græcorumq́ꝫ agricolarum ſchola tradit, ſemina incorroſa & à beſtiolis illæſa permanere, quæ Luna ſemiplena terræ mandata fuerint. Hîc penè prætermieram phyſicum pro ſeminibus & plantis Democriti experimentum, à Neapolitano Palladio diligenter adnotatũ. Paguros (inquit) ſeu marinos cancros, vel fluuiales, non pauciores quàm decē, in vas aliquod aqua plenum miſſos, tegito: & ſub dio exponito, vt

Democriti phyſicum experimentum ne a iumentis aut

diebus decem insolentur: postea semina quæ voles in terra illæsa permanere, aqua illa ad dies octo perfundito: ídque octonis diebus peractis, vt vult Palladius, repetito, donec quæ optaueris solidè adolescant: experimentũ miraberis. Nam ex seminibus illis quæcunque nascentur, non solum à se iumenta & pecora arcebunt, sed etiam bestiolas quasuis. De quibus paulò pòst scribemus, & sparsim de alijs seminum auxilijs, vt se proferet occasio, dicemus.

Pecore lædãtur sata.

De hortensium sarritione, runcatione, & rigatione: cum prognostico fertilitatis, vel sterilitatis cuiusque sementis.

CAP. VIII.

PEracta ritè semente, sarritionis sequens debet esse cura, de qua inter autores agriculturæ non admodum conuenit. Nam quidam negant eam quicquam proficere, quòd hortensium radices sarculo detegantur, & plerunque succidantur: atque si frigora incesserint, gelu prorsus enecentur. Ex quo satius esse putant runcatione & expurgatione tempestiuè vti. Pluribus tamen sarriri placet: sed neque eodem modo, neque ijsdem temporibus: pro incolarum consuetudine, soli ingenio, & cœli statu. Vtut fuerit, his locis in quibus sarritio desiderabitur, ea non antè aggredietur, quàm hortensia proprias areolas vestire occœperint, & grandiusculum incremẽtum, pro cuiusque natura ac modulo, ritè admiserint. Sarritionem sequetur runcatio: in qua diligẽter cauendum erit, ne germina, tenellós ve partus & flosculos iniurioso tactu aut transitu lædamus, vel

Controuersia inter agriculturæ autores de sarritione, & eius modo ac tempore.

De runcatione, & quid in ea obseruandum.

vel tractemus. Quare illam suscipiemus aut antè, aut vbi defloruerint plantę, vel vbi solidas radices egerint. Ad rigationem venio, quæ Solibus æstiuis, & maximè circa exortũ Caniculæ, summoperè solet prodesse ac probari: hora, inquam, matutina ac vespera, vt vult Plinius: cui subscribit ratio, nimirum ne à Sole inferuescat aqua, & radices adurat. Sed ne tum quidem nimiæ debẽt esse rigationes, quoniã inebriatis radicibus nocent. Pro quibus haurienda non est aqua putei altissimi, ne nimia frigiditate & cruditate radices percellat. Quòd si alterius præsens non adfuerit facultas, horis aliq̃t antè hauriẽda erit, & sub dio exponẽda, vt tepescat. Verumenimuerò, salsæ omnes aquæ summoperè hîc sunt fugiendæ, præterquàm in raphano, beta, ruta, & cunila: quibus salsa aqua peculiaris medicina solet esse, (vt tradit Plinius) in salsis aquis: quæ alioqui & suauitati & fertilitati conferũt: cæteris dulcium aquarum rigua prosunt. Sed vtilissimè ex his, quæ suauissimæ habẽtur. Minus vtiles esse solẽt stagnis haustæ, & quas elices inducunt, quoniam herbarum semina inuehunt: præcipuè tamen imbres plantas alunt, nam illis innascentes bestiolæ necantur. Rigationis modum stirpium ætas temperabit. Nouellæ enim plantæ minus sitiunt: & quæ assueuere, summè rigari desiderant, ídque leniter ex clepsydra, vt æqualiter bibant radices, & non immergantur: nam ita animam terræ exhalatione vanescentem retinent. Ergo non vniuersim ingurgitabuntur plantæ, sed quomodo sitient, ita stillabitur aqua, velut ex vbere alens & non inundans. Sed in re pueris & virgunculis notissima, versatũ satis. Iam quòd

Rigationis tempus, & qualis debeat esse aqua.

Rigationis opportunũ

Rigationis modus & formula.

Prognosticō fertilitatis, vel sterilitatis seminum quorumcunque.

attinet ad prognosticon fertilitatis aut sterilitatis seminis cuiusque, tam sati quàm seminandi, hac via procedes ex Zoroastris & veterum Aegyptiorum experimento. Diebus viginti aut triginta ante Caniculæ exortum (qui in hac Gallica cœli inclinatione, ferè contingit circa decimam septimam diem Iulij) in quopiam loco diligenter subacto, de vnoquoque semine legitimo & recenti, probationis gratia, diuisis spatijs ac signatis, paululum seres : & si aëris vrgebit incendium, opportunè rigabis: vt proiectū in aridam commodiùs pullulet, & ante cosmicum dicti sy deris exortū, tempestiuè se prodat. Hoc peracto sedulus obseruabis, exorto Procyone, quod ē iactis seminibus incolume, vegetum ac illæsum emerserit, & durauerit: atque illud fertile ac fo cundum euasurum prædices: reliquū verò quod non prodijt, aut vietam, languidámque & fla cidam plantulā emisit, inutile ac sterile futuru tibi suadebis. Nam certo certius est, insanum æstuans Caniculæ sydus, per illa sua canina i cendia, κυνοκάυματα Græcis nuncupata, quæda ex satis lædere, alia verò minimè. Ex quo nox vel beneficij indicium per annum futurum vn cuique sementis generi, sydus natura aridum feruens præsenti exitio vel salute nunciabit præmittet. Hortensium morbos, sterilitatem pestes alias tibi proponet cap.2.lib.3.sequentis

Mira syderis Caniculæ vis in sata.

Canicula sydus natura aridum ac feruens.

Auxilia & secreta aduersus hortenses vermes pulices, erucas, blattas & limaces, tam olera quàm arbores & fructus vitiantes ac erodentes.

CAP. IX.

Ne

NEmo est qui pasſim non videat (niſi fortaſſe talpa fuerit) hortenſeis diuitias à varijs beſtiolis et animalculis, tã ſub terra, quàm ſuprà, variè infeſtari, & eam ob rem plerunque ægrotare, atq; niſi auxiliares manus opportunè adfuerint, paulatim tabeſcendo mori. Nam tanta, támque inexpugnabili acie peſtifer ille exitialiũ beſtiolarum exercitus nonnunquam graſſatur & irrũpit, vt nullis admotis machinis, nullo igni, nullo ferro, ab hortis & agris, in quibus ſemel caſtrametatus fuerit, abigi poſsit ac diuelli. Rem itaque olitoribus & colonis gratiſsimam facturum me cogitaui, ſi aduerſus iſtam deploratam peſtem, claſsicum (quod dicunt) canerem, & alexipharmaca aliquot, partim mihi, partim amicis meis nota, et à priſcis explorata in mediũ proferrem. A verbis itaq; ad rem venio. Hortenſia à noxijs vermibus, erucis & alijs repurgari ſcribit Africanus inter Græcorum agricolas ſummus, ſi eorũ latibula, nidi & conceptacula ſuccenſis bubulis ſtercoribus, ſecundo vento, fumigentur. Plinius amurcam puram ſine ſale illis ſpargit. Et ſi plantarum radicibus, ob fimi malitiam, inhæſerint, diligentiſsimè ſarrit. A pulicibus non lædentur, ſi naturali auxilio, erucam herbam, vel rutã pluribus locis admiſcueris. Quód braſsicæ imprimis conuenire certum eſt, ſolitæ de omnibus oleribus, à pulicibus ſummè infeſtari, cum raphano, quem oſtendemus ſequenti libro, gentilem ac affinem illi eſſe. Anatolius in ſuis Georgicis præceptionibus Græcis, cenſet nõnihil erui ſementi eam in rem addendum. Quod raphanis & rapis prodeſſe, antiquo experimento conſtat. Iuuat etiam acre acetum, ſucco hyoſcyami con-

Hortenſia varijs iniurijs obnoxia eſſe.

Difficilis quandoque hortenſium beſtiolarum expugnatio.

Auxilia aduerſus hortenſes vermes.

Aduerſus hortenſes pulices remedia.

temperatum, & bestiolis illis resperſum. Adhæc aquæ aſpergillum, vt tradit Græcus Pamphilus, in qua gith, ſeu melãthium permaduerit. Verùm ſi ab alijs etiam animalculis ſemina lædi, aut vitiari noles, ante ſationẽ, ſedi aut ſemperuiui ſucco, vt priùs adnotauimus, illa imbues. Quæ etiã incorroſa ſeruabis, ſi in teſtudinis operculo ſeminaueris, quemadmodum idem ſcripſit Anatolius. Nõ omittam ex Palladio, quòd infeſta animalcula non generabunt olera, ſi in eiuſdem teſtudinis corio, ſpargenda illorum ſemina ſiccaueris: vel mentam locis pluribus, maximè inter caules, conſeueris. Quod ad erucas & campas attinet (quæ multis magnum & moleſtum negotium faceſſunt, deplorata hortorũ, & vinearum calamitate) nonnulli reſperſo ficulneo cinere illas perſequuntur. Sunt qui in hortis ſcillam, vel, vt cum vulgo loquar, ſquillam areatim ſerãt, aut hinc inde ſuſpendant. Alij fluuiatiles cãcros clauis, pluribus locis affigunt. Si verò obſtinatè reſtiterint, & pręſcriptis ingenijs cedere nolint, hãc oppones machinam. Vrinam bubulam & amurcam æqualiter miſta, igni, donec ferueant, admouebis, & vbi refrixerint, illorum imbre olera ac arbores cõſperges: quod Anatolij eſt experimentum. Plinius virgis ſanguineis quæ his ſunt obnoxia tangenda præcipit. Palladius fuſticulos, vel, vt Ruellius legit, faſciculos alliaceos ſine capitibus, per omne horti ſpatiũ comburit. Adhæc veſpertilionum ſtercora, vt nidor è fumo pluribus locis excitetur. Quæ res præſentiſsimum habet miraculum. Eaſdẽ tradit polyhiſtor ille Plinius, ab oleribus arceri, ſi cicer vnà ſeratur et illis remiſceatur: aut cancri ramis arborum à cornibus

Seminum ſecreta à ſuperioribus diuerſa.

Varia aduerſus erucas auxilia & ſecreta.

Auxilium factu & paratu facile contra erucas.

bus locis pluribus suspendantur. Nasci quoque prohibentur, imò verò præsentes collectim perdūtur, ex Græcorum obseruatione, si aliquot de vicino horto sublatas, in aqua cum anetho coxeris, eáque perfrigerata herbas aut arbores respersersis, quæ nidulantes erucas, & ad fœtum incubantes, sustinent. Sed valdè cauendum erit, ne aqua illa faciem, vel manus contingat. Porrò, remedium certum ac paratu facile erit, si circa arborum crura, & brachia, necnon herbarum ramos & caules, bitumen & sulphur incendas. Vel fungos sub nucis arbore nascenteis, fumum dare ibidem cogas: galbanúmve, aut caprarum vngulas, vel ceruinum cornu, à venti flatu auersus, cōburas. Sunt qui cinerem vitigineum per triduum in aquam mittant, qua posteà olera & arbores copiosa aspergine lustrant. Multi in ficulneo lixiuio proijcienda semina pręmacerant. De miraculo menstruatæ mulieris, & prodigiosa eam in rem historia à Græcis & Latinis rerū agri professoribus tantopere celebrata, abundè tractauimus in fine secundi libri nostrorum Naturæ Arcanorum. Cuius desiderio ne tu interim hîc tabesceres, ex Columellæ doctissimis & elegantissimis versibus quicquid id est, paucis expedire visum fuit. De perdendis itaq; & abigendis erucis ad hunc modum in suo scribit Hortulo, ex Democriti sententia:

Mira Græcorum agricolarum solertia in exterminandis erucis.

Aspergillum singulare ad abigendas erucas.

Hanc si nulla valet medicina repellere pestem,
Dardaniæ veniant artes, nudatáq; plantas
Fœmina, quæ iustis tum demum operata iuuentæ
Legibus, obscœno manat pudibunda cruore:
Et re soluta sinus, resoluto mœsta capillo,

Menstruatæ mulieris miraculum cōtra erucas.

Ter circum areolas, & septem ducitur horti.
Quæ cùm lustrauit gradiens (mirabile visu)
Non aliter quàm decussa pluit arbore nymbus,
Voluitur ad terram distorto corpore campe.

Hactenus Columella de expiandis & abigendis erucis. Quod equidem præstigiũ referre puduisset, nisi à multis expertum fuisset: scripsissetq́ doctiss. medicus Ioan. Langius illud in Noricorum terris obseruatum & approbatum fuisse. Plinius tradit non solùm hac arte erucas decedere, sed & vermiculos, scarabeósque, & noxia alia animalia. Quod à Metrodoro Sceptio in Cappadocia ob cantharidum multitudinem inuentũesse prodit. Sed cauendum, inquit, ne id oriente Sole faciant mulieres, nam ita arescceret sementis, & florida horti amœnitas pessum iret, elanguente eius nitore & sensim tabescente: vsqueadeò virosa & pestilens vligo illa, visu, nedum attactu, perniciosa esse solet: præsertim si inquinatæ fuerint. Nostrates hortensium coloni, arte admodum facili easdem sic hodie passim expugnãt. Vbi apricis locis illæ post pluuias incesserunt, matutinis horis frutices olerũ, aut ramos arborum succutere solent: sic enim dum adhuc nocturno torpent frigore, facilè decidunt, nec amplius ad superiora perreptant: præbéntque occidenti viam admodum pronam ac præsentem. Cæterùm, si cuiuscunque generis animalcula oleribus & arboribus nocentia perdere voles (quæ Democritus in suis Georgicis prasocurides, Palladius Latino aptóque vocabulo herbicidas, Ruellius verò porricidas nuncupauit) Diophanẽ Grçcum ausculta. Ventriculum veruecis (inquit) recenter macta-

Summè notanda & excutienda.

Rusticorum in expugnãdis erucis artificiũ promptum ac facile.

mactati, & suis adhuc sordibus excremētitijs pleni, diligenter tibi comparato: eúmque spatio illo, quo bestiolis scatet hortus, terra leuiter adobruito. Peracto biduo, ibi blattas & animalcula alia gregatim congesta reperies: quæ vel alio deportabis, vel eo loco altissimè defodies, ne resurgant: id cùm bis vel tertiò feceris, genus omne quod nocebat extingues, ac verè perdes. Rustici apud nos paleis intortis arborū truncos armant, & crura coronāt. Qui verò ditiores sunt, carpto bombace, lana, vel cānabinis stupis idem moliuntur: quibus, summa arborum petentes erucæ implicantur, ac veluti obiectis laqueis & compedibus, vel profligantur, vel sic à cœpta via actutum reuocantur. Quod ad limaces particulatim attinet, si vel amurcam recentem, vel ex caminis fuliginem illis resperseris, oleribus non minùs commodabis, quàm si inter illa cicer conseueris, ad hortensium multa portenta, vt superiùs scripsimus, vtile. Alia ex præcedentibus auxilia requires. Et si viridem ac floridum hortum habere voles, illius sulcos, areas, & puluinos fœno græco ex aqua trito diligenter rigabis: aut asini caluariam, non virginis, vt anteà monuimus, in medio illius eriges. Iulius Frōto tradit, olera omnia summè iuuari, si iuxta illa, eruca herba, sata plantatàue fuerit. Sed intoleranda fiet hortensi colono iniuria, si anserum stercus muria solutum, oleribus respergatur, quòd illis summè noceat: quemadmodum Democritus, Fronto & Damageron in selectis Græcę agriculturæ præceptionibus posteritatem admonuerunt.

Rustica erucarū muscipula.

Auxilia aduersus limaces.

Vt hortus fiat floridus.

Quomodo olitori fiat iniuria.

Auxilia & secreta aduersus hortẽses talpas, formicas, culices, muscas & ranas, tam olera quàm arbores & fructus euertentes, lædentes ac depopulantes.

CAP. X.

Talpæ cur olitoribus molestæ.

QVia talpæ in plerisque hortorum locis tumulando & fodiendo, proindéque terrã seminibus onustam, vel plantis vestitam eruendo ac euertendo, olitoribus, iusta causa, molestæ solent esse, ac illis negotium quandoque inexpugnabile facere, idcirco auxiliares machinas aduersus excœcatam illarum aciem, ex rusticis Græcorum & Latinorum armarijs, huc proferre & adferre non grauabor. Paxamus, vt hinc auspicer, nucem, aut vasculum quodpiam angustũ & solidum perforari iubet: ibíque paleas & cedriam, vel (vt legit Palladius) ceram, quantum opus fuerit, cum sulphure includi: omnésque talparum aditus & spiramenta illis diligẽter obstrui, ne per ea fumus penetret. Ita tamen, vt vnum tantum os, & foramen relinquatur, quod amplum sit: in cuius ostiolo, dicta nux aut vasculum intus accensum, sic collocabitur, vt ab vna parte flatum possit accipere, qui cedriæ & sulphuris nidorem in talpæ tumulum diffundat. Eo artificio impletis fumo cuniculis, talpas omnes vel protinus fugere, vel enecare deprehendes. Sunt qui veratrum album aut cynocrambes corticem tusum, cribratúmque, & cum polenta & ouis mistum, ac vino & lacte subactum, in offas & pastillos cogunt, ac eos talparum cauernis immittunt.

Ingeniosa Græcorum machina ad talpas expugnandas.

Varia abigẽdarũ aut necandarũ talparum artificia.

tũt. Albertus, allio, cepa, vel porro talpina ostiola claudit: putátque tetri odoris iaculatione talpas intus expirare, vel solum vertere. Plerique ad has abigendas feles in hortis educant, ac mustelas cicurant, vt suo venatu pestem hanc arceant, cuniculorum faucibus ac spiraculis admotę. Alij foramina earundem rubrica & succo cucumeris syluestris implent ac saturant: vel captam vnam cum accenso sulphure in ollam proijciunt putantes eò conuenire alias omneis. Non desunt qui illarum ostiolis laqueos setaceos adhibent. Alia aduersus talpas propugnacula reperies in medica nostra quadrupedum Historia: quo loco de talpis medicè scribimus. Sunt qui Recinum plantam, quæ vulgò Palma Christi nuncupatur, in hortis passim implantent, ad arcendam talparum iniuriam, quod facili paruóque labore explorabis. Rusticis satis est virgam, aut foliaceum sambuci ramũ defixisse. Plinius sola amurca necat. Qui de formicis posteritatis memoriæ hæc etiam mandauit. Sunt arborum pestes (inquit) formicæ: quas plerique abigunt rubrica & pice liquida perunctis caudicibus: necnon & pisce iuxta suspenso, quem Palladius post Græcos geoponicos coracinum, Ruellius graculum nominat: quod Plinius omisit. Nam ita in locum vnũ congregantur, & facilè disperduntur. Alij lupino cum oleo trito, arborum ac plantarum radices, vel (vt legunt nõnulli) caudices illinunt. Plurimi sola amurca necant. Palladius contra illarum agmina hoc monstrat propugnaculum. Si formicæ, inquit, habent in horto foramina, cor noctuę admoueto: si foris veniunt, omne horti spatium cinere, aut cretæ candore vel oleo obsignato.

Talparum fuga & venatio.

Aduersus formicas auxilia varia & propugnacula.

Palladius murus formicarum expugnator.

to. Et paulò pòst: Formicas abiges si origanum & sulphur trita, ad illarum foramina resperseris: aut vacuas coclearum testas cremaueris, & eo cinere myrmecias, formicariáve antra affatim saturaueris. In quo styracem omisit à Paxamo Græco, ex quo hæc transcripsit, additam. Paxami verba sic habent: Si captas formicas in medio horti vsseris, reliquas fugabis. Adhæc, si circa formicarias cauernulas cedriam obleueris, non egredientur, expellentúrque de suis sedibus, si cochlearum testacea operimenta cum styrace incenderis, vel contusa per formicarum agmen resperseris. Quod penitus perdetur, si succum cyrenaicum oleo dissolutum affuderis. Addit prætereà formicam nec plantas contingere, nec in arbores reptare, si lupinis amaris cum amurca tritis aut coctis, illarum cauliculos vel truncos sedulò obleueris. Idem præstabis, si albam lanam aut stupas, vel bombacem, vt de erucis paulò antè scripsimus, iisdem truncis cauliculísue circundederis: aut creta, vel rubrica, origanòue, assuetas illarum vias circunscripseris: nam sic plantas formicæ non attingunt, sed ne arborem quidem ita vestitam ascendunt. Quin & vas mellarium ita circunscriptum nequaquam ab illis contingi tradunt, etiam si operculo caruerit: licet mellis, dulciúmque escarum admodum sint cupidæ formicæ. Palladius rubrica, butyro & pice liquida mista, arbores ac plantas inungit. Addo quòd si radici arboris vel plantę vaccinum fel illinatur, ibi non accedent formicæ, vt scripsit Rases medicus Arabs. Non desunt ex Græcis qui arborum & vitium truncis densam hæderam alligent: eóque machinamento stabulantes sub eius vmbra formicas,

Formicarum fuga.

Vt formicæ arborem nõ conscendãt.

Formicæ dulciũ escarum appetentes.

micas,

micas, veluti obsides retinent & mactant. Plerique taurino felle cum amurca & pice idem moliuntur. Sed Plinium repeto, qui ex Sabino Tyro in libro Cepuricôn seu hortensium, quem Mœcenati dicauit, præstantissimum aduersus formicas remedium esse ait, limum marinum, aut cinerem obturandis illarum foraminibus. At omnium efficacissimè heliotropio herba necantur. Quidam aquam diluto latere crudo, eis inimicā putant. Alij alas vespertilionis, ceu præsentissimum amuletum eis opponunt. Verùm de formicis hæc in præsentiarum abundè satis. Culices fugantur aceti & origani decocto, si respergas, quēadmodum in suis Georgicis adnotauit Democritus. Adhæc rutæ madefactæ aspersione: & sulphuris, aut cumini, aut bubuli stercoris, aut bdellij suffitu, & conizæ decocto. Plinius galbano accenso abigi tradit: & Palladius amurca recente, vel respersa ex caminis fuligine. Muscas Berytius Græcus hoc flagello procul arcere docuit. Si veratrum (inquit) addito auripigmento cum lacte maceraueris, & illius rore ac imbre locum à muscis obsessum resperseris, omnes vel fugabis, vel perimes. Quod etiam præstabit alumen cùm origano & lacte tritum: nam his miscelaneis quęcunque illita fuerint, à muscis non contingentur. Prodest etiam laurus non nigro veratro tusa, & in lacte, aut aqua mulsa macerata: eius enim aspergine, ceu quodam toxico necantur, aut nunquam rediturae, aliò confestim euolant. Aduersus ranas quæ æstiuis noctibus colonis diurno labore fractis, imò verò magnatibus, delicatis & aulicis garrula coaxatione molestæ solent esse, hoc Africani Gręci habeto auxilium & secretum. Ra-

Autoris mira deligētia in cōquirendis auxilijs aduersus formicas.

Quomodo abigantur culices.

Muscarum fuga & flagellum.

Aspergillū muscas abigens, vel perimens.

Auxilium aduerſus ranarum garrulitatem.

uæ tacebunt(inquit)ac vociferari deſinent, ſi lucernam accenſam ante illas poſueris, aut de arbore ita ſuſpenderis, vt ab eius lumine, ac ſi Sol eſſet illuſtrari poſſint. Res mihi & alijs multis plus millies experta. Hieronymus Cardanus tradit fel capræ ſepultum ranas congregare. Quod hîc poſtremum erit.

Auxilia & ſecreta aduerſus ſerpentes hortorũ, & alia quæuis reptilia, tam homines, quã olera, arbores & fructus venenantia. CAP. XI.

Ne ſerpentes in hortis ſtabulentur.

FLorentinus rerum agri interpres apud Græcos ſummus & diligens, ſcribit, ſerpentes in hortis, aut alibi, nequaquam ſtabulaturos, ſi abſynthium, aut artemiſiam, abrotanúmve per ambitum plantaueris, vel in angulis commodè diſpoſueris. Qui ſi alicubi verſari fuerint aſſueti, ſuffitu radicis lilij, aut cornu cerui, vel vngulæ caprinę actutum abigi tradit. Palladius omni auſteritate eoſdem fugari, nocétéſque ſpiritus, graueolentis fumi innocentia exagitari ſcribit. Democritus mori penitus affirmat, ſi querna folia ſuper inijciãtur: aut ſi quis ieiunus in illorum os expuerit. Apuleus arundine ſemel duntaxat percuſſos obſtupeſcere contendit : ſæpius verò, roborari. Tarentinus Græcæ agricolationis peritus eum à ſerpente affici poſſe negat, qui ſucco raphani oblitus fuerit, aut raphanum ipſum guſtauerit, vel ſecum detulerit. Quod Athenæus & Galenus cum pleriſque aliis, malo medico ſeu citrio aſcribunt, & pulcherrima hiſtoria confirmant: quam libro tertio per occaſionem tibi proferemus

Serpentes quomodo necentur.

Mira raphani natura.

mus

mus ac proponemus. Sed serpenticîdam Florentinum rursus audire molestum non erit. Serpentes, inquit, nunquam accedent vbi cerui adeps iacuerit: aut centaureæ radix, aut gagates lapis, aut aquilæ, vel miluij stercus: fugabitúrque omne reptile si nigellam, pyrethrum, galbanũ, cerui cornu, hyssopum, sulphur, peucedanũ & caprarum vngulas miscueris, deinde triueris & acetum acerrimum fuderis: compositísque horum miscellaneorum sphærulis, fumum ac vaporem excitaueris. Nam diffuso per aërem rerum istarum nidore, reptile quoduis, ac si flagello ageretur, procul fugere vel expirare animaduertes. Quidam prodiderunt punicæ ramum, vt suo dicemus loco, venenata omnia, nedum serpentes, fugare. Quapropter stragulis consultò imponi solet ijs ædibus in quibus versari solent serpentes, & venenosa quæuis animalcula. Quorum agmina in vnum locum, ceu pisces in sagenam aut verriculum, idem Florentinus cogebat, dolio à salsamentis inueterato, & circa hortum, agrũ, aut locum alium serpentibus ac venenatis bestiolis obnoxium, defosso. Nam in id reptile omne confestim accedebat, accedénsque vltrò illabebatur. Plinius de silere loquens hæc tradit, Serpentes & hunc fruticem refugiunt: baculúmque rustici ob id ex eo gerunt & circunferunt. Cæterùm experimento certissimo probatum & confirmatum est, vstis & accensis corijs quæ veteramentorum sunt, serpentes efficaciter fugari: neque eos modò qui in hortis, agris aut domibus oberrãt, sed qui in hominum corpora ingrediuntur, dum per æstatem alto somno oppressi, aperto ore in campestribus obdormiunt. Quod Marcus Gatinaria medicus cele-

Vt locus qui vis sit à serpente tutus.

Ram i punicæ vis magna.

Quomodo cogantur in vnum serpentes.

Pulcherrima historia pro fugãdis serpentibus à corpore.

celebris memorat accidisse cuidam homini suo tempore. Cui cùm frustra adhibita essent innumera medicamenta & præsidia alioquin efficacissima, de omnibus præsentissimum & mirabilissimum fuit veteramentorum fumus & nidor ex infundibulo haustus, & ore exceptus. Nam cũ primum immanis fera (erat enim Vipera prægrãdis) fumi nidorem præsensit, visa est à circunstantibus egredi per anum, magna omnium admiratione & incredibili stupore. Quod hîc scriptum & adnotatum volui, ceu secretum magnum & paratu facile, multísque profuturum. Solet etiam eam in rem lac decoqui, & eius fumus ac nidor ore aperto traijci. Nam vbi serpens illum senserit, actutum per os egreditur, vt lacte fruatur, cuius est appetentissimus. Hîc nõ omittam, quòd serpentes ignem valde oderunt: non solùm quia oculos illorum hebetat, sed quòd natura ignis veneno aduersatur. Oderunt etiam validũ odorem iaculantia, qualia sunt allia & cepæ. Amant sabinam, hederam ac fœniculum: sicuti bufones saluiam (vt in nostris Memorabilium Centurijs ostendimus) & viperæ erucam. Omnium pessimè & infensissimè auersantur ac oderunt fraxinum: adeò vt ne matutinas quidem occidẽtalésue vmbras eius, quàm sunt longissimæ, attingant, sed procul fugiant. Quin experti prodimus, inquit Plinius, quòd si gyro ex fraxinea fronde claudãtur ignis & serpens, in ignem potiùs quàm fraxinum statim fugiet ille: mira naturæ benignitate, quæ prius quàm serpentes prodeant, sicuti florere fraxinum permittit, ita ante conditos, folia nequaquam deponere sinit. Virgilius omnis eruditionis parens, cedro vel galbano incensis illos per-

Quænã sint serpentibus inimica & amica.

Notãda fraxini & serpentis antipathia.

persequitur & exagitat.

Disce (inquit) & odoratam stabulis incendere cedrũ.
Galbaneósque agitare graues nidore chelydros.

Ferè hîc preterieram quòd filicis folia serpentem non recipiunt: vnde serpentigenis locis filicem seuisse, aut strauisse multis vtile fuit. In his obliuiscendum non est, quod serpentes sambuci flores summè refugiunt. Qui etiam tineas, blattas & erucas perimere traduntur. Addo quòd si folia filicis comburantur, etiam solo nidore serpentes fugabunt, ac longè sedes mutare cogent. Nescio sanè an hîc etiam adnotare debeam, quod apud Albertum legi, aristolochiam scilicet rotundam cum campestri rana, & scriptorij atramenti parte aliqua diligenter tritam, facere vt serpẽtes ceu mortui ilicò subsistant, si ex ijs miscelanijs aliquid scribatur, & corã illis proijciatur. Sed iam tempestiuum est, vt ad remedia demorsorum à serpentibus veniamus, eáque prompta & paratu facilia proponamus. Si itaque à serpente quispiam demorsus fuerit, nisi febricitet, bibat succum è folijs fraxini, vino albo generoso exceptũ si febricitet, solum succum hauriat, foliisque ipsis morsum tegat: miraculum à multis fœlici successu probatum & expertum demirabitur. Nec temerè, nam certam & abstrusam contra serpentes anthipathiam habet fraxinus: sicuti paulò ante ex Plinio ostensum fuit, & nobis alibi adnotatũ.

De filice & aristolochia contra serpentes.

Remedia aduersus serpentis morsum.

Remedium præsentissimũ & secretum, a quãplurimis summa autoritate viris sæpenumerò expertum contra virulentos serpentium morsus, etiam si percussus absuerit.

CAP. XII.

HOc loco mihi monendus est lector, me in hoc opusculo nostro, vt in reliquis hactenus à nobis publicæ vtilitati propositis candidè factum fuit, nihil omissurum aut dissimulaturũ quod reipublicæ & posteritati profuturum agnoscam. Hîc itaq; sedulò proponam, quonam modo virulentos serpentium morsus, quiuis (etiam percussis absentibus) certo & tuto experimento, eóque factu & paratu sanè quàm facili, ex tempore sanare possit. Quod excellẽtissimum & singulare secretum præstantissimo medico & philosopho Andreæ Mathiolo æquè libenter acceptum fero, atque ille ingenuè profitetur se illud à quodam in agro Romano heremita accepisse. Sic itaque res habet. Cùm quis à serpente fuerit morsus, si præsens aderit, quæ mox dicentur in eo fiant. Si verò per nuncium id significauerit, percontaberis ex eo, num medicamentum loco percussi velit haurire. Quod se facturum si respondet, iube vt dextrum pedem calceo denudatum solo sistat. Tum demum cultello lineam circumducito totius pedis vestigio. Quod vbi feceris, iube pedem auferri, & intra signatę lineæ spatium, cuspide cultelli hæc verba inscribito, CARO CARVZE, SANVM REDVCE, REPVTA SANVM, EMANVEL, PARACLETVS. Mox terram eodem gladio abradito, ita vt omnes literarum characteres aboleantur: Abrasum puluerem fictili paruo aqua pleno excipe, ibíque tantisper dimitte donec terra subsidat. Postea nuncij interula aquam percolato, & cruce signatam illi bibendã præbeto. Mirandum sanè quòd eadem hora ictus sanabitur, qua nuncius potionem sumpserit: vt & mihi, qui

hæc ſcribo, & viris fide & veritate eximijs, abſq; vllo fuco & mendacio compertum, expertúmq; fuit, & ob id à me hoc loco publicę vtilitati candidè impertitum.

Auxilia & ſecreta aduerſus ſcorpiones, bufones, hortenſes mures, muſtelas, & grandiores beſtias, tam olera quam fructus corrumpentes & vaſtantes. CAP. XIII.

QVod ad ſcorpiones attinet, ſi locum in quo verſantur ſurculo aut ramulo veri helotropij circunſcripſeris, negat Plinius illos hinc egredi poſſe. Si verò herba ipſa imponatur, aut reſpergatur, protinus emori tradit. Idem fieri aiunt tactu radicis herbæ quam ſcorpioidem dicunt: imò verò à ſcorpione minimè lædi, qui herbam geſtabit. Afri promittunt ad manipulũ ocimi cum cancris decem marinis vel fluuialibus tritum, à proximo omnes cõuenire. Tradunt ijdem quòd ſi à ſcorpione quiſpiam percuſſus aſino inſideat ſpectans ad eius caudam, pernicioſum ſeſſoris virus in aſinum tranſire. indicium erit, ſi deflauerit & pepederit aſinus. Sed hæc quia vanitatem olent, ad ſcorpionum fugam & exitium calamum conuertamus. Diophanes in ſuis de agricultura græcis Commentarijs tradit, cum pleriſque alijs, raphanum ſcorpijs impoſitum, præſentem mortem illis adferre. Adhæc eum qui raphani ſucco manus diligenter obleuerit, citra periculum ſcorpios & venenata quæque poſſe tractare. Addit prætereà ſandaracham cum butyro

Scorpionũ fuga & interitus.

Mirum ſi verum.

Memorabilia in ſcorpiones alexipharmaca.

vel adipe caprino suffitã, eosdem & reptile omne abigere: insuper scorpium vnum concrematum reliquos fugare. Quo loco non omittam ex Tarentino Græco, quòd qui sideritim, vel scorpioidem herbam tenuerit, scorpios innocenter tractare poterit. Plutarchus ex Zoroastre nucem auellanam lectulorũ pedibus alligat, ne scorpius illos conscendat. De ictorum remedijs hæc à me in præsentiarum habebis. Si quis scorpium à quo fuit percussus, vel alium in oleo coquat, eóque plagam inungat, valdè iuuabitur. Idem continget, si pungentem super locum interimat ac proterat: sed periculosus erit ictus, si quis eo die quo punctus fuit ocinum esitauerit. Florentinus succum fici recentis in plagam efficaciter stillari tradit. Plinius asserit scorpij cinerẽ ex vino potum, si febris absit, summo esse remedio: perinde atque vermium ignitorum puluisculũ, verminantibus hominibus, animalibus, ac alitibus & à rapido cane morsis pilos eiusdẽ vstos ac ꝓpinatos, vt ex eodem boue lora, quod dicũt, sumantur: & venenata sint ipsis venenis remedia. Bufones ijsdẽ rebus fugari & necari scribunt gręcæ & Latinæ agriculturæ professores, quibus serpẽtes. Quare pro auxilijs aduersus illos, recurres ad XI. caput præcedens. Mures iacta semina nullo modo persequi tradit Apuleius, si bubulo felle macerata fuerint ante quàm spargantur. Necabuntur si folijs rhododaphnes illorũ aditus clauseris. Non desunt ex Græcis qui syluestris cucumeris, aut hyoscyami, vel amygdalarum amararum & veratri nigri pares portiones cõtusas polentæ immisceant, ac oleo subigãt, agrestiúmque murium aut domesticorum cauernis & cunicu-

Remedia eorum qui à scorpio fuerint icti.

Pulchra & notatu digna.

Auxilia aduersus agrestes mures, necnon domesticos.

lis apponant. Plinius abigi ſcribit cinere muſtelæ aut felis aqua diluto, & ſeminibus reſperſo. Verùm, quæ inde naſcentur, virus talium animaliũ redolere valde periclitantur: ob id bubulo felle ſemina imbui & ringi, melius erit. Muſtellas vel occides, vel fugabis, vt adnotauit Africanus, ſi ſalem ammoniacum & frumentum, ſeu (vt alij legunt) fermentnm commaceraueris: & ad locum vbi frequenter diſcurrunt, proieceris. Alij, captã vnam, cauda & teſticulis amputatis, viuam dimittunt: putántque eo ſpectaculo & mutilatione reliquas emigraturas: cuius rei facilis experiẽtia, fidem in poſterum firmam tibi faciet. De grãdioribus beſtijs abigendis hæc paucis accipito. Nunquam ſata illæ contingent, ſi imbre veteris vrinę in qua ſtercus caninum maduerit, areę hortorum ſpargantur. Idem futurum promittit Democritus, vt antea docuimus, ſi fluuiales cancros quamplurimos, vel marinos non pauciores quã decem, fictili vaſculo cum aqua immiſſos tegas, & ſub dio ſtatuas, vt decem diebus à Sole vaporentur: poſtea quæcunque illæſa volueris eſſe, cùm ab aere, tum ab animalibus, aqua illa diebus alternis debes perfundere, donec ſolidiùs adoleſcant. Sunt de priſco illo Africanę primùm, deinde Græcæ agriculturæ collegio, qui pæoniam aut perſonatam herbam vrenteis, vel per hortũ aut agrum circunferenteis, beſtias & infeſta quæuis animalia, occulto amuleto perſequuntur. Quæ ſi frondes paſtu malefico depaſcantur, Plinius in naturæ hiſtoria primus & vltimus, prudẽter cõſulit, folia fimo boum diluto aſpergenda eſſe, quoties imber interuenerit: quoniam ita abluitur virus medicaminis, mira quædam excogitan-

Auxilia aduerſus muſtellas, earũdemque expulſio & interitus.

Ne grandiores beſtię ſata lędant vel contingant

Africani & Græci agricolæ ſolertes.

Ne animalia frondes paſcant.

te solertia humana. Verùm de his plura alibi scribenda nobis reseruamus.

Auxilia & secreta aduersus grandinem, fulmina ac tempestates, arborum, plantarúmque, flores & fructus, vti etiam cereris & Bacchi dona, miserè perdentes.

CAP. XIIII.

Aduersus ingruenté grádinem auxilia & secreta.

DE grandine, quæ plerunque dilapidat hominúmque, boúmque labores, hæc paucis habeto. Si voles illi ingruenti occurrere, vituli marini pellem, vel hyenæ, aut crocodili, per horti vel agri spatia circunferes, & in eorum ingressu suspendes: quemadmodum scripsit Philestratus in suis rerum rusticarum græcis Commentarijs. Alij grandinem instare animaduertentes, oblato ingenti speculo imaginem nubis accipiũt: eóque remedio nubem, seu sibi obiecta despiciat, vel (vt legit Palladius) displiceat, seu tanquam geminata alteri cedat, extemplo auertunt & amoliũtur. Plerique alij hac superstitione imbuũtur, vt plurium domorum clauibus de funiculo pendentibus, omne horti spatium in orbem cingant: existimantes grandinem sine damno hac arte aliò cum sua nube migraturam. Sunt, eodem Philestrato autore, qui dextra manu testudinem palustrem supinam ferentes, hortum vel agrum perambulent: & reuersi vnde exierant, eadem figura, illam humi statuãt, ac glebas curuaturę dorsi eius obijciant, ne inuerti possit, sed supina permaneat, nubemque grandine pregnantem recta in-

Mira testudinis antipathia cũ nube grandinem parturiente.

tueatur. Quod quidam fieri præcipiũt hora diei, vel noctis sexta. Non defuerunt apud priscos qui eam in rem omne horti vel agri spatium alba vite cingerent: aut noctuam alis patentibus extensam in agro, hortóve suffigerent. Quæ duo etiam ad fulmina grandinem plurimùm comitantia, incomparabilis ille rerum agri doctor Iunius Columella transtulit, ad hunc modum in suo horto loquens:

Auxilia aduersus fulmẽ ex Columella.

Vtq́; Iouis magni prohiberet fulmina Tarchon,
Sæpè suas sedes præcinxit vitibus albis.
Hinc Amythaonius docuit quæ plurima Chiron,
Nocturnas crucibus volucres suspendit: & altis
Culminibus vetuit feralia carmina flere.

Sed hoc loco auxilium quod nostrates præsentissimum habent aduersus tonitrua, fulmina, & nubes grandinem horrendam parturientes, silentio non dissimulabo. quodnam illud, inquies? nolarum & campanarum tinnitus, aut bombardarum aliorúmve pyrobolorum instrumentorum longè latéque reboantes crepitus, vt clamor eat cœlo: quemadmodum in nostris aërijs Ephemeridibus, & populari Astrologia scripsimus. Verùm his plebeculę dimissis, Plinium in explicanda naturæ historia ad miraculũ vsque summum, si placet, auscultemus: & ex illo discamus, nõ solùm hortos & agros, sed etiam homines & animalia nequaquam à fulmine tangi, quæ tergore fluuialis equi, quem Hippopotamum nũcupant, circunsepta fuerint. Quin & noxiæ non erunt tẽpestates, vt Archibius ad Antiochũ Syrię regem scripsit, si obserata fictili nouo rubeta, in medio horti vel agri defodiatur. Per cuius ambitũ plerique

Populare auxiliũ aduersus tonitrua fulmẽ & grãdinem.

Vt horto vel agro noxię nõ sint tempestates.

rique etiam laurum multam, eam in rem plãtant. Alij aquilæ pennas, aut vituli marini pellem in medio horti, vel per quatuor eius angulos suspẽdunt. Nam hæc tria, arcana quadam & planè memorabili antipathia fulminibus obsistere, & ab his nullo modo attingi, aut afflari, posteritatis memoriæ mandatum est: & multorum experimentis confirmatum. Vnde Tiberium Cæsarem lauro coronari solitum fuisse, & tẽtoria ex vitulorum marinorum pellibus operta, tonãte cœlo subijsse autor est Sueto. vt à fulmine, quod supra modum metuebat, tutus esset. Iste erit capitis huius colophon: Bulbus non sui corporis exiguitate fulminis impetum euadit, sed aduersam & fulminis ictum retorquentem naturam possidet: quam Græci antipathen vocãt, vt adnotauit Plinius, & nos alibi docuimus.

Laurũ aquilam & vitulum marinũ à fulmine nõ cõtingi.

De rubigine, pruina, carbunculatione, & alijs cœlestibus iniurijs. quæ arborum, frugúmq;, & vinearum flores ac fructus miserè perdũt & abolent. CAP. XV.

POstremum caput hoc summum negotium mihi facit: neque aliam ob rem, quàm quòd cum cœlo & aere, cominus & eminus hîc mihi agendum esse proponat, si de rebus in quibus versatur, seriò philosophari satagam. Quidquid itaque illud est quod hic tractandum sese offert, ad Opusculum transferetur quod paratum habemus. De causis sterilitatis, & præsagijs inopiæ alimentorum, ac status anni cuiusuis progno-

gnosticis. Eam ob rem, paucis quæ sequuntur contentus eris. Si instanti aut suspectæ, vel quouis modo præuisæ pruinæ, carbunculationi, aut rubigini maturæ obuiã ire voles paleas multas si adsunt, aut horti, vel agri euulsas herbas, frutices, & spineta, pluribus locis combures: maximè qua parte ventus spirabit: ita enim impendens malum auerti scripsit Diophanes in suis rerum agri præceptis. Berytius in Græca geoponicôn schola celebris, vbi in aëre id iniuriæ congregari animaduertebat, bouis cornu sinistrũ, cum bubulo stercore ilico incendebat, & fumum multum per horti vel agri ambitum excitabat, ventóque opponebat. Apuleius fumum trium cancrorum vstorum cum bubulo, vel caprino stercore, aut paleis, auxilium præsentissimum esse scripsit. Quòd si anticipauerit rubigo, damnum hoc modo resarcies, vt tradit Berytius. Cucumerum syluestrium, aut colocynthidis radices vel folia contunde, & aqua macera: indéque à rubigine prehensa ante Solis exortum irrora ac resperge. Idem assequeris ficulneo, aut querno cinere, aqua infuso, & quo dictũ est modo, asperso. Proderit, eodem Apuleio teste, ramos lauri multos per hortum vel agrum defigere vel plantare: nam in illos, sicuti ille plurifariam obseruauit, rubginis noxa omnis transit & abit. Quæ frequentissima solet esse in roscido tractu, conuallibúsque, ac locis perflatum nescientibus. Sed hîc eximium illum hortorum magistrum Iunium Columellam de amolienda rubigine scribentem audire, nec graue nec molestum erit.

Auxilia aduersus instantẽ rubiginem & pruinam.

Auxilia aduersus rubiginem quæ anticipauit.

Noxá rubiginis in lauros transire.

Hinc mala rubigo (inquit) virides ne torreat herbas,

Columella

de rubigine pellenda.

Sanguine lactentis catuli placatur & extis.
Hinc caput Arcadici nudum cute fertur aselli
Tyrrhenus fixisse Tages in limite ruris.

Auxilia aduersus carbunculum & pruinam.

Hactenus de rubigine frugibus inimica. Aduersus carbunculum qui vitibus & floribus peculiaris esse solet, Plinius tres cãcros viuos cremari iubet, vitibus aut arboribus appensos. Græci contra pruinam (quod antea omiseram) in horto vel agro fabas intus & extra per ambitum serũt. Hæc à me habebis in præsentiarum pro ritè instituẽdo horto, & ab iniurijs tam externis quàm internis vindicando ac repurgando, vt læta ibi adolescant sata quæuis & plantata. Quæ nisi à veteribus rerum agri scriptoribus, Afris, Græcis, & Latinis, ingẽti studio, & indefesso labore quæsita, probata & obseruata fuisse intellexissem, manum tabulæ huic, quod dicunt, nunquam admouissem: imò verò, nisi partem bonam cum amicis meis, rerum agri apprimè studiosis, experiundo in rem cõtulissem, ne verbulum quidem hîc adnotare sategissem.

Autoris mirus candor, & modestia rara.

ANTO-

ANTONII MIZALDI MONLVCIENSIS, MEDICI, DE HORTORVM CVLTV, cura, auxilijs & secretis,

LIBER SECVNDVS.

EXCVRSO vtcũq; instituti mei primo curriculo, secũdum nunc demũ fœliciter ingredior. In quo cultum, auxilia, & curæ quæ debentur potioribus hortorum oleribus, & selectarum plantarum fructibus, tam extra q̃ intra terram educatis, esculentisq́; radicibus, nec non floribus, & odoratis herbis, breuiter ac dilucidè perstringere satagam, proferamq́; ex fœcundissimis Africanorum, Græcorum & Latinorum rei rusticæ professorum thesauris, nostrisq́; & amicorum quotidianis obseruationibus, hortensium secreta, vitæ humanæ vtilissima, & cuique iucundissima. Quod vt dictum ita factum agnoscas, ab ea planta, eóque olere fundamenta mihi pono, quo in hortis, tam vrbanis quàm rusticis, nihil notius, frequentius, ac familiarius esse solet. A Lactuca, inquam, quæ priscis vsqueadeò placuit, & tanta, tamq́; sedula cura exculta fuit, vt ab ea Lactucinos in Valeria familia Romæ appellari, nihil puduerit. Illa, illa est, re vera, qua Diuus Augustus, adno-

Autoris propositum & institutum.

Breuitas perspicuitati iuncta, autori familiaris.

adnotante Plinio, in ancipiti ægritudine, pruden tia Antonij Musæ medici præstantissimi, seruatus fuit, ex quo statuam collato ęre iuxta signum Aesculapij, Suetonio teste, promeruit. Sed omisso lactucæ encomio, ad rem, si placet, accedamus.

Augustus Imp. lactucâ in ægritudine seruatus.

HORTENSIA OLERA.

Lactucæ cultus, auxilia, commoditas, & secreta. CAPVT I.

Vnde dicta lactuca, & quonâ gaudeat solo.

LActuca hortensis (de qua hîc potissimùm agimus) dicta est, quòd lactis copia exuberet. Amat solum subactum, pingue, humidum vel irriguum & stercoratũ, quarto aut quinto, vt vult Plinius, à satione die plurimùm erumpens, modò vetus & exuccum nõ fuerit eius semen, & solum infœcundum. Anno toto seri potest, si locum nacta fuerit qualem ei præscripsimus. In latitudinem sese diffundet, si vel rarior pangatur, vel cùm caulem faciet, eo leniter inciso, gleba aut testa prematur, quò minus in scapum erumpat. Nam eo pondusculo velut coërcita, cùm non possit in altum surgere, in latũ perreptare, effundíque cogitur. Autores sunt Florentinus Græcus in suis Georgicis, & post illum Columella: adhæc Plinius & Palladius. Illa eadem candida fiet, si fluminis, vel littoris arena frequẽter spargatur in medium, & collectis folijs alligetur. Quod Plinius dũtaxat illi ascribere videtur, quę seminis est albi: cuius ea est natura, vt hyemem de omnibus maximè perferat. Si vitio loci, temporis aut seminis durescat, vulsa & denuò posita teneri-

Quomodo lata fiat lactuca.

Quomodo candida fiat lactuca, & tenera.

teneritudinem consequetur. Sessilem facies, quæ nec caulem promat, sed cõuolutis folijs in globum extuberet, vel in orbem circumagatur (pomatam nostrates nuncupant) si translatæ radix, vbi in palmi altitudinem adoleuerit, ablaqueata, bubulo fimo recenti oblinatur, & congesto aggere irrigetur: dúmque ad incrementum venerit erumpens germen, ferri acie præscindatur: & ei fictilis testa, nõ picata, imponatur, ne longitudinis sed latitudinis augmentum capessat: vt tradit idem Florentinus, rerum agri apud Græcos interpres ad vnguem factus. Suauiores habebis lactucas, si coërcitis caulibus, restibili pullulatu prodire compuleris. Coërcebis autem ac cohibebis, si cùm iam aliquod incrementum acceperint lactucæ, testulam, vt dictum est, aliúdue pondusculum adhibueris. Odoratas nasci idem pollicetur Florentinus, si illarum semen citrij semini imponatur, & ita terræ committatur. Quã rem etiam præstabit lactucarium semen diebus aliquot in aqua odorata pręmaceratum. Sed hoc loco mihi peropportunè in mentem venit, memorabile Aristoxeni Cyrenei commẽtum. Is, vt prodit Plinius, à patria desciscẽs philosophia, & helluonum voluptati subscribens, natas in hortis lactucas, vesperi vino mulso rigabat: eóque potu donec satis ebibissent, satiabat: vt postridie cùm illuxisset, placentas virides à terra missas se habere vẽditaret. Dignum Epicureo homine inuentum, nedum philosopho: quo omisso institutum sequamur. Tenerioris folij euadet lactuca, si radix, vt diximus, optimo fimo illinatur, & fluuiali aqua opportunè irrigetur: vel biduo antè quàm vellatur, eius coma illigetur. Si & forma & sa-

Quomodo sessilis fiat lactuca, seu pomata.

Quomodo suauis fiat lactuca.

Quomodo odorata fiat lactuca.

Philosophi helluonis pulchra historia.

Vt fiat lactuca tenerior.

& ſapore multiplici varioq́ illam naſci cupiueris, Didymumq́ Græcum audire volueris, id facilè abſolues, ſi caprini, vel ouilli ſtercoris baccã, ſeu pilulam aut ſphærulam, ſubula ſubtiliter excauaueris, & in eam ſemel lactucæ, naſturtij, ocimi, erucæ, & radicis ſeu raphani, vt habet Palladius, immiſeris: eámque baccam fimo inuolutam, terra optimè culta, breui ſcrobe demerſeris, & ſubſtrato molli lætamine, leniter aqua rigaueris. Raphanus enim in radicem nitetur, cætera verò ſemina in ſummo proſilient, lactuca pariter emergente, & ſeruato ſingulorum ſapore. Sunt qui duobus, tribúſue harum pecudum ſtercoribus contuſis, antè dicta ſemina permiſcent, & trito linteolo deligata obruunt, reliquam, vt ſuprà, adhibentes curam. Plerique Latinorum geoponicorum rem eandem aliter aſſequuntur. Auulſæ lactucæ folia carpunt quæ radicibus iuncta ſunt, & in eiſdem gradibus ſurculo punctis, præter raphanum, vt eſt apud Palladium, vel apium, vt placet Ruellio, ſemina ſupra ſcripta deponunt, ac fimo linunt: faciúntque vt ſic obruta iterum lactuca, incluſorum ſeminum caulibus ambiatur & colluſtretur. Inuentæ ſunt lactucæ vſqueadeo in latitudinem luxuriãtes, vt ex his olitoria oſtiola facta fuiſſe ꝓdant antiqui: adfirmátque Theophraſtus, eas nonnullos vſurpaſſe in hortorum valuas. Si lactucam ad hybernos vſus habere voles, ſic illam condientem Columellam auſcultabis. Caules lactucæ ab imo depurgatos, eatenus qua tenera folia videntur, in alueolo ſalire conuenit: diémque vnum & noctem ſinere, dum muriam remittant: Deinde muria eluere oportet, & expreſſos in cratibus pandere,

Quomodo fiat lactuca ſapore & forma multiplici.

Aliud artificium pulcherrimum.

Lactucæ ꝓdigioſæ latitudinis.

Lactucæ conditura ad hybernos vſus.

dere, dum resiccescant: tum substernere anethum aridum & fœniculum: dein fasciculos lactucarũ vasis reponere, iúsque superfundere, quod sit aceti duarum partium, atque vnius muriæ: posteà arido spissaméto fœniculi sic comprimere, vt ius supernatet. Quod vt fiat, is qui huic officio præerit, sæpenumero ius diffundere debebit, nec pati sitire salgama: sed extrinsecus munda spógia vasa detergere, & aqua fontana quã recentissima perfrigerare. Hactenus Columella. Plinius lactucas seruari etiam in alienos menses, vel (vt legendum puto) hybernos, oxymelite repertum esse tradit. Erũt hęc pro lactucis in præsentiarum satis. Quarum medica præsidia qui scire volet, vt etiã aliarum hortensium plantarum, & arborum ac fructuum, legat Alexikepum nostrum, hoc est auxiliarem & medicum Hortum: illic inueniet quod placuisse queat.

Columellæ solertia & ingenium mirum.

Brassicæ cultus, auxilia ac secreta.

CAP. II.

TAMetsi Marcus Cato oleribus omnibus brassicam anteposuerit, & Plinius hortorũ principatũ eidem ascripserit, nihilominus de illa secundo loco hîc agemus: quam Latinorum plerique, ab insigni trunco & brachiatis virgis, caulem dixerunt. Huic ea inest natura, vt nullam cæli conditionem respuat: vnde toto anno terræ credi potest. Quam pinguem & bene subactam desiderat, non argillosam, glareosam aut arenosam: nisi fortasse perennis vnda succurrerit. Austro obuersa lætior euadit, Septentrioni, contrà: quanquam & sapore & robore ibidem vincit:

Brassica antiquis celebrata.

Quæ terra brassicis accommoda.

estq́ per gelicidia & pruinas gratior ac tenerior. Cliuis delectatur, & stercore gaudet, sarculatuq́ proficit, vt adnotat Palladius. Cùm sex erit foliorum, aut quinque, transferenda est: ita tamen vt radix liquido fimo priùs illinatur. Quod fiet die tepido, si hyems erit: si æstas, cùm Sol ad vesperam inclinabit. Græcorum antiquissimi brassicam in tres tantùm species diuiserunt, crispam, quam selinoidea nuncuparũt, à similitudine foliorum apij. Lean, latis folijs è caule exeuntibus; vnde cauloden quidam vocauerunt. Et eam quæ propriè crambe appellatur, folijs tenuioribus & simplicibus, densissimisq́. Vastior euadet, si terra continenter operiatur. Marcus Varro Nestoris sapientissimi carmina quæ in Alexikepo, hoc est, auxiliari horto, scripta reliquerat, interpretatus, brassicam salsis locis seri iubet cùm triũ foliorum fuerit, nitro aut salsa terra cribrò excreta, & illi pruinæ vel niuis cadentis modo resperſa: ita ad coquendum habiliorem tradens, virore seruato. Quod in Græcis Paxami Georgicis confirmatum reperio. Sunt qui cinere vtantur nitri loco: ob id quòd erucas, à quibus summè infestatur brassica, perimat. Tradit Columella illam in coctura celerius madescere, & viridem colorem absque nitro seruare, si radix tribus algæ teniolis inuoluta pangatur. Plinius algam duntaxat pediculo subdit, dum trãsfertur: eámque in rem Apiciana vtitur coctura, oleo & sale macerata brassica priusquàm decoquatur: sed dum coquitur parum salis admittit, ob nitrosam & salsam substantiam. Cæterùm & sapore & magnitudine præcipuam reddes, si omnium primùm in pastinato seras, dein si terram fugientes

Quando transferenda brassica.

Tres brassicæ species.

Quomodò fiat vasta brassica.

Quomodò fiat brassica habilis ad coquendum virore seruato.

Quomodo fiat brassica sapore & magnitudine insignis.

tes cauliculos feces, & à terra proceritate luxuriosa attollentes se, exaggerando terram aliam, accumules, ita ne plus quàm cacumen emineat. Sæpius sarrita & stercorata melius conualescit, plenioríſque incrementi cauliculum facit & cymam. Toto anno secatur, quia toto, vt diximus, seri potest: semini tamen destinata, secari non debet. Cymosum eius cacumen acetarijs summè probatur, subferuefactum & oleo ac sale suffusum. Plinius, incomparabilis ille rerum naturæ perscrutator, tradit, vasa in quibus aquæ feruēt, induratis crustis intus obsessa, intantùm vt eas auellere non liceat, brassica in his decocta statim ac facilè abscedere. Tradit insuper Athenæus (vt brassicę miracula aliquot paucis perstringamus) vineas in quibus nascuntur brassicæ, languidius vinū creare: vsqueadeò illis pernicialia sunt cum vitibus odia. Hinc nimirū Theophrastus viuam vitem oleris huius odore fugari rectissimè admonuit. Et Plinius, vinum in dolio sapore huius & odore corrumpi, sed betę folijs demersis restitui. Quo argumento Androcydes, sapientia clarus, vt idem scribit Plinius, brassicā contra ebrietatem maximè pollere dixit. Ex quo factum puto, vt Aegyptij qui vini magnoperè sunt amantes, omnibus esculentis brassicam coctam, in cibatu præmittant, ad inhibēdam vini noxam. Sanè hîc non arbitror dissimulādum quòd brassica tantoperè à Catone celebrata, non admodum probatur à plerisque antiquorum: qui pulmentaria damnabant quæ egerent alio pulmentario. Id erat oleo parcere, inquit Plinius. Nam gari desiderium etiam in summa exprobratione erat. Hoc loco ingens & non vulgare naturæ miraculum

Crustæ quomodo abscedant à vasis.

Brassicæ odia pernicialia cum vite & vino.

Brassica cōtra ebrietatē summè efficax.

lum mihi tacendũ non est, nempe hoc olus quo vitem fugari diximus, cyclamino & origano aduersum, perarescere, naturali & occulto odio, quo plantæ illæ brassicam nõ minùs prosequuntur, quàm vitem brassica, & contrà. Vnde rectè scripsisse mihi videtur Paxamus, ex Græcis geoponicis vnus, quòd si feruescenti & ebullienti brassicæ paululum vini quis guttatim instillauerit, nõ amplius coquetur illa, sed suis viribus defuncta, mutato colore corrumpetur. Quibus ex rebus appositè colliges, eos qui vinum multum bibere volunt, & potãdi certamine victores coronari cupiunt, crudam brassicam cibis anteponere debere, ne temulentia tententur. Quod se præsente factum fuisse à quodam docto & philosopho homine testatur Gulielmus Gratarolus medicus præstantissimus, in Opusculo de tuẽda literatorum valetudine. Nam dum is in cõuiuio discumberet, probatis & acceptis inuitantium omnium poculis, perstrenuè potauit, quòd foliolum crudi caulis rubescentis præsumpsisset, ex quo vinum suas vires exerere minùs potuit. Sed philosophantem ea in re M. Catonem, hominum, vt scribit Plinius, summũ in omni vsu, hîc audire pulchrum erit. Si voles, inquit, in conuiuio multùm bibere, cœnaréque libenter, crudam brassicam ante cœnam esto quantum voles ex aceto: & item vbi cœnaueris, esto quinque foliola, reddent te quasi nihil ederis ac biberis: bibésque quantum voles: mirabili oleris huius cum vino antipathia, vt dictum est: & adnotauit Agrius apud M. Varronẽ. Addo ex Paxami græcis georgicis, quòd si brassica viti vicina fuerit, luxuriantes eius palmites potius repandi curuabun-

Vinũ brassicæ cocturam impedire.

Brassica poculis certantes coronare facit.

buntur, quàm recti ad illam propiùs accedant, intestinæ discordiæ non immemores. Porrò, scitu indignum non est quod Athenæus commemorat, Athenis olim brassicam pro cibo parari solitam puerperis mulieribus, amuleti cuiusdã vice. Penè præterieram quod apud Suidam legi, nimirum crambem seu brassicam in suis conuiuijs priscos adhibuisse, sed recoctã, adeò vt nauseam adferret, abirétque in hoc fastidij prouerbium, δὶς κράμβη θάνατος. Fit ex cinere brassicæ aqua diluto, sal: nã habet nitrosam, vt diximus, substantiam, cuius beneficio, si modicè coquatur, aluum sumpto iusculo, vt in Horto nostro medico scribimus, soluit. Hoc de multis sit postremum, Semen brassicæ vetus in raphanum degenerat. Ex quo nescio an factũ hîc fuerit, quòd antiqua Gręcia brassicam raphanum appellarit, & hunc cum illa confuderit. Autores sunt cum Aristotele, Theophrastus, Iulius Pollux, & alij. Hæc de brassica satis erunt, vt alijs suum demus locum.

Brassica puerperarum cibus.

Brassicam cum raphano confudit vetus Græcia.

Apij cultus, auxilia & secreta.

CAP. III.

APium hortense & satiuum, Græcis Selinon, vulgo Petroselinum, & nostratibus Persilium dici consueuit, perpetua virens fronde, & ex veteri semine (si Theophrasto credis) celeriter emergens. Nam è recenti, hortensium omnium tardissimè prouenit: nimirum quadragesimo die é satu, & quinquagesimo, maiore ex parte, vt scribit Plinius. Sæpius parit, semelq́; satum, pluribus annis restibili fertilitate erumpit. Locis tã frigidis quàm calidis, & terra quali volueris, vt

Apium quo semine celeriter emergat.

Quænam

terra apio idonea.

vt tradit Palladius, gaudet: dũ modò iugis adſit humor, cuius rigatu facilè animetur, vnde nullũ cœlum & ſolum reſpuit. Semine & planta, Columella autore, optimè ſeritur: & ſecundum fonteis ac riuulos commodiſsimè ponitur. Si magnũ & folij latiſsimi illud habere volueris, & Florentinum Græcum auſcultaueris, accipies ſeminis apij quantum tribus digitis ſummis prehẽdi poteſt, & rariore linteolo includes: deinde fimo & terra, breui foſſa obrues: hoc faciens, magnum & latum tibi parabis. Nam ita omnium ſeminum germen, capitis vnius ſoliditate nectetur, vt ſcripſit Palladius, & ante eum Columella. Sed longè maximum naſcetur, vt tradit Florẽtinus, ſi radicibus circunfoſsis, paleas adieceris, ac rigaueris. Criſpum fiet ſi ſemen in pila ante ſationem paulum pulſaueris, exſpoliatúmque, vt vult Columella, terræ mandaueris. Aut, ſi ſuper naſcentis areas cylindrum, vel põdera aliqua volutaueris: aut iam natum pedibus proculcaueris. Florentino ſubſcribũt Iunius Columella, Plinius & Palladius. Qui apium mare & fœmina diſtingui volunt, vt mas folijs conſtet nigrioribus, & radice breuiori: Fœmina verò criſpioribus atq; duris, caule craſſo, ſapore acri & feruido. Sed neutrum Chryſippus medicus, & Dionyſius apud Pliniũ cibis admittendum cenſent (licet eiuſdem Plinij temporibus, vt hodie, per iura largis portionibus innataret, peculiaremq; gratiam condimentis accerſeret) quoniam epulis feralibus dicatum ſit, & ob id nefaſtũ habeatur. Vel, vt Plutarchus ſcribit, quòd apio ſepulchra coronentur. Vnde vetus illud prouerbium, Apio indiget: de eo qui profligata & deſperata ſit valetudine. Caule fœmini-

Quomodo fiat apium folij latiſsimi.

Quomodo maximum fiat apium.

Quomodo criſpum fiat apium.

Apium mas & fœmina.

Cur apium olim cibis interdictum & nefaſtum habitum.

minini vermiculos innaſci tradunt: credúntque eos in ſexu vtroque ſterileſcere, qui ederint: adhæc, in puerperijs comitiales fieri qui ab eo cibo vbera hauſerint. Innocentiorem tamen eſſe marem affirmant: eáque cauſa eſt, ne inter nefaſtos frutices damnetur. Hæc Plinius, fretus veterum ſententia & teſtimonijs. Quibus ex rebus mirandum non arbitror, ſi recentiores medici ex Auicennæ conſilio epilepticis, apio interdicãt: quòd illorũ paroxyſmos & acceſsiones irritet: adhæc, ſi Græci infantulorum nutricibus & grauidis, puerperíſque apium in cibo prohibeant. Quanquam alia etiam ſubeſſe poteſt cauſa, nimirum quòd fœmininos fonticulos impediat, & lactis prouentum extinguat, veſcentesq; ad libidinem promoueat. Sed in his verſatum ſatis, & fortaſſe plus quàm oportuit: oliuiſcebat enim hæc ferè ad verbum in noſtro Alexikepo & medico horto translata eſſe. Finem itaque ſum facturus huic de apio hiſtoriæ, vbi ſcripſero, coquos ſuis obſonijs acetum, & cellarios vino grauem odorem apio in ſaccis eximere: quemadmodum adnotauit Plinius vbique magnus.

Comitiales quomodo faciat apiũ.

Apio quinã abſtinere debeant.

Betæ, Portulacæ, ac Bliti, cura, auxilia & ſecreta. CAP. IIII.

Beta pauperum menſis familiaris, madidum ſolum & putre expetit. Quæ vbi foliorum quinque fuerit, æſtate differri debet, ſi riguus eſt hortus, vt ſcribit Columella: ſi verò ſiccaneus, autumno, cum pluuiæ inceſſerint. Amat frequenter effodi, & multo ſtercore ſatiari. Cui latitudo maior accerſetur, vt affirmat Sotion in Græcorũ

Betæ ſolum, & quando transferre debeat.

Quomodo fiat beta lata & ampla.

georgicis, si priusquam in caulem exierit, pondusculũ apponatur lapidis lati, aut testæ, vel rei alterius. Nam eo onere coërcita, in foliorum amplitudinem se diffundet. Eadẽ candidior euadet, si fimo bubulo recenti, eius radices oblinantur. Quæ si in prunis tostæ fuerint, manducati alij tetrum odorem ac virus extinguent, si superedantur, quemadmodum scripsit Græcus Menander. Est hoc mirum in betæ semine, quòd non totum eodem anno gignat: sed aliquid sequẽte, aliquid tertio: celeriusq́ꝫ proueniat vetere quàm recenti, sicuti rectè adnotauit Plinius. Nec omittendum quòd cùm à brassica vini sapor, vt anteà monuimus, in dolio corrũpatur, odore betæ, folijs demersis reparatur. Addam quòd si acetum subitò fieri voles, tusam betæ radicem in vinũ conijcito per horas treis, in acetum degenerabit. Quod si in pristinum statum redire voles, brassicæ radicem indidisse satis erit.

Quomodo fiat beta candida.

Portulaca quò diligentius colitur, eò latius vagatur, & carnosiore folio constat. Vna est ex hortensibus quæ omniũ ferè iusculis innatat, & pauperũ ac diuitũ mensas oxelæo & sale excepta inchoat, imò verò hyeme primas dapes apud multos, cõdîta illustrat. Fieri aũt solet eius conditura hunc in modum. Crassissimi quicꝫ cauliculi exemptis radicibus leguntur (nam graciles, faciliùs tabescunt madefacti) & aquâ ab arenulis emundantur, decutiturq́ꝫ sordes si quæ inhæsit: ac tantisper in vmbra siccantur, donec aliquantulum flaccescant: alioqui ob humoris copiam marcidi, aut rancidi euadunt. Posthęc acerbarum vuarum succo (omphaciũ vocant) imbuti, substrato viridis fœniculi spissamento, fictilibus vasis, aut dolio-

Portulaca pauperum ac diuitum mensis familiaris.

Portulacæ conditura optima, & facili methodo expressa.

doliolis cõponuntur, & sufficienti sale resperso, interiectoq; rursum fœniculo, vas portulaca impletur: & iterũ spissamento fœniculi contegitur, quod miscellaneam deprimat. His peractis ius quod est temperatum duabus partibus aceti, & vna omphacij infunditur: ita vt ad summum fideliæ, aut vasis labrum perueniat. Ea postremò conditura, penore siccissimo, & à Sole auerso diligenter seruatur: ne situ loci mucorem contrahat. Quem etiam vitabis si portulaca non enatet, sed suo iusculo semper sit immersa. Dum vsus exiget, aqua tepida, aut vino exemptum salgama eluetur, & superfuso oleo apponetur mensæ, ad excitandam conuiuarum appetentiam, & restringuendum ventriculi, vel iecoris æstum, si quis aderit.

Conditurę loco humido repositæ mucoré contrahunt & vitiantur.

Blitum duorũ est generum, rubrum seu nigrũ, & album: rubro caulis et folia rubescunt, vt coccineo colore infecta videantur, etsi temporis tractu purpurescant, ac tandem nigrescant: ex quo etiam blitum nigrum quibusdam dicitur. Albũ betaceis constat frondibus & folijs, absque vlla acrimonia fatuis. Vtrunque ex eorum est genere quæ in horto celerrimè proueniũt, vt tradit Plinius. Seritur solo qualicunque, sed culto: quod cùm semel enatum fuerit, ipsum se per multa secula seminis deiectione reparare solet: adeò vt si abolere velis, vix posſis. Vnde semel satũ, pluribus annis restibili fertilitate prouenit, nec runcari, nec sarculari flagitans, quemadmodum scripsit Palladius. Sed hîc non arbitror tacendum, quòd prisci betam cum blito confuderuut: ex quo eam Martialis fatuam, seu insipidam hoc disticho appellauit:

Bliti rubri & nigri descriptio.

Blitum semel satum vix aboleri potest.

Vt sapiant fatuæ fabrorum prandia betæ,
O quàm sæpè petet vina, piperq́ coquus.

Nam re vera sapore est nitroso, & non fatuo aut insipido, vt blitum.

Asparagorum hortensium cura, auxilia & secreta. CAP. V.

Asparagi solum & satio.

ASparagus altilis & satiuus, gaudet solo pingui, humido & subacto. Seritur, vt Didymus tradit in suis Græcis georgicis, verno tempore, fossulis trium digitorum, in quibus bina, ternáve grana, semipedis spatio discreta, ponuntur. Quæ nullo cultu vexari debent anno primo: sola runcatione, herbarumq́ extirpatione contenta. Sed de asparagorum satione & generatione satiùs fuerit audire consentientes præceptiones M. Catonis, Columellæ, Plinij, ac Palladij.

Vera asparagorum satio antiquis probata.

Semen, inquiunt, quantum tres digiti prehendere possunt, pingui & stercorata terra, singulis scrobiculis ad lineã directis, imprimatur & leuiter obruatur. Post quadragesimum diem radiculæ sic inter se implicabuntur, vt in vnitatem coiisse videantur: spongias prisci olitores nuncuparunt. Si sicca fuerint loca quibus dicta semina cõmittere satagis, fimo macerata imis sulcorum partibus ita erunt disponenda, ac si in alueolis manerent. Contrario fiet modo in vliginosis: nã in summo porcæ dorso collocanda erunt, ne nimio lædantur humore: qui suo transitu tantùm rigare debet, & non mora inebriare. Sic consita semina, anno primo asparagum dabunt: quem infrin-

De locis quibus cõmittenda sunt asparagorũ semina.

infringi oportebit. Si enim ab imo tentes euellere, tenellis adhuc, inualidísque existentibus radiculis, tota spongiola sequetur. Quæ per biennium in suo seminario stercore & assidua runcatione nutrienda est. Reliquis annis non erit decerpendus asparagus, sed radicitùs vellendus: vt suæ germinationis oculos aperiat. Nam nisi ita fiat, stirpes præfractæ, spongiarum oculos augebunt, & quasi excœcabunt, nec patientur asparagum emittere. Illum seruabis de quo sumpturus es semina: posteà scopas eius & scorpiones incendes; deinde circa hyemem spongijs cinerem, ac stercus adijcies, quod M. Cato ouillum esse debere scribit. Est & alter serendi modus per spongias, quas post biennium in apricum & bene stercoratum locum transferri conuenit. Fiunt sulci pedali mensura inter se distantes, nõ amplius dodrantalis altitudinis: in quibus spongiolæ ita deprimuntur, vt facile superposita terra germinẽt. Vere autem priusquam emergere cœperint, bicorni ferramento (quod capreolum vocant) terra commouenda erit, vt stylus faciliùs emicet, & relaxata humo radix plenioris fiat crassitudinis. Idem M. Cato sarriri ac runcari iubet, sed ita ne sarriendo vexentur radices, aut runcando: alioqui infirmæ conculcantur. Cæterùm per hyemẽ teneris stramentis asparagorum syluula operienda erit, ne rigore peruratur. Quæ vere nouo aperietur, & stercore saturabitur, ac exhilarabitur. Didymus in Græcorũ geoponicis tradit, & post illum Plinius, asparagos plurimos nasci tusis agrestium arietum cornibus, vel in particulas sectis, aut derasis, & sulcatim defossis, necnon crebrò irrigatis. Quod licet Dioscoridi non placeat,

Quomodo rite tractari debeant asparagi.

Quomodo serẽdi asparagi per spõgias.

Quomodo runcandi & sarriendi asparagi.

Quomodo absq; semine nascantur asparagi.

verissimum nihilominus esse, experiundo fateberis. Non desunt qui longè mirabilius tradant, nimirum quòd integra arietum cornua, nō contusa, nec in particulas secta, si perforentur & pangantur, asparagos producent. Quos si tibi in animo fuerit toto anno edules inuenire, vbi fructū legeris, vt idē scribit Didymus, radices quæ summo cespite vagantur, circunfodiens aperies. Sic enim tractata plantula, nihil cunctabitur nouos cauliculos & asparagos proferre: qui aqua & iure pingui leuiter decocti, saléque & oleo, aut butyro conspersi, addito aceti momento, summa cum voluptate manducabuntur. Sed hoc loco dissimulandum non arbitror, quòd modicam coctionem postulant asparagi: nam diutius percocti, in tabem abeunt. Ex quo Imperator Drusus, celerem rei successum demonstrare volens, dicere solebat, citius fieri quàm asparagi coquantur. His pisciculos in cōuiuijs circundare moris fuit veteribus, vt testatur Iuuenalis in hunc scribens modum,

Quomodo toto anno edules inueniantur asparagi.

Asparagos modicam coctionē postulare.

Quæ fertur domino squilla, & quibus vndique septa
Asparagis?

Ad conditurarn venio. Cauliculi sale consperfi & in alueis compositi, biduo sub vmbra sinūtur desudare: deinde suo iure proluuntur, modò satis humoris remiserint: si minus, muria lauantur & imposito pondere exprimuntur. Postea in vase, aceti partes duas & vnam muriæ continente, demerguntur: indito fœniculi aridi spissamento, vt & cauliculi deprimi possint, & ius vsque in summum fideliæ labrum peruenire. Hîc non omittam quòd Græci herbarum & fruticum germina ante florem erumpentia, asparagos, nomi-

Asparagorū cōditura, & repositio in hyemem.

ne

ne largè sumpto, nuncuparunt: quasi ex incultis virgultis natos: hinc Martialis illud,

Mollis in æquorea quæ creuit spina Rauenna,
Non erit incultis gratior asparagis.

Sed nos de hortensi asparago, vt de plantis reliquis, hîc scribimus.

Rutæ hortensis cura, auxilia, & secreta. CAP. VI.

Etsi planta hæc ad osculenta olera parum attinere videatur, scribam nihilominus de illa, vel ob id quòd nulli sint hodie horti tam vrbani, quàm agrestes, qui eius fruticem perpetuò virẽtem, ac grauiter olentem non agnoscant. Itaq; de illius cura & cultu hunc in modum præcipit Columella. Rutam autumno semine satam differre oportet Martio mense in apricum, & cinerem aggerare, runcaríque donec conualescat, ne herbis suffocetur. Quod suæ Italiæ, non septentrionali nostræ Galliæ scriptũ voluit. Vt vt fuerit, sata semel velata manu runcari debet: quam nisi contexeris, perniciosa nascentur vlcuscula, quemadmodum post Dioscoridem Plinius adnotauit, si tamen per ignorantiam nuda manu runcaueris, & prurigo atque tumor incesserit, oleo subinde perunges. Id quod de florente syluestri & montana ruta multi intelligendũ censent. Loca desiderat altiora, vnde humor elabatur, vt tradit Palladius. Cuius semina si ponas adhuc clausa folliculis, manu debebis singulatim affigere: si iam minuta sunt & exclusa, sparsim iactabis, ac rastro obducta operies. Caules eius qui ex semi-

Cura & cultus rutę hortensis.

Rutæ periculosa runcatio.

Quomodo serẽda ruta.

ſeminibus inclusis emergent, fortiores erunt, ſed ſerò naſcentur. Planta hæc humorem odit ac fimum, ſolo cincere contenta, éſtque hyemis impatiens: quapropter apricis locis & ſiccaneis ſeri debet, cupitque per frigora cinere contegi, vt naturali eius colore gelicidijs reſiſtat. Si ſalſis aquis irroretur, lætior proſiliet, vt ſcripſit Theophraſtus: ſed ferro tangenda non eſt, niſi perniciem illi accerſere voles. Seritur non ſolùm ſemine, vt diximus, ſed etiam ſurculo, & ſeipſa. Nam incuruato rami eius cacumine, cùm terram attigerit, ſtatim radicatur. Tota planta translata, plerunque moritur: & ramuli cum aliqua parte corticis reuulſi verno tempore, pro plantis ſolent conſurgere. Annis pluribus frutex iſte innoxius perdurat, niſi mulier quæ in menſtruis eſt, illum contigerit, aut excoluerit: nam paulatim areſcit, ſicuti adnotauit Florentinus, rei ruſticæ apud Græcos conſultiſsimus, & poſt illum Latinæ agriculturæ doctores diligentiſſimi, Columella, Plinius, & Palladius. Sunt qui pertuſæ fabæ, aut perforato bulbo, eius ramulos pangunt, atq; ita adobruunt alieno vigore, ſucco & odore ſeruandos ac enutriendos. Alij maledictis inter ſerendum proſequuntur, maximè in terra ſoluti lateris: quod cũ Plinio prodeſſe affirmat Palladius. Sed meliùs & fertiliùs, ijſdem autoribus, furtiua prouenit: ac ſub fici arboris vmbra libentiùs acquieſcit. Eámque ob rem Theophraſtus optimã rutam ac probatiſsimam putauit, quæ ficulneo cortici defixa, terra obruitur. Quod Plutarchus in Sympoſiacis agnouit, hũc in modum ſcribens: Ruta quæ ſub ficu proſilit, aut illi adnaſcitur, ſuauior habetur & ſapore melior. A quo non longè receſſit Dioſcori-

Rutæ amiciſſimus cinis: ſed ferro tãgi non vult.

Ruta menſtruatę mulieris contactũ valdę refugit.

Ruta in faba aut bulbo ſeritur, vt graueolentiam deponat.

Vbinã optima naſcatur ruta.

Rutę cũ fico ſumma amicitia.

ſcorides, eam cibis commendans, quæ propè arborem fici creſcit, & quamcunque aliam ferculis abdicans. Hinc illa nimirum rutæ cum fico sympathia & amicitia à Plinio celebrata: & eiuſdem rurſum cum cicuta mirabilis antipathia: probabili argumento, quòd rutam colligentes, cicutæ ſucco manus armant, ne pernicioſis vlceribus, vt paulò antè monuimus, ab ea infeſtentur. Muſtela cum ſerpenti dimicatura in murium venatu, vt idem tradit Plinius, rutam, ceu alexipharmacon quodpiam, priùs edit. Ex quo rutam faſcinationis amuletum eſſe, appoſitiſſimè ſcripſit Ariſtoteles: falsóque putauit Pytagoras, oculis nocere, vel ob id quòd ſcalptores & pictores, oculorum cauſa, in cibo illa fœliciter vtantur, vt docuit Plinius: non omittens, ſerpentes huius nidore abigi, & procul ab illa ſtabulari. Hæc poſtrema ſint. Feles ab auiarijs arceri traduntur, pullis gallinaceorum ſucco rutæ perfuſis: aut illa, vt multis placet, vndéquaque armatis. Quod facili experientia probabis: perinde atque id quod Democritus prodit, nimirum culices abigi & ne accedant impediri, ſi rutæ virentis ramo, eius decoctum per domum ſparſeris. quod multi etiam ad pulices detorquent: vnde tritum illud Cocta facit ruta de pulicibus loca tuta. Sed & illud memorabile eſt, quod ſcribit Arnoldus Villanouanus: Rura, vel chelidonia albo aceto pauco: aut vino, vel roſacea aqua excepta & calefacta, vapidum fumum exhalat, qui ſi vaſe vitreo ſuperpoſito guttatim colligatur, vtilis eſt ad oculorum morbos. Sed de his fuſius in noſtro Alexikepo.

Rutę cũ cicuta odiũ & inimicitia: vt adhæc cum ſerpente.

Rutam oculis nequaquã nocere.

Quomodo feles ab auiarijs arceantur.

Quomodo culices & pulices abigantur.

Oxalidis ac ſpinaceorum cura, auxilia & ſecreta. CAP. VII.

Oxalis duplex, & vnde dicta.

OXalis ozella Gallis dicta, ab acido ſucco nomen habet: vnde apud multos acetoſa etiam dici ſolet. Duorum eſt generum, maior nimirum & minor. Semen vtrique idem, pręterquã quòd maius maiori, minus verò minori ineſt. Rumex ſatiuus Latinis, & Lapathon (nomine à Gręcis mutuato) appellari ſolet. Licet multa ſint lapathorum genera & differentię, de quibus hoc loco agere non conſtitui. Tam viuax eſt oxalis vt ſemel ſata nunquam vitietnr in terra, maximè iuxta aquas. Huic caulis eſt ſubteres humiliter fruticans, & folia habens in cacumine acuta, ſed minus quàm oxilapathum. Semen rubrum in mucronem acuminatur, & foliaceo veſtitur inuolucro. Planta hęc iuribus affatim innatare, & in acetarijs ſingularem gratiam habere ſolet. Quin & carnibus intingendis iucundum ſucci viridis accrementum ſubminiſtrat: nec aliud in obſonijs maiorem ſibi vendicat autoritatem. Omnes ferè quòd gratum acorem palato repræſentet planta ea, acetoſam, vt diximus, nuncuparunt: quo per æſtatem nihil iucundius, & diuitum ac pauperũ menſis frequentius eſſe conſueuit, ad promouendam appetentiam. Spinacea veteribus incognita fuiſſe demirandum eſt, cùm & pauperum & diuitum menſas adeò onerent, vt etiam verna iejunia ſaturent. Non ſum neſcius quoſdam illa Chryſolachanon dixiſſe: alios Seutlomalachon, (quaſi dicas maluaceam betam) alios verò atriplicis Hiſpanienſis nomine donaſſe: quàm verè & rectè, iudicent eruditi. Spinacea Latinis dicta pu-

Viuax oxalis & eius deſcriptio ac pictura pulcherrima.

Oxalis vſus & commoditas.

Oxalis omnium menſis familiaris.

Spinacea veteribus incognita.

puto, quòd tam glabræ & mollis herbæ semen in spinas occalescat: quæ nomenclatura postmodum in recentiorem Græciam venit. Planta hæc vernalibus ieiunijs est aptissima: ideoque per Ichthyophagiam seu quadragesimam frequens esse solet. Nullum solum respuit, quocunque loco lætissimè proueniens. Seritur nobis Februario mense & Martio: exítque septem diebus à satu: folio primùm triangulo & molli, mox intubaceo, & plerunque qua hæret pediculo, laciniato: inerti sapore, exigua radice, tenuibus capillamentis fibrata, caule cubitali & nonnunquam altiore, intus cauo, floribus in vertice rotundis & racematim coeuntibus ac semine spinulis horridulo, necnon minacibus aculeis armato. In huius genere fœmina quidem floret, sed semine sterilescit. Olus hoc purgatum & elotum, abiectis radicum capillamentis citra aquam elixari postulat: nam magnam vim humoris inter coquendum effundit: aspernatúrque ius alienum, proprio cõtentum: aliter si coquas, natiuum & genitalem illius succum perdis, ac temerè inebrias. Abacto lentore post elixationem, quibusdam ligneo gladio, aut aliter, percutitur & subinde versatur: posteà in manuales globos & sphærulas herbaceas (expressa penitus sanie) redigitur, & patinis in oleo optimo vel butyro frigitur, addito omphacio & piperis tusi momento, vt magis palatũ titillet. Sed hîc olitorem, non coquum agimus.

Spinacea vnde nuncupata.

Spinaceorũ cura, cultus, satio, & historia.

Spinaceorũ pręparatio & conditura.

Summè notanda delicatulis.

RADICES ESCVLENTAE.

Porri cura, auxilia & secreta.
CAP. VIII.

Radi-

Porri ſatio & locus.

RAdices hortorum eſculentas deſcripturus, porrum imprimis expediam: quod ſeri debet loco læto, & maximè campeſtri, vt ſcripſit Palladius: adhæc area plana, altè paſtinata, diu ſubacta, & ritè ſtercorata.

Genera duo porrorum.

Huius genera duo ſignauit antiquitas: capitatum, quod in caput, vt cepa, extuberat: & ſectiuum, longum ac rectum: cui frondens coma ſolo tenus amputari ſolet, vnde nomen.

Sectiuũ porrum quomodo fiat, & excolatur.

Poſtremum qui comparare volet, poſt duos menſes quàm ſatum eſt illud in ſua area ſecare debet. Durabit autem, Columella autore diutiùs, multóque melius euadet, ſi transferatur: & quoties ſecabitur, aqua iuuetur ac ſtercore. Verùm vſus docuit, ſicuti ille idem ſcribit, vt translatum, eodem more quo capitatum, modicis ſpatijs, hoc eſt, inter quaternos digitos, depangatur, & vbi conualuerit, deſecetur. Rigari autem & ſtercorari, ac ſarriri toties debet, quoties demetitur: éſtque ſarculandus ſæpenumerò locus vbi alitur, adhæc herbis extricandus.

Capitatum porrũ quomodo fiat.

Si capitatum facere voles, antequam translatum deponas, diligenter tibi erit obſeruandum, vt radiculas omneis amputes, & fibrarum parteis ſummas detondeas: deinde teſtulas, vel conchas, quaſi ſedes ſingulis ſubiectas, ſupponas, & ita obruas, vt fiant latioris incrementi capita: quo ſtatu Sotion Grȩcus rigari prohibet.

Modus alter vt fiat porrũ capitatum.

Palladius poſt Plinium, vbi porrum digiti craſsitudinem eſt adeptum, præciſis folijs à media parte, & truncatis radiculis, ne delumbatæ alant & diſtrahant, tum demum transfert, ac fimo liquido oblitum, quaternis vel quinis digitis ſeparat: atque vbi radices egerit, modicè comprehenſum, ſarculo alleuat: vt ſuſpenſum à terra, quod ſpatij vacuum

subter

ſubter inuenerit, capitis vaſtitate cogatur imple-re. Et, vt paucis rem iſtam cõcludam, ſi ſectiuum voles habere, ſpiſſiùs ſeres: ſi capitatum, rariùs: aſſiduáque ſarritione exhilarabis, ac liquido ſtercore ſaturabis. Fiet autem incrementũ multò maius, vt poſt Columellam ſcripſit Palladius, imò verò ante vtrunque Græcus Sotion, ſi raris linteolis, aut detritis panniculis, complura grana immiſeris, deinde ſtercore ac terra obrueris, ſtatimque rigaueris. Totus enim ſeminum vnitus aceruus, in magnum a prodigioſum porrum euadet. Quod etiam in alijs plantarum ſeminibus experiri poteris. Res eadem continget, ſi porraceo capiti ſemen rapi, abſque ferro immittas, & ita pangas: nam ſic multùm fertur increſcere, de Græcorum & Palladij ſententia. Non deſunt, qui dum transfertur, eius capiti, ligneo ſtylo vel arundine aut aliter citra ferrum puncto & aperto, cucurbitæ ſemen, loco rapi, intrudant. Alij ſemina, quã ta capi poſſunt tribus digitis, fimo oblita & prætenui calamo clauſa, terræ committunt. Quæ res ſuperioribus planè conſentit. Laudat, probátque idem Sotion Græcus, ſtatim atque ſatum fuerit porrum, puluinos arearum eius, & ſulcos pedibus proculcari: triduúmque, ac ſi negligeretur, minimè rigari: quarto verò die, aquæ aſpergine iuuari. nam ita perbellè adoleſcere tradit. Cæterùm, ſi inter ſerendum aut plantandum, arenam terræ miſcueris, pleniſſimum habebis ac vberrimum. Addit ille idem Sotion, quòd qui cuminũ præguſtauerit, fœdum porri odorem nunquam expirabit, etiam ſi larga manu porrum manducauerit: nam eius eſu, grauis halitus extinguitur. Vnum hîc reſtat, ex Petro Creſcentio cognoſcen-

Quomodo fiat magnum & prodigioſum porrum.

Modi varij vt porrum excreſcat in caput.

Porri cultura ex Sotione Græco.

Porri comanſi odor quomodo vitetur.

dum, nimirum quòd semen porri in vinum proiectum, efficit ne vinum acescat: imò verò vt acetum in vinum redeat, hoc est, acorem omnem exuat. Facilis est experientia, quæ his finem faciet, vbi monuero porrum duodeuigesimo die à satu plerunque prodire, & bimatum duntaxat perferre: ab eo tempore sementescere ac emori.

Semen porri efficere ne vinum acescat.

Allij cura, auxilia, & secreta.
CAP. IX.

ALliũ inter ruris pulmentaria celebratum, terra gaudet maximè alba, fossa & subacta sine stercore. Cuius cohærentium spicarum diuortia liratim seri debent, arearum puluinis impacta, quo minus aquis infestentur. Liras autem similes porcis facies, quas in agris rustici concinnant, vt vitent vliginem: sed multò minores esse debent. In quarum dorso nuclei palmari spatio distantes, non altè depangentur, nec castellatim, vt multi faciũt, grumulis imponentur. Qui cũ ternas fibras, seu folia tria emiserint, sarriri debent: nam grandescunt, quo sæpius id factum fuerit. maiúsque incrementum accipiunt. Plinius semine etiã prouenire scribit, sed tardè. Primo enim anno porri crassitudine caput efficitur: sequenti diuiditur: tertio consummatur: pulchriusq; tale existimant quidam. Si vastum & capitatum facere voles, antequàm vllum emittat cauliculum, viridem omnem eius comam intorquebis, ac humi prosternes. Palladius, scapũ, vbi prodire cœperit, in terram depressum obruit: atq; ita cauet ne in frondem luxuriet: deinde proculcat, vt succus ad spicas reuertatur, & vastum caput faciat.

Quando sarriendum allium.

Semine allia tarde prouenire.

Quomodo fiat vastum & capitatum allium.

Quod

Quod vnum etiam Plinius prior adnotauit. Sotion in rusticis Græcorum obseruationibus, ad hæc Palladius & aliquot alij tradunt, quòd si allia terræ committantur, & ex eadem eruantur, Luna sub horizonte latente, virus odoris exuēt, & mandentium halitum nullo modo vitiabunt. Quod paulò aliter Plinius interpretatur: tradens allia in eam rem seri debere, cùm Luna sub terra fuerit: & colligi, dum Soli coniungitur. Pollicetur ille idem Græcus Sotion, allia dulcescere, si in plantando oliuarum nuclei illis commiscean-tur & conserantur: aut fractæ leniter spicæ, terrę tradantur: vel in pangendo, olearum fraces adhibeantur. Prodit & Didymus adnotante Ruellio, vel potius Sotion, vt meus habet Gręcus codex, tędium halitus à manducatis alliis conciliatum, aboleri, si cruda faba illis superedatur. Alij, betæ radicem in prunis tostam supermanducasse, satis supérque esse putant: eo siquidem remedio virus mentiri & tegi, Menāder è Græcis apud Plinium pollicetur. Nostrates apio viridi fastidium illud deponūt. Antiquorum plerique promittunt, allia diutissimè duratura, & vsui meliora futura, si vel paleis condātur, aut fumo suspensa exponantur. Sunt qui illorū capita aqua salsa tepida paulisper intingant, siccent, & ita recondant. Sed hoc & illo modo, in satu plerunque sterilia euadunt. Aliis satis est super prunas siccasse, ne germinent. Plinius saporis austerioris illa esse tradit, quæ plures habuerint nucleos: additque nullam odoris fœditatem coctis inesse, perinde etiam atque cepis. Nec omittit pręsumēda esse allia albū elleborum effossuris, nisi periclitari velint. Est alliū syluestre, quod ophioscorodon Græci nuncu-

Quomodo allia virus odoris deponant.

Quomodo dulcescant allia.

Quomodo tædium à manducatis alliis conciliatum citò abolétur.

Quomodo allia diutissime seruentur.

Allia saporis austerioris.

Lac allia redolens cū suis caseis.

Lac allia redolens cum suis caseis.

pant in aruis ſponte naſcens, quo pecudum lac, quæ comam eius depaſtæ fuerint, allia ſubolet: Quid, inquam, lac? imò verò caſei qui ex eo coaluerint, odoris grauitatem illam præ ſe ferunt, rura allium agreſte & ſerpentinum vocant. Quod decoctum, ne renaſci poſſit, aduerſus improbitatem alitum ſemina depaſcentinm, tutò proijci libro ſuperiore admonuimus, ſcribentes à Plinio alum appellari. Sed mirabile quippiam occurrit hoc loco non tacendum: nimirum quòd muſtelæ & ſciuri tentato allio dentibus, vix audent in poſterum mordere, cicuréſque hoc modo fiunt. Eſt & illud memorabilius & multò mirabilius quod Volateranus prodit, ſuo tempore inuentum fuiſſe ruſticum ore aperto in agris per meſſes & fœniſecia dormientem: qui cùm ſerpentem per hiantes fauces imprudenter admiſiſſet: ſeſe ſtatim commanducatis allijs, ceu præſenti amuleto, curauit. Virus tamen ac mortem, vxori (res mira) in coitu ſtillauit ac trãsfudit. Sed hoc etiam in allio memorabile eſt, quòd ſi cum ſalſugine coquatur, curculiones leguminum efficaciter interimit, modò horreorum parietes & pauimenta his miſcellaneis imbuantur. Hîc etiam mihi ſilentio diſſimulanda non eſt celebris illa magnetis & allij diſcordia, quam Græci antipathiam nuncupant, ſicuti alibi docuimus, oſtendimúſque tantùm inter has res ſurdas & ſenſu carentes odium ineſſe, vt magnes ferrum negligat, nedum alliciat, ſi allio confricetur: quemadmodum Plutarchus adnotauit, & poſt illum Claudius Ptolemæus.. Quæ res, cum ſępenumerò & mihi, & amicis meis aliter probata & explorata fuiſſet, eò me duxit, vt facilè crediderim viros illos eximios, & in

Mirabilis hiſtoria & ſummè notanda.

Allij cũ magnete celebris diſcordia.

& in primis Ptolemæũ nequaquam de communi opinione id dixiſſe, quin potius de ſuo Aegyptiaco allio rem eam intellexiſſe. Quod Dioſcorides paruum eſſe ſcripſit, adhæc dulci, ſingularique capite ad purpuram vergente. Non deſunt qui id ophioſcorodo tribuant, quod Antonius Microphonius Biturix, amicus noſter, qui rerũ experimenta diligenter perſequitur, ſe probauiſſe nuper ad me ſcripſit. Illud poſtremum eſto, allia arborum ramis appenſa, accedẽtes ad fructuum deprędationem auiculas longè arcere ſolent, vt in Græcorum georgicis à Democrito adnotatum legi.

Summè notãda & animaduertenda.

Ceparum cura, auxilia, & ſecreta.
CAP. X.

CEpas corpus habere pluribus cartilagineis tunicis compactum, & reuolutum, nemo eſt qui ignoret. Veteres ruſtici, vt teſtatur Columella, vniones nuncuparunt: quia vno & ſingulari conſtant capite, multis, vt allium, bulbis nequaquam coagmentato. Quod nomen apud noſtrates Gallos, velut triuiale hactenus vſurpatur. Terram deſiderant pinguem, vt ſcribit Palladius vehementer ſubactam, irriguam & ſtercoratam, necnon rubram, vt Sotioni Græco geoponico placet. Quæ prius proſcindi debet, vt hyemis frigoribus & gelicidijs putreſcat, ſicuti tradit Columella: deinde ſtercorari, & mox bidentibus æqualiter perfodi, ac in areas diſponi, omnibus herbis euulſis, & earum radicibus deletis. Quo facto, Martio menſe, placido & ſereno die, auſtro vel euro flante, ſemina ritè ſpargentur: ſatureia

Cepæ cur vniones vocentur.

Quæ terra ſerẽdis cepis accõmoda.

Quo tẽpore & quomodo ſeri debeant cepæ.

illis intermiſta, vt vult Plinius, quoniam ſic melius proueniunt. Sotion Græcus admonet eum qui cepas plãtaturus eſt, caudas & extremitates, fibráſque omneis, & comam omnem auferre debere, vt magnæ & capitatæ euadant. Alij folia tantùm radice tenus vellunt: nam ita ſuccum ad inferiora tranſmittunt. Sed rariùs hoc modo poni debent, Palladio autore: & rũcari ac ſarculari, ſi nõ ſępius, ſaltem quater, vt tradit Plinius. Qui etiam pæcipit ter ſolum fodi debere, antequam ſerantur. Si Luna minuente ſeris, tenues & acriores habebis: ſi creſcente, robuſtas & ſaporis humecti, domito accremento. Cæterùm, illud nec ignorandum, nec prætereundum cenſeo, qùod in omni ceparum genere, oblõga acrior eſſe ſolet quàm rotũda: & rufa, quàm cãdida: ad hęc ſicca, quàm viridis, & cruda quàm cocta: nec nõ recens, quàm ſale condîta, aut elixa. Lõgé autem maiores habebis, ſi cum translationi locus eſt, deponantur in terra viginti diebus antè ſubacta, & tantiſper reſiccata, dum omnis humor exhauriatur, ex ſententia Sotionis Græci. Qui idem fieri etiam pollicetur, ſi detractis tunicis, nuda ceparum capita terræ committantur. Sunt qui affirment illarũ ſemina ab auibus nequaquam attingi, ex quo negant terra obrui debere. Quod Ruellius malè ex Palladio collegiſſe videtur: nã anetho id adſcribit, & nõ cepis. Quarũ ſemina, ſi ritè voles excipere, & opportunè legere, cùm virentes illę caulem agere cœperint, humilibus cãteriolis, vt docet Columella, ſtylorum rigorem conſeruabis, ſcapóſque leuibus adminiculis in modum iugatarum vitium præfulcies: alioquin thalli ventis agitati proſternentur, deturbatiſq; ſcaporum cacuminibus, totum ſemen excutie-

Quomodo magnæ & capitatæ euadant cepę.

Quomodo tenuis & acrior fiat cepa, & cõtra.

Quomodo maxima & ampliſsima fiat cepa.

Semina ceparum ab auibus non attingi: & quãdo legenda ſint.

tur. Quod non antè legendum est, quàm nigrum colorem præ se ferat: sicuti post Græcos, & Columellã tradidit Palladius. Incorruptę autem diu vigebũt cepæ, vt adnotauit idem Sotion, si in calidam aquam, vel, vt Plinio placet, salsam & tepidam immergantur, deinde insolentur donec penitus succescant, hordeaceísque paleis recondantur, ac ita reponantur, vt nulla ex parte sese contingant. Nostrates fumo & foculo expositas suspendunt, ac idem assequuntur. Quod priscis, vt multa alia, acceptum ferre debent. Si cepas ad portentosam magnitudinem in caput extuberare voles, semen illarum seminibus cucurbitæ includes, & cum fimo optimo terræ diligẽter subactæ committes. In eandem magnitudinem etiã luxuriabunt, si effossa in circuitu terra, illorum capitula, attollendo, erexeris: ita tamen ne erádicentur, vt in porro scripsimus. Idem etiam obtinebis, si caput cepæ peforaueris, & in illud cucurbitulæ semen immiseris, ac terræ vtrunq; remiseris. Sed hoc loco non putaui omittẽdum, quòd si ceparum semina opportunè seminaueris, in caput quidem crescent, sed minùs seminis reddẽt. Si verò capitula seueris, inarescẽt cepeta, vel vt aliis placet, capita, & in caulẽ rotũdabũtur. His addo, quòd solo erutæ & humi iacẽtes cepæ, aut laqaribus appensæ, diutius in aêre viuũt: imò verò, si Aristoteli credimus, solstitio, vt pulegiũ, & alia pleraq;, ibidẽ florent: quasi ancipitis sint vitę, modò ex terra, modò ex aere nutrimentũ capescentes. Sed facilé extra terrã germinant, & humoris illectu gestiunt: verùm acto coliculo flaccescũt.

Quomodo incorruptę seruentur cepę.

Quomodo ceparum caput in portẽtosam magnitudinem extuberet.

Cepas diu in aere viuere, & ibidem quandoque florere.

Nuces aduerſari cepis & cur iuxta coronarias herbas ſerãtur.

Quibus Plinius nuces aduerſari, & cepaceum ſaporem lenire ſcripſit. Audio multos iuxta coronarias herbas, cepas & allia ſerere, ad excitãdam conciliandamque odoris ſuauitatem: ídque ex Plinij & veterum conſilio non vſquequaque aſpernando. Verumenimuerò, hoc loco valdè admirandum occurrit, quòd cepa ſola olerum omnium, vt tradit Plutarchus, Lunæ damna non ſentit: habètque augendi & minuendi vires illi contrarias. Nam reuireſcit & regerminat decedente ac ſeneſcente Luna: inareſcit verò ac marceſcit eadem adoleſcente. Ex quo Peluſiotę Aegyptij ſacerdotes cepas religiosè cibis abdicabant.

Cepa olerũ ſola Lunæ viciſſitudines nouit aduerſas.

Cùm ergo fruges, herbæ, arbores & animalia ſyderis huius damna & incrementa ſentiant, ſola cepa viciſſitudines nouit aduerſas. Huius condituram ad hyemẽ ſic parabat Columella. Cepam, vel aſcaloniam (quibus communia ſunt omnia) quæ non fructificauit, nec ſoboles habuit adhærentes, eligebat, & in ſole prius ſiccatam, deinde in vmbra refrigeratam, ſubſtrato thymo vel cunila, in fidelia componebat: & infuſo iure, quod erat aceti partium trium, & vnius muriæ, faſcicu lum cunilæ ſuperponebat, ita vt cepa deprimeretur. Quæ cùm ius ebiberat, ſimili miſtura vas replebat, & loco idoneo, vſui ſeruandum reponebat. Hoc, licet puerile, non omittam, quia à Cardano viro docto adnotatum. Literæ ſucco ceparum deductæ & formatæ planè inuiſibiles ſunt: quæ tum demum ſe prodent, cùm papyrus aut res alia inſcripta, excalfacta fuerit & igni admota.

Ceparũ conditura ad hyemem.

Radi-

Radicis seu raphani cura, auxilia, & secreta.

CAP. XI.

SAtiuus raphanus, altilísve radix, notior est quàm vt hic à me explicari debeat: nam plerique omnes, cùm diuites, tum pauperes, vrbani et agrestes, dum cibi fastidio vrgentur, edendi appetentiam ea radice excitãt: illam in taleolas vel orbiculos digerentes, & aqua ac sale imbuentes. Cuius talis debet esse cura, Columella autore, vt terra stercorata & subacta eius semen obruatur: atq; vbi incrementum aliquod radix admiserit, subinde exaggeranda est terra. Nam si nudetur, ac Soli & aëri exponatur radix, dura fiet & fungosa, vt tradit Plinius, qui terram solutã & humidam illi præscribit. Palladius tophum ac glaream reformidare dicit, & cœli statu nebuloso gaudere: prætereà quòd seri debet spatijs grandibus & altè fossis post nouam pluuiam, nisi fortè humidus ac rigationi aptus fuerit locus. Quod satum est, statim debet operiri leui sarculo, nec est ingerendum aut inijciendum lætamen (quanquam aliter Columella) sed paleę, vt posteà dicemus. Vulgus Gallicum Rauen, & Reforum aut Raphum nuncupare solet. Sæuiente hyeme rarior est apud nos huius cultura: nam frigorum est impatiẽtissimus raphanus, qui violatus gelicidijs aut flaccescit, aut emoritur. Plinius tamen frigore adeò gaudere scribit, vt quandoque visus sit in Germania raphanus qui infantium pue rorum magnitudinem æquauerit. Aristomachus hyeme folia detrahi iubet, eáque ne lacunæ stagnent accumulare: nam ita in æstatem grandescet radix. Vt vt fuerit, certum est frigoribus cre-

Raphanum lapsam appetentiã erigere, & eius vsus.

Raphani cultus & terra.

Quomodo & quando seri debeat raphanus.

Raphani Gallica nomina.

Frigoris impatiẽtissim9 raphanus.

Frigore ra-

phanũ dulcescere.

scere ac dulcescere, vti rapa, siquidem durare possit: frigus enim incrementum in radices non folia conuertit: & si illas tum lignescere apud multos, Theophrastus prodit. Raphanus iucundior esse solet, ac palato gratior detractis folijs antè quàm decaulescat planta, vt Plinius adnotauit. Folium autem quò leuius erit, eò suauiorem & mitiorem præbebit radicem: quæ salsugine amaritudinem, si quę insit, prorsus exuet. Ex quo salsis ali scripsit Plinius, talibúsque aquis irrigari præcepit. Aegyptij nitro conspergunt, vt sit suauitate commẽdabilior radix: quæ cortice & cartilagine constat: adhæc sapore in multis acuto, sed tamen grato: cuius pars cùm extra terram emersit, dura fit, vt diximus, & fungosa, nisi circumobruatur. Fœminini generis esse existimantur raphani qui minus sunt acres, & folia habẽt leuiora ac iucundè virẽtia, vt scripsit Palladius. Si dulces habere cupis, ex Florentini consilio, semina mulso, vel passarum vuarum succo, aut saccharata aqua biduò præmacerare debes, & siccata terræ committere. Si maiores fieri peroptas, sublatis folijs omnibus solo caule tenui dimisso, terra sæpè operies, vt idem admonet Palladius. Quod similiter fieri pollicetur Plinius, si palo adacto fiat cauernula quæ palea insternatur sex digitorum altitudine, deinde semen raphani fimo & terra leuiter in illa contegatur: nam ad scrobis magnitudinem excrescet. Verumenimuero quia ab agrestibus pulicibus infestantur plurimùm raphani, ne illis noceant remedium est, autore Theophrasto, eruum interserere. Ne verò nascantur, nulla suo sęculo reperta fuisse auxilia arbitratur: quæ nos libro primo ex antiquis plurima

Raphanum salsis aquis gaudere, & illis amaritudinem exuere.

Quomodo fiant dulces raphani.

Quomodo fiant maiores raphani.

Raphanum ab aggressibus pulicibus infestari, cum apto remedio.

rima attulimus. Cæterùm hîc prætereundũ non duxi, quòd raphanis amaritudo ineſt ꝓ corticis craſsitudine, vt tradit Plinius: qui etiam dẽtibus nocere ſcribit, quòd illos atterant. Sed hoc loco in mentem mihi venit ſecretum multo argento œnopolis comparandum, quod gratis ac libenter illis impertiam. Si raphani particulæ filo traiectæ, vt eximi poſsint, dolio vini immergantur, fœtorem omnem ac graueolentiam (ſi quę inſit) adhæc acorem in ſe recipient ac contrahent. Sed ne ibi tabeſcant & vitium trahant, confeſtim eximere oportebit: & ſi opus fuerit, recẽtes immittere. Quod monuiſſe, multis profuturum mihi polliceor: tametſi ad noſtrum vinorum Enchiridion & ſecreta id transferri poterat. Eſt ſanè miraculum ſummè admirabile, quòd raphano pernicialia ſint cum vitibus odia, à Plinio, Galeno, Atheneo, & Palladio diligenter adnotata: eáque adeò infenſa (vt in braſsica oſtendimus) quòd ſi iuxtà ſerantur, ad ſenſum diffugere videantur, occulta neſcio qua naturarum diſcordia: imò verò ſi permutatis ſcrobibus pangantur, nullo modo comprehendant. Ex quo Antrocides medicinam cõtra ebrietatem eſſe dixit raphanum, quẽ vetus Græcia apertè cum braſsica confudit, ſicuti in hiſtoria braſsicæ oſtendimus. Vnde mirum eſſe non debet, ſi inuicem communia habeant multa. Fuit ſanè apud priſcos in tãto honore raphanus, vt Moſchion Græcus de eius laudibus vnum ſcripſerit volumen. In quo illum cæteris cibis in Græcia vſqueadeò prælatum fuiſſe tradit, vt Delphis in templo Apollinis ex auro dicaretur, beta ex argento, & rapum ex plumbo. Quod quatuor verſiculis Eobanus Heſſus doctè, vt

Raphanum dentibus nocere, & corrupta vina emendare.

Pulchra & notatu digna.

Raphano eſſe odium perniciale cum vite.

Raphanum in ſummo honore fuiſſe apud priſcos.

ctè, vt omnia adnotauit, de raphano ad hunc scribens modum.

Fabula narratur sacros ab Apolline Delphos,
Omnibus hunc alijs præposuisse cibis.
Ex auro vt raphanum sacrarent, pondere betam
Argenti, plumbum rapa fuisse putant.

Raphanum ebora polire, & salem eliquare.

Sed ne obsecro omittamus quòd ebora perbellè expolire fertur, & salis cumulos in aqueam salsuginem transmutare & redigere, si illis consepeliatur. Festinás ad finem penè omiseram (quod initiò dictum oportuerat) raphanum transplantatione acrimoniam deponere, & summam gratiam in cortice habere, modò recens fuerit & nõ inueteratus: idcircò multi exemplo parum imitabili, illum edendo temerè à corpore deradunt. Cęterùm, ne quid dissimulem quod vel legerim, vel audiuerim, vel obseruauerim, non tacebo quòd ex raphano acetum sic fieri posse ostendit Petrus Crescentius in suo de Agricultura opere. Radices raphani, inquit, siccato & in puluerem redigito, deinde in vas quod vinum habeat infundito, misceto, ac dies aliquot quiescere sinito, tum demum eximito, & acetum tibi comparabis raphanatum, ad renum calculos atterendos & deturbandos, aliáque multa summoperè vtile. Sed hæc extra olitorium institutum nostrum, quò fit, vt alia persequar.

Acetum raphanatum nephreticis calculosis summè vtile.

HERBACEI FRVCTVS ESCVLENTI.

Cucurbitarum cultus, auxilia, & secreta. CAP. XII.

DE internis fœtibus hortorum, nimirũ ra-
dicibus, hactenus sit scriptũ: nunc demum
agendum de his qui supra terram iacẽt, vel haud
ita procul, & cartilagineo generi ascribuntur. In
quorum censu quia cucurbitę primas sibi vendi-
cant, idcirco de illis primo loco dicemus: quas
nemo non videt aut in longum prorogari, aut in
reue crassamentum, collo prominulo, cogi, vel
n orbem intumescere. Priores suum nomen re-
inent, postremæ citruli aut turcicæ cucurbitæ
lici solent: erumpúntque omnes plurimùm post
extũ, septimúmve diem à satu: reptãtibus flagel-
s & capreolis dum adolescunt, ceu cirrhis qui-
usdam & capillamentis, altè scandunt, naturâ
ublimitatis auidâ, sed absque adminiculis stare
equeunt, leui vmbra cameras, testudines ac per-
ulas opacantes, dependente ex tenui pediculo
ructu ponderis plerunque enormis. Amant so-
um pingue, humidum, stercoratum & solutum,
t scribit Palladius. Quibus si copia aquæ adfue-
t, minorem curam desiderãt: nam humore plu-
mùm iuuantur: licet reperiantur, quę sine mul-
rigatione conualescant, & hinc iucũdioris gu-
us fructum præbeant. Si sicco fuerint commis-
solo, fictilia aquæ plena iuxtà ponenda erunt:
ditis fascijs, quæ perpetim humorem stillent.
uod auxilium maximè proderit per æstus &
uallores. Seminis parum habent longiores &
nuiores, atque ob id cibis gratiores esse solent,
esculentæ merci, cucurbitarióve foro aptio-
s. Quas si tibi comparare voles, ex Columellæ,
inij & Palladij consilio, hac via procedes. Se-
na de collo cucurbitæ sumpta, recto cacumi-
seres, stercorabis ac rigabis. Si vastioris incre-

Cucurbitarum differẽtiæ, & naturæ.

Cucurbitæ sublimitatis auidæ.

Quænã terra cucurbitis apta, & quòd humore iuuentur.

Quomodo fiant longæ cucurbitæ: ad hæc vastæ & crassæ.

menti optas, de medio ventre extractum semen, inuerso cacumine telluri depone. Tales, vbi inaruerint, cadorum vices supplebunt ad vina, olea aut grana condéda: quòd aluo capaciore plus cæteris intumeant. Quare peregrè proficiscentes, illis carne, semine, & chartilagineis mēbranulis priùs exinanitis, vrceorum loco vti solent: vinū vel aquam infundentes, quibus se ab excruciāte siti, & itineris molestia, opportunè vindicēt, collapsasque ex fatigatione vires actutum reparent. Si latas & amplas habere tibi cordi fuerit, semina quæ in fundo latitant, inuersis cacuminibus terræ mandabis. Quæ si à pulicibus infestentur, curabis origani ramulos iuxtà pangendo. Nam vel insidentes enecabunt, vel nouos creari non patientur, sicuti Græca Quintilliorum testantur Georgica. Ex quibus etiam quæ sequuntur tibi libenter deprompsimus. Nascetur absque vllo semine cucurbita, vti etiam cucumis, si spargēdum semen, triduum antè, sesamino oleo, vel sabino, vt legit Palladius, maceretur: aut herbę succo imbuatur, quæ culex vulgo, & culix Plinio, Gręcis verò (quantum coniectare licet) conyza nuncupatur. Idem fiet, si vitium more, sarmentum primum aut virgultum ita defodiatur, vt solum ei' caput exertum promineat: quod vbi adoleuerit, repetendum erit, & tertiò, si opus fuerit, faciendum. Danda tamen erit opera, vt quæ adnascentur propagines, super terram extantes resecētur: seruato duntaxat eo sarmento & virgulto quod postremum fuit. Ita curatæ cucurbitæ, cum cucumeribus, fructus absque intestinis seminibus creabūt, solis cartilaginibus contentæ. Quòd si huius, & illius, præmaturos ac præcoces fru-

Cadi viatorii ex cucurbitis.

Quomodo latæ & amplę fiant cucurbitę: Et a pulicibus liberentur.

Quomodo nascatur cucurbita absque vllo semine. Et itē cucumis.

ctus habere voles, ex eorundem Quintilliorum doctrina, ineunte vere terram cribro excretam, fictilibus aut cophinis inutilibus impones, mistóque stercore, modicum præbebis humorem: deinde calidis diebus & insolatis, vel imbrem leuem spargétibus, sub dio statues, & Solis occasu ad tectum referes: idque tandiu facies dum frigora, tempestates & gelicidia discutientur. Posteà cùm primùm opportunitas vocabit, totos cophinos & fictilia labro tenus in terram subactam & excultam demittes, ac reliquã diligentiam impendes: & ita cucurbitæ ac cucumeris præcocem fructum habebis. Res eadem faciliùs & minore cùm temporis, tum laboris, impendio fiet, si luxuriantes cucurbitarum, vel cucumerum viticulas putaueris: nam sic fœtus suos celeriùs edent.

Quomodo fiat præcox cucurbita, & item cucumis.

Artificiosa inuentio. tur.

Si formas varias & characteres diuersos in cucurbita vel cucumere repræsentari desideras, florem vel primum vtriusque rudimentum, vti erit in sua vite, in effigiato, vt voles, intus fictili aut cõceptaculo alio claudes ac deligabis. Nam qualem vultum impressa figura præstabit, talem cucurbita vel cucumis præseferet. Tam enim nouæ formæ vtrunque est auidum, vt vasis cui indideris, æmula facie imaginem repræsentet: quemadmodum in Quintilliorum Georgicis adnotatum reperi. Quod Gargilio Martiali cur ascribat Palladius, non video. Itaque qua cogentur forma cucurbita & cucumis, eadem crescent: vt scribit Hippocr. noster in lib. de seminis genitalis natura: plerũque sub draconis intorti imagine, vt tradit Plinius. Si longas & angustas tibi fieri contédis, nuper editos in lucem cucurbitinos partus & cum viticularum capitibus fistulæ aut arundini in-

Quomodo formę variæ & characteres cucurbitę aut cucumere imprimãtur.

Quomodo fiant longæ & angustæ cucurbitæ.

insere, cui priùs omnes nodos pforaueris, ibi in prodigiosam longitudinem procedere animaduertes. Nam quòd latitudini per teretem fistulæ angustiam demetur, paria faciendo, longitudine pensabitur: adeò vt libertate pensili concessa, Plinio visa sit cucurbita nouem pedum longitudinem coæquasse. Nec ignorandũ quòd quæ posteà nascentur ex istarum semine, longitudinem eandem absque vllo mangonio & artificio retinebunt. Similes omnino efficies, si in patens vasculum, aquam quinque vel sex digitorum interuallo, pendẽtibus cucurbitis subieceris. Nam ante posterum diem ad aquam, veluti adrepentes, descendisse, & sese in tantum extendisse obseruabis. Destitutis verò sua aqua vasis, decuruabuntur, ac inflectentur: vsqueadeò humore gaudent, & siccitates refugiunt. Secus de oleo sentiendum: nam illud tam infensè oderũt, vt scribit Plinius, quòd si loco aquæ illis subijciatur, aut apponatur, in contrariam partem vergant. Si minùs id possunt, sese intorquent, & velut indignatæ, in modum hami recuruant; quod nocte vna deprehenditur. Cæterùm, summè cauendum est, sicuti Columella, post Florentinum Græcum, admonet, ne ad cucurbitariũ, cucumerariúmve, mulier accedat, vel quàm minimè admittatur: nam contactu eius languescunt virentium incrementa. Quæ si in menstruis fuerit, visu quoq; suo tenellos fœtus necabit: aut insuaues, vel tabidos reddet. Seminibus destinatæ cucurbitæ, ad hyemem vsq; in sua vite pendere debent, vt tradit Pallad. ex qua sublatę, vel Sole, vel fumo siccabuntur: alioquin semina marcore putri confecta vitiabuntur. Diu recentes durabunt & cucurbitę & cucumeres,

Cucurbita longa pedes nouem.

Modus alius comparandi lõgas & angustas cucurbitas.

Oleũ cucurbitis summè inimicum.

Mulieres ad cucurbitaria accedere nõ debere, nec item ad cucumeraria.

Quomodo

meres, si in albi vini fecem non peruersam, picatis dolijs demergantur & operiantur. In muria itidem incolumes perennant. Sed illis vita, vigórque longo tempore permanebit, vt Quintilliorum Georgica fidem faciunt, si in cadis paucum acetũ continentibus, ita sublimes pendeant, vt acetum nullo modo contingant. Verùm, oppicáda erunt vasa quę huic negocio destinabuntur, ne foras acetum vaporet, natura alioquin penetrabile, ob partium tenuitatem. Hoc itaque artificio recentes cucurbitas hyems tota opportunè tibi ministrabit. Quas si voles, etiam seruabis, si dum tenerescunt incideris, & feruefactam aquam affuderis, totámque noctem, sub dio perfrigeraueris, & posteà in acri muria cõposueris, sic in alios prouentus egregiè custodies. Hoc loco mihi in mentem sanè quàm opportunè venit, quod Athenæus refert: demiratos conuiuas suos, quòd Ianuario mense virides cucurbitæ in escam oblatæ fuissent, peculiaris succi non immemores, & natiuum saporem retinentes. Quod olitorum studio, qui artem hanc percallebant, referendum omnino putabant. Erant autem, vt scribit, à salgamarijs qui hortenses condituras profitentur, asseruatæ. Quem modum longè ante Athenæum, Nicander & alij plerique docuerunt, iubentes cucurbitas in aëre priùs siccatas, et funiculo transfixas, fumo appendi, vt refertas ijs ollas, per hyemem ociosa seruitia sorberent. Hodie per hybernos menseis omnes, laquearibus & tabulatis ędium appensæ, virides & cibis non ingratæ, à nostratibus vbique custodiuntur, maximè quæ citruli nuncupantur, vulgaribus longè duriores, & proinde corruptionis labem tam facilè

diu recentes durabũt cucurbitæ & cucumeres.

Oppicanda esse vasa acetum continentia.

Pulchra historia de hyemalib⁹ Athenæi cucurbitis.

Quomodo seruētur hodie apud nos cucurbitæ.

cilè & repentè nec agnoſcentes, nec ſentientes.

Quomodo fiant purgatoriæ cucurbitę & fructus alij.

Purgatorias facies & deiectorias, vt alia pleraq́ꝫ, ſi illarum ſemen noctem ac diem, cum rhabarbaro, agarico, ſcammonia, colocynthide aut alijs purgantibus medicamentis ſimplicibus, præmaceraueris, deinde, qua dictum eſt formula, ſeminaueris. Et cùm inſipida ſit cucurbita, quo voles ſapore & odore illam facilè imbuere potes, ſi ſemina antequàm terræ committantur, in eo præmaceres: hunc enim, vbi adoleuerit, ad vnguem referet: non dico cruda, ſed etiam cocta: perinde atque cucumis. Fiet idem prorſus abſque vlla arte, ſi dum coquitur, quem volueris ſaporem, colorem, aut odorem iniicias. Nam & cucurbita & cucumis ex eorum ſunt genere, quæ Græci ápoia vocaut, hoc eſt, qualitatis omnis expertia. Latini inſipida & fatua nuncupant, quemadmodum in beta adnotauimus. Hîc ferè omiſeram, quòd cucurbitæ vni fructuum omnium qui extra terram ſunt, cortex maturitate in lignum tranſit: pręterea, quòd cucurbita in oſſium humanorum cineribus plantata, & oleo rigata, nono die fructum profert, vt autor eſt Hermes. Qui, quia vana multa tradit, idcirco rerum plurimarum fidem mihi ſuſpectam relinquit: adde quòd incertum facit experientia certum.

Cucurbita & item cucumis quomodo ſaporem & odorem quemuis ſuſcipiant.

Cucumerum cura, auxilia, & ſecreta. Cap. XIII.

ANTEquam hîc de cucumeribus qui cartilaginei ſunt generis aliquid ſcribã, pauca præfabor. Proximo capite ſecreta multa cucurbitis & cucumeribus communia, in medium attuli

tuli, Aphros & Græcos geoponicos sequutus. Qui, quantùm equidem sentio, cucurbitas cum cucumeribus quadam naturæ cognatione confuderunt, vti etiam Plinius. Hinc Euthydemus Atheniensis, libro quem de oleribus condidit, cucurbitam vocauit Indicũ cucumerem. Et Menodorus Erasistrati sectator duplicem eam fecit. Vnam Indicam, quæ (vt loquitur) cucumis est: & alteram, quæ vulgaris est cucurbita. Sic Hellespontij cucurbitas longas, cucumeres vocarunt: rotundas verò, cucurbitas. Addo, quòd ventrosum illud instrumentum, quo corporibus affixo, vel spiritu, vel leni scarificatu sanguis elici solet, Græci medici sicyan & sicyn à cucumere, Latini verò diminuta voce à cucurbita, cucurbitulam dixerunt: vulgus ventosam nominat, aptius fortasse ventrosam. Ex his liquidò constat, rerum nomina & proprietates plerunque ab autoribus confundi. Quapropter mirari desines, si multa cucurbitis & cucumeribus ex cognatione, priscos sequuti, communia fecerimus: quæ hîc non sumus scripturi, formidantes tædium ex iteratione gignere. His positis, ad rem venio. Cucumeres, Palladio autore, sulcis rarè factis seminandi sunt: altitudine sesquipedali, latitudine verò pedum trium. Sed inter sulcos spatiũ pedum octo relinquendum est, vt liberè posśint euagari. Sarculo & runcatione non indigent, quod herbis plurimùm iuuentur. Serpunt sarmentis, ac vitilibus prælongis, vitis modo, sese in ramos diffundunt: quos ob caulis infirmitatem humi dispergunt, nisi adminiculum propiùs obijciatur, cui caduci incumbant. Die sexto vel septimo post satum emicant, quibus si copia aquæ adfuerit,

Antiquos cũ curbitas cũ cucumerib⁹ confudisse.

Pulchra & notatu digna.

Quomodo seminandi & tractandi cucumeres.

Infirma & caduca cucumerum natura.

 mino-

minorem curam desiderant: nam humore plurimùm iuuantur, perinde atque cucurbitæ, sicuti nunc nuper scripsimus: hyemem tamen & frigora summè perhorrent. Quorum semina si biduo ante sationem, lacte ouillo, vt vult Palladius, vel mulso, vt Plinius, aut aqua mellita, vel saccharata præmacerētur, dulces reddent cucumeres, adhæc teneros, candidos, et iucundissimos, cum sapore, um aspectu, vt adnotauit Columella, & ante eum Florentinus Græcus: necnon, post vtrunque, Plinius ac Palladius: quibus omnibus subscribit experientia.

Quomodo fiant dulces cucumeres & iucundissimi.

Præcoces & pręmaturos, imò verò anno toto qui volet habere, præcedens cucurbitarum caput consulat: & quod ibi fuit omissum de fictilibus & cophinis, vasisq; alijs, præsenti admonitione resarciat: nimirum, quòd rotulæ illis subijci possunt, vt minore labore pensiles ipsorum horti, cùm opus fuerit, foras producātur, & rursus intra tecta reducātur. Possunt etiam specularibus vestiri, vt spirantibus ventis, & vigente frigido cœli statu, Soli absque iniuria exponi queant. Hac ratione, toto ferè anno Tiberio Cæsari cucumis præbebatur, mira voluptate illi expetitus: quemadmodum post Columellam, posteritatis memoriæ mãdauit Plinius, quem nullo non die ei contigisse scribit.

Quomodo præcoces, & præmaturi fiant.

Pulchrum artificium.

Sed leuiore negotio ac labore, id etiam cõfici apud Aegyptiæ gentis Dolum Mendesium, autor est Columella. Aprico, inquit, & stercoroso loco, alternis ordinibus ferulas, alternis verò rubos cõsita habere oportet: & confecto æquinoctio paululum infra terram secare: ligneóque stylo laxatis, vel rubi, vel ferulæ, medullis, stercus immittere: atque ita semina cucumeris inserere, quæ scilicet incre-

Alia via & modus accelerandorum cucumerũ.

incremento suo, rubis & ferulis coëant. Nam ita non sua, sed quasi materna radice alētur: nascentúrque fructus, qui inter frigora etiam vigeant. Rem eandem tradit Plinius, admonẽs Columellam suum hîc commentum prodidisse: & si autorem producat. Sed Plinium ipsum audire prę̄stabit: Columella, inquit, suum tradit commẽtum, vt toto anno contingãt cucumeres: fruticem rubi quàm vastissimum in apricum locum iubet transferre & recidere, duûm digitorũ relicta stirpe circa vernum ęquinoctium, ita in medulla rubi, semine cucumeris insito, terra minuta, fimoq́; circũaggeratas resistere frigori radices. Vt vt fuerit, Plinio cum Columella hac in re malè conuenire vides. Nam ille circa æquinoctium vernum id fieri iubet: hic verò circa autumnale, vt interpretatus est, & ex Columella transcripsit Palladius: sed in his distingue solum & cœlum. Si longos & teneros habere desideras, adhæc sine semine, & qua volueris effigie formatos, necnon recentes tota hyeme, ad præcedens caput recurre. Vnum tamen ibi omissum hîc non tacebo, nempe quòd prisci salgamarij cucurbitas & cucumeres sale, aceto, fœniculo & sampsucho cõdire solebant. Sunt qui virides seruari dicũt, trito sinapi cum aceto. Plinius in scrobe, opaco loco arena substrato illos componit, fœnóque sicco & terra operit. Athenæus plenilunio in hortis maximè gliscere, & manifestnm incremẽtum capessere tradit: necnon more echinorum marinorum impleri: quod aquei humoris summum est argumentum. Athenæo suffragatur Plinius, additque quoties cælum tonat, velut timore perterritos conuerti & tabescere. Sed memorabile illud est, quòd

Summè aduertenda & obseruãda.

Quomòdo olim cõdiebantur cucumeres.

Cucumeres lunari de fluuio subijci.

quòd à mulis cucumeres summoperè expetuntur, mira oleris hui⁹ voluptate illecti, cuius odorem vel eminus sentiunt. Quare munienda sunt cucumeraria, ne illi erumpentes ea depopulētur, ac proterāt. Memorabilius & illud, quòd in Græcis Quintilliorum georgicis legi, & à multis non infœliciter probatū audiui: quid illud, inquies? Si febricitanti infanti qui adhuc lacte nutritur, paris longitudinis cucumeres dormienti apponantur, & quasi condormiscāt, statim sanabitur: nam febrilis calor omnis in illos transibit. Penè omiseram quòd si parum aquosos habere libuerit cucumeres, vbi scrobem foderis in quem illos depositurus es, dimidium altitudinis eius, paleis aut sarmētis implere debes, & terra aggesta, absque irrigatione reliquum absoluere. Megarenses etesus ventis spirātibus, cucurbitis, cucumeribus & peponibus puluerem sarculo concitabant, vt fructus molliores & sine rigatione dulciores fierent. Si radices agrestis cucumeris tusas, aut rhabarbarum, agaricum, cnicum, vel quid simile in potabili aqua per tridunm maceraueris, & diebus quinque plātulas cucumerarias huius liquoris haustu satiaueris, ventris purgationem ab his solicitabis. Quæ validior erit, si dum radices sua fundunt germina circonfossis & ablaqueatis tenuibus fibris, ellebori aut alterius purgantis medicamenti simplicis portionem adieceris. Hoc postremum esto: Matron suis carminibus, vt est apud Plinium, cucumerem terræ filium nominauit: & Heraclides Tarentinus, hedygeon, quasi terræ suauitatem.

Munienda cucumeraria aduersus mulos.

Notanda pro febricitantibus infantulis.

Quomodo parandi sint cucumeres parum aquosi.

Quomodo fiāt purgatorij cucumeres

Cucumis terræ filius & suauitas.

Pepo-

Peponum, Melonum, ac Melopeponum cura, auxilia, & secreta.

CAP. XIIII.

PAVca de peponibus & alijs hîc scribã, quòd cucumerum generi, priscis rei rusticæ doctoribus Græcis & Latinis contribuantur, & proinde multa illis affinia agnoscant. Ex quo cucumeres in pepones, & melopepones degenerasse visum est. Qui duo postremi figura tãtùm & quantitate inter se dissident. Nam cum magnitudine excessêre, pepones vocantur: dum verò rotundi, formam & effigiem mali referunt, facta ex pepone & malo nomẽclatura, melopepones sunt vocati. Vnde Palladius totum hoc genus, melones à malorũ figura, ac si dicas pomeos aut cotoneos nuncupauit. Qui pendêre non solent, vt scripsit Plinius, sed humi rotundari: maturitatem prę se ferentes, cùm pediculus à corpore secernitur, & suauis odor ab vmbilico nares ferit. Omnes rariùs sunt serendi, ita vt semina inter se pedibus duobus distent, locis subactis, & areis diligenter pastinatis: libertate enim gaudẽt, qua vltrò citróque vagari possint: herbis prætereà impensè iuuantur, vt cucumeres: quare sarculatione ac runcatione parum indigent. Vite prælonga serpunt, flagellis hinc inde reptantibus: suntq; fructu cartilagineo (de peponibus loquor) orbiculatim striato, prominulis puluinorum toris, strigis, in vertice & vmbilico coẽũtibus, ac ibidẽ stellatim decussatis: adhęc cute sunt aspera, & velut lentiginibus occupata, sed carne intus suaui, & seminibus in vtero liratim digestis: Quæ si mulso, vel lacte per triduum macerentur, & exsiccata, solo cre-

Pepones cucumerum generi olim ascripti.

Forma peponum, melopeponum, & melonum.

Quomodo serendi pepones.

Pulchra peponum descriptio & historia.

Quomodo suauissimi fiant pepones.

fiant pepones.

credātur, longè maiorem ſuauitatem contrahēt pepones qui inde naſcentur, ac palato gratiores erunt. Odorati fiēt, ſi ſemina diebus multis inter roſæ folia deponantur, & mixtim cum illis plantentur: aut roſacea aqua vel alio odorato liquore imbuantur, & vt dictum eſt, terrę committantur. Autor eſt Florentinus in ſuis de agricultura Græcis præceptionibus, & poſt illum Palladius. Hîc non eſt omittendū, quòd à felibus pepones, vt etiam melones, ſummè expetuntur & auidè, quare à peponarijs & melonarijs ſunt arcēdi. Reliqua ex cucurbitarū & cucumerum ſecretis erūt petenda: cū quibus multa, vt præmonuimus, cōmunia agnoſcunt fructus iſti. Quare ſi præcoces, ſi amplos, ſi effigiatos, ſi abſque vllo ſemine tibi comparare cupis, prçcedēs cucurbitarum caput, ſi videtur, conſule. Penè præterieram quòd melonis aut peponis fruſtulum ollæ iniectum celerem carnium cocturam iuuare fertur: non ſecus quàm vrticæ vel ſinapis ſemen, aut fici ſurculus, vt ſuis dicemus locis.

Quomodo odorati fiāt pepones, à quibus arcendi fęles.

Autori moleſta repetitio.

Cinaræ, ſeu hortenſis cardui cura, auxilia, & ſecreta. CAP. XV.

CInaram eſſe è carduorum genere, nemo neſcit herbarius. Ex quo altilis & hortenſis carduus etiam dici ſolet. Nam cultus mangonio, domita feritate in hortis manſueuit, ac in his habitare didicit: neſcio qua gulæ audacia, quę terrę portenta in ganeam & luxū vertit, à quadrupedibus plerunque neglecta: vſqueadeò ventris & Veneris deſiderijs obſonantur homines. Eſt itaque cina-

Quomodo carduus ex agris in hortos tranſiuerit.

cinara, seu altilis carduus, planta nemini hodie non cognita: quæ compactilibus spicis squammatim coagmentatis constat. In quibus orbiculata, aut pyramidalis facies exterior virescit, interior verò niueo candore nitescit. Tota structili nucleorum serie, pineam nucē videtur exprimere: vnde & strobilus plerisque dicitur. Nulli sunt hodie horti, qui hac planta longè & latè non pubescant ac syluescant: adeò vt opipara nulla sit mensa absque echinato hoc cibo, modò anni tempus illū concedat. Vulgus Gallorum alticocalum nūcupat, ab articulo Arabum al, & cocalos, qui Hippocrati, Galeno teste, nucleus est pineæ nucis: cuius imaginem refert cinara, vt paulò antè diximus. Terram stercoratam & solutā diligit: quamuis in pingui solo melius possit prouenire, vt tradit Palladius. Qui etiam præcipit semina cinaræ crescente Luna in paratis areis, spatio semipedis discreta, non altè imprimi: sed tribus digitis comprehensa, donec ad primos articulos terra procedat, demergi ac leuiter obrui, rigarique frequenter, si æstus interueniat. Nam ita teneriorem fructum ac pleniorem educabunt, vt Varroni greco visum est. Cùm verò plantæ adoleueriut, herbis assiduè liberari ac expurgari debebunt: multóque cinere, si Columellam audire volumus, stercorari. Nam id genus stercoris, huic oleri aptissimum esse tradit: à quo cinaram dictam fuisse, multis placet. Cauendum autem erit, ne semina inuersa pangantur: sic enim debiles, incuruas ac pumilas creabunt cinaras, vt Palladius asserit. Qui ex Afrorum & Græcorum placitis etiam tradit, nullis spinis illas horrescere, quæ seminū cacumina ante sationē fracta, vel lapidis attritu retusa habue-

Cinaræ pulcherrima descriptio.

Vnde cinara nobis alticocalus dicatur.

Terra cinaræ apta, & quomodo seri debeat.

Cinaram cinere gaudere, à quo nomen habere fertur.

Quomodo fiat cinara nullis horrescens spinis.

buerint. Quod etiam multi affirmant contingere si in lactucæ radicem decorticatam & delibratam, tenuésque in particulas concisam, singula semina, singulis indita particulis obruantur, & quo dictũ est modo, plantentur. Suaues & odoratas habebis, si semina in odorato liquore aliquo, aut succo triduũ præmacerаueris, & siccata terræ commiseris: nam saporem eum referent, cuius humorem combiberint. Vnde laurum redolebunt, si illa cum lauri folijs maceraueris, aut in lauream baccam intruseris, & ita plantaueris. Simile erit experimentum in reliquis. Dulces prouenient, si semina in lacte, melle, aut aqua saccharata, vel vino aromatite maduerint, & siccata tellurem intrauerint. Nonnulli sub autumni finẽ, vel hyeme ineunte coliculos & folia humo obruunt, vt candorem asciscant, & amaritudinem exuant, fintq; inter hybernos cibos gratiores: nostrates (nisi fallor) cardas solent appellare. Cæterùm, hoc loco tacendum non existimo, quòd singulis annis stolones à codice sunt euellendi: ne matres fatigentur, & soboles per alia spacia distribuantur. Tanta enim est huius plantæ fœcunditas, vt propagines colibus auulsas & humi depactas, comprehendere narrent, sæpeq; anno eodem & colem & echinum producere. Græcæ agriculturæ magistri, mucrone falcis diducta terra, cum aliqua parte radicis illos eruunt, ac solo bene subacto, & vetere fimo saturato committunt: iugitérque, vbi æstus fuerit, irrigant: donec plantaria solida sibi iecerint fundamenta. Ex horum sylua quotquot ad semina seruare voluerimus, pullis omnibus liberabimus, vt loquitur Palladius, ac testa, aut cortice supertegemus. Nam semina

Quomodo fiant odoratæ cinaræ.

Quomodo fiant cinaræ dulces.

Summa & indicibilis cinaræ fœcunditas.

Quomodo seruanda & paranda cinaræ semina

mina vel Sole vel imbribus vitiari solent, suoq; effœta ingenio perire. Quæ si vel exucta Solibus, vel imbrium aspergine rancida solo credantur, suo cardueta decoquēt olitori. Qui hîc mihi monendus est, cinaræ radices à muribus summè expeti: quarum voluptate semel illecti, turmatim, vel è longinquo accurrunt: sicuti in suis agriculturæ selectis præceptionibus adnotauit Varro Græcus: sed non absque auxilio & remedio. Tradit enim insultantem illorum aciem, lana radicibus obuoluta arceri, aut stercore suillo, vel cinere ficulneo eisdem apposito. Sunt etiam talpæ illis mirum in modum infensæ ac inimicæ: adeò vt crebrò illarum defossu & cuniculatione, cardueta ac cinareta ruinam irreparabilem senserint. Prodest eam in rem medijs carduetis catos frequentes habere ac educare, aut mustellas ibidem mansuefacere. Sūt qui in solido & sicco solo cinaras pangant, ne terra ab hisce infestis animalibus facilè perforetur. Auxilia qui volet alia, sese conferat ad ea quæ primo libro scripsimus. Hîc omissum nolim, quòd cinaræ folia qui ederint, quidquid lingua attigerint (etiam horis aliquot post) illis amarum censebitur. Qua ex re insignes vires ad multa, non secús quàm carduus benedictus, habere fertur cinara, tam in folijs, quàm fructu & semine: in quam rem consule Alexikepū, hoc est, medicū & auxiliarem Hortum nostrum. Postremum id esto. Cinaræ folia lectulis respersa, vel eorum lignis attrita, cimîces procul abigunt, vel enecant. Res & factu & paratu facilis, ac grata admodum quamplurimis, qui huiusce-modi olida & molesta animalcula ferre non possunt.

Radices cinaræ a muribus valdè expeti, & quomodo ab illis arceantur.

Talpæ carduetis infensæ, quomodo expugnentur.

FLO-

FLORES AC PLANTAE hortorum odoratæ, & contrà.

Roſarum cura, auxilia, & ſecreta. CAP. XVI.

DE odoratis floribus nunc demum agendũ: in quorum albo quia roſæ floris ac odoris raro priuilegio nobilitátur, & aſpectu perquam iucundo ac vario hortorum ornamenta cenſentur, idcirco de illis primo loco dicendũ mihi pro poſui. Roſarum multa habentur genera, in quibus frequentiſſimæ nobis ſunt, albicantes, puniceæ, & quæ ex albo rufeſcunt, vulgò incarnatæ nuncupatæ. Præſtantiſſimæ ſunt, quæ puniceo colore rubent: proxima laus ijs quæ in rufum candicant. Viliſſimæ omnium iudicantur albicãtes. In quarum tamen genere odoratiſſimas excipimus, quæ moſcatæ & Damaſcenæ dici ſolent, diuitum hortis hodie familiares. Seri nolunt cuiuſcunque ſint generis, pinguibus aut agilloſis locis, nec item riguis, contentæ raris: propriéque ruderatum amant agrum, vt ſcribit Plinius, volúntque virgulto pangi, ſcrobibus breuiſſimis, aut ſulco, vt tradit Pallad. Quãquam ſemine etiã prouenire poſſunt, ſed tardiſſimè. Quod vnum nequaquam eſſe putabis medium in roſa floſculum coloris aurei, ſed quod Baccæ nutriunt in breuiſſimi pyri ſimilitudinem tornatæ: quas per æſtatẽ ſeminibus turgentes, quis non videt? quis, niſi fortaſſè alter fuerit Tyreſias, non obſeruat, coralli modo per autumnũ horrentia ſpinis roſaria

Roſæ hortorum ornamenta.

Locus & ager roſis cõmodus.

Quid ſemen in roſis.

ria variè illustrare? Fodi debent altiùs roseta quã fruges, & leuiùs quàm vites: ídq; annis omnibus, non omissa interputatione: quæ Martio mense aggredienda est, pro cœli & soli conditione: hoc enim modo excultum rosetum, longo perennabit tempore. Quod si antiquatum fuerit, eadem etiam anni tempestate circunfodietur, aridáque superfluitas omnis præcidetur: & quę rara erunt ducta virgarum propagine reparabuntur, ex Palladij consilio. Plinius vstione ac recisione, rosaria quæque summè proficere scribit, adhæc translatione, ocysiméque prouenire: tradit surculis quaternûm digitorum longitudine, & ampliore. Sunt qui integras plantas cum suis radicibus trãsferant. Alij palmares taleolas cum ijsdem radicibus, sobolis modo, cubitali interuallo deponũt, & crebris irrigationibus ac stercore iuuant: necnon ad maiorem odoris fragrantiam, intertextas rosis coronas ijs simul adobruunt. Quod si plantarum indigus fueris, & volueris à paucis virgultis copiosa gigni rosaria, ex Plinij & Palladij sententia, gemmanteis surculos quaternûm, vt diximus, digitorum, paulóue longiores, cum suis sarmentutis excidere debebis, & in modum propaginis sternere, ac stercoratu rigationibûsque tueri. Vbi annum attigerint, pedis spatio inter se disiunctos transferes, & luxuriantem materiam omnem excludes, ac crebris defossionibus exhilarabis. Vita rosæ non recisæ, nec adustæ, ad quinquenniũ durat, alioquin iuuenescit: ad cuius fragrantiam & iucunditatem, cœlum plurimũ conferre creditur. Vnde serenis diebus collecta, odoratior esse solet: adhæc quæ nascitur in siccis, ruderatis & gracilibus locis. Si odoratissimã facere

Quomodo tractari debeant rosaria.

Rosaria optime prouenire vstione, recisione, & trãslatione.

Quomodo ex paucis virgultis copiosa fiant rosaria.

Rosæ vitæ quinquennium.

Quomodo odorata & præcox fiat rosa.

voles, ex Græci Didymi consilio, hinc inde allia conseres: nam quæ ex frigiditate languescunt, calore exacui solent: Si præcocem, duobus palmis in gyrũ effodies, & calida aqua manè ac vesperi irrigabis. Sed id non antè aggrediendum multi arbitrãtur, quàm germinare calix incęperit: quem eo artificio nonnulli euocare solent. Si mensibus omnibus rosam tibi comparaturus es, autore eodem Didymo, mensibus omnibus plantare, stercorare, & rigare debes. Verùm id locum habere non potest in borealibus nostris regionibus: secus in calidis & temperatis. Præcoces rosas aliter tibi parabis, si cophinis aut fictilibus plantaueris & eadem cura tractaueris, quà præcoces cucurbitas ac cucumeres, vt suo diximus loco. Cæterùm, nondũ patefactas seruabis, vt scribit Palla. si in fissam viridem cannã calices immiseris, eamque leuiter papyro, aut cortice circùm ligaueris, & eo tempore excideris quo virides rosas habere volueris. Alij rudi olla conditas, & bene munitas sub dio obruunt, & sic custodiunt. Vita & vigor ijsdem permanebit, si amurca ita immergantur, vt humor extet. Quidam ex Didymi præscripto, hordeum, dum adhuc in herba est, cum suis radicibus euulsum, in fictile non picatum demittunt: ibique rosas priusquam dehiscant, diligenter operiunt: viridésque quandiu volunt, ac si essent in rosario parente, custodiunt. Plerique virentem hordei segetem pauimento sternunt, & rosas in ea condunt. Florentinus inter Græcos geoponicos vbique admirabilis, tradit rosam in mali corticem posse inoculari, & malorum tempore sese proferre. Quæ res in alijs arboribus suũ etiam locum fortasse agnoscet: perinde atque in ve-

Quomodo mensibus omnibus rosa cõparetur.

Rosa præcox.

Quomodo virides seruentur rosæ ac recentes.

Modi varij seruandarũ rosarum.

Quomodo fiat rosa serotina, aut viridis.

veterano brasſicæ caule & ilice, in quem ſi roſa inſeratur, viridis euadet, ſed inodora, vt ſcribit Albertus. Quæ res facilem viam præbet experienti, cum his quæ de punicea roſa circunferuntur, nimirũ quòd candida fiet, ſi ſulphuris fumo imbuatur, dum in folia dehiſcens cœperit euolui. Sed de roſis hæc ſatis: quarum frutex rectè & appoſitè Cupidini dicatur: quẽ tota facie videtur repræſentare, quemadmodum ſcripſit Philoſtratus. Nam roſa ſemper recens ac iuuenis apparet in ſuo roſario, nec non blanda, vt Cupido: aureis prętereà comatur capillis, vt ille: ſpinas pro iaculis geſtans, pro facibus fulgorem, & pro alis folia. Addo, quòd ſicuti roſam abſq; vulnere pauciſsimi aſſequuntur, ita Cupidine abſque corporis, vel animi, aut fortunarum vulnere & iactura pauciſsimi potiuntur, nimirũ quos æquus amauit Iupiter. Sed hæc extra hortenſem philoſophiam: ad quam potiùs refero, quòd flores tam roſacei quàm alij, in Sole, aut clibano, ſublato pane adhuc calente, ſiccati, colorem, odorem ac vires magis retinent, quàm in vmbra expoſiti, modò metam moræ non excedant. Idem de folijs & radicibus odoratis exiſtimare licebit.

Quomodo ex punicea roſa fiat candida.

Roſæ ad Cupidinem collatio perpulchra.

Quomodo optime ſeruentur flores.

Lilij cura, auxilia, & ſecreta. CAP. XVII.

LILium roſis nobilitate proximum eſſe ſcripſit Plinius, medióque earum prouentu incipere: cui florum excelſitas de omnibus maior ineſt, interdum cubitorum trium: ſed languida ſemper ceruice, & non ſufficiente capitis oneri. Flos eius emaculato candore, & eximio odore,

Lilium flores omnes excelſitate ſuperat.

calathi

calathi effigiẽ præ se fert: folijs ab angustia in latitudinem paulatim sese laxantibus, extrinsecus striatis, resupinis per ambitum labris, & emicantibus ex fundo calathi luteis staminibus, tenui filo crocatis. A quibusdam ob nobilitatem flos regius nuncupatur, & Iunonis rosa: nam ex eius lacte natus fertur, vt hoc tetrasticho doctè expressit Conrardus Gesnerus.

Dum puer Alcides diuæ vagus vbera suxit
Iunonis, dulci pressa sopore fuit:
Ambrosiumque alto lac distillauit olympo
In terras fusum lilia pulchra dedit.

Fœcunditas mira & penè inexplicabilis est in lilio: nam vna radix bulbos, sæpenumerò quinquaginta emittit. Quos Palladius circa veris initia ponendos, & cùm opportunum & tempestiuum fuerit, exactè sarriendos præcipit: idque summa diligentia, ne oculos circa radicem nascẽtes, minorésque bulbos sauciemus. Qui à matre subducti, atque in alios ordines digesti, noua lilieta formare solent. Purpurea lilia monstrificis, vt Plinius loquitur, hominum ingenijs, sic fiunt. Iulio mense scapi arescentes colliguntur, & in fumo lilia suspenduntur: dein nudantibus se nodulis in fęce nigri vini, vel Græci, mense Martio macerantur vt colorem imbibant: atque ita in scrobiculis seruntur, heminis fęcis circunfusis. Quod inuentum non Plinio, sed Anatolio Græcorum geoponico eximio ascribendũ censeo. Cuius verba è Græco in Latinum conuersa hunc habẽt sensum: Si lilia facere velis purpurea, dũ florẽt, cauliculos eorum decem, aut duodecim, cum scapis in fasces vel scopas colligato, & in fumo suspendito,

Quomodo fiant purpurea lilia.

Multa sibi Plinius ascribit quæ sunt antiquorũ.

dito, vt radiculas bulborum similitudine inibi iaciant & remittant. Cumq́; plantandi tempus appetiuerit, in fęce nigri vini macerato, donec colorem purpureum contraxerint, & eo intinctu affatim saturati fuerint. Mox scrobiculis fæce largiùs affusa depone, & purpureos liliorū flores habebis. Eosdem rubros fieri affirmat Florentinus Græcus, si inter cortices aut micas cinnabaris infundantur: hac tamen obseruatione, vt bulbi nullo modo vulnerentur. Qui si alium quemuis colorem ebiberint, par erit eum lilia referre. Mirūque est ita tingi aliquid, vt nascatur insectum. Priscis illis Græcorum & Latinorum obseruationibus suffragatur Hieronymus Cardanus, tradens nodos plantæ lilij camino suspensos absque folijs, & inde siccatos, si fæce rubentis vini obruantur, & in fimo cum eadem fęce sepeliantur, flores edere purpureos. Est sanè lilio tanta viuacitas, vt surculi eius suspensi, etiam radicem mittant. Cæterùm viridia ac recentia toto anno durabunt lilia, si cùm patentia nondum dehiscunt, & clausa silent, fictilibus nouis non picatis decerpta imponantur, ac operculo diligenter muniantur. Dum verò in vsum depromere voles, ad Solem proferes, cuius calorificum ac vitalem teporem simulatque senserint, statim expandentur ac dilatabuntur: quod secretum Anatolius posteritati scriptū voluit. Nec omisit, quòd vicissim & varijs temporibus flores parient lilia, si bulbos eorum ita seueris, vt ex ijs aliquot duodecim digitorum altitudine obruantur: alij octo tantùm, alij quatuor duntaxat. Nam ita diuersis diebus ac temporibus suos dabunt flores. Quod etiam de aliis floribus fieri posse, ille idem pollicetur.

Quomodo fiant rubra lilia.

Quomodo fiant liliorū flores purpurei.

Quomodo viridia & recentia seruentur lilia anno toto.

Quomodo lilia vicissim & diuersis temporibus flores producent.

Violarum cura, auxilia, & ſecreta.
CAP. XVIII.

Violis honor fuit ſummus apud antiquos poſt roſam & lilium. Quarũ genus omne hodie in hortis ac feneſtris frequẽtiſsimum vbique viſitur, in ſiglinis aut ligneis vaſis, à mulierculis ſtudioſè excultum. Flores cùm varietate coloris, tum ſuauitate odoris, tãtam cum oculis & naribus ineunt gratiam, vt in coronamenta, cum cæteris, omnium maximè veniant. Itaque altiles violas hîc paucis perſtringemus: quas qui facturus erit, ex Columellæ conſilio terram ſtercoratam & repaſtinatã, minimùm altè pedem, in puluinos redigat, atq; ita plantas hornotinas factis ſcrobiculis pedalibus, circa ver in illis diſponat. Semen duobus temporibus in areis ſeri poteſt, vere & autumno: ſed poſtremum nobis ineptum habetur, qui cœlum tenemus frigidum. Colitur viola eo modo quo cætera olera: runcatur, ſarritur, & dum tempus inuitat rigatur. Quę nigra eſt verſicolor ſpectatur. Quòd ſic in Ruſtico pulchrè expreſsit Politianus:

Violis maximam ineſſe gratiam in colore & odore.

Violarum cultura & ſatio.

Non omnis fert omnia tellus.

> *Nigraq; non vno viola eſt contenta colore:*
> *Albet enim, rubet, & pallorem ducit amantũm.*

Nigra viola multicolor.

Omnes cubitali altitudine proſiliunt, floribus quadrifolijs, vt eſt apud Plinium: nec vnius coloris, ſed multorum: nam alij purpurei ſunt, alij niuei, & alij lutei. Albæ vita trimatu peragitur: ab eo ſenectam ſentiens plerunque degenerat. Gallis genera omnia innoteſcunt, partim violetæ nomine, partim garyophylli odore. In quorũ cenſu non modò prædictæ continentur violæ, albæ,

inquam,

inquam, cœruleæ, pallidę, variegatæ & luteæ, sed etiam purpureæ, quas Martias nuncupamus, ver plerunque nobis aperientes, odoris suauissimi, & coloris sanè quàm iucundi: Si omnes omnium colores vnam violarum plãtulam referre cupis, singularum semina confusa, in tenuem cannulã, aut detritum linteolum include, & terræ optimè subactæ ac stercoratæ, vt fieri solet, expone. Experimento id mihi sæpenumerò probatum fuit summa cum voluptate, & pari admiratione. Sed hic tacendum non est, quòd spectatissimus violarum flos, nisi quotannis situm loci mutare condiscat, in humilem ac degenerem flosculum, minúsque odoratum deficere solet. Poterunt toto anno florere violæ, si dum ad semen festinant capuli eis truncentur.

Viola martia.

Quomodo vna violarũ planta omnium colores referat.

Ocimi & Amaranti cura, auxilia, & secreta.

CAP. XIX.

Hortorum plantas alias odoratas & coronarias, tam edules quàm non edules cũ frucibus pergo describere. In quibus primùm sese offert hortense ocimũ (nam aliud est pabulare ocimum & segetarium) quod vsqueadeò notum est, vt perraræ vbique sint ædium fenestræ quæ illo longè latéque non redoleant. Huius tria viuntur genera: vnum folijs amarãto maioribus: alterum, folijs & ramulis multò minoribus: tertium minutis & angustis: quod ab odoris fragrãtia & suauitate Italis basilico gentile nuncupari vulgò solet: & à Serapione garyophyllatum ab insigni odore. Vnde etiam ozimum rectè dici ac scribi posse contẽdunt multi, vt sit ab ὄζω, quod dicatur

Ocimũ duplex.

Ocimi hortensis genera tria.

Ocimũ vn-de dicatur

garvophyllatũ, ocimũ & basilicum.

est redoleo. Recentiores Græci qui de re herbaria scripserunt, Psellum sequuti, Basilicum id est, regium appellant, quod nomen apud nos passim vsurpatur. Sic fortasse dictum quòd in solis regũ hortis aleretur olim: vel quòd regibus ob odoris præstantiam dignum esset. Teporem hæc planta desiderat: cuius semen vbi obrutum erit, pauicula vel cylindro, aut aliter, sedulò inculcari debet. Nam si ei terram suspẽsam relinquis, ad corruptionem inuitas, vt scripsit Columella. Satorũ omnium celerrimè prouenit: putantq; maturius erumpere si inter initia feruenti aqua fuerit conspersum. Quidam aceto perfundi iubent, si hyeme inclinante seratur: nam illius imbre rigatum citiùs nasci creditur. Plinius ei tantùm aquã meridianam dandam præcipit, cùm cęteris oleribus horæ rigandi sint matutina atque vespera, vt libro primo admonuimus. Vbi ad palmi altitudinem venerit, rectè præciditur: licet ferro cum ruta, mentha & cunila, tangi diligenter vetuerit Sabinus Tyro, libro Cepuricon, seu hortensium quem Mecœnati dicauit. Sub canis exortum ac morbum sentiret, aut astrobolian expallescere deprehenditur. De quo rem miram narrat apud Palladium Gargilius Martialis (qui à Seruio in Georgicis Virgilianis librum de re hortensi scripsisse traditur) nimirum quòd modò purpureos flores, modò albos, modò roseos parit. Sed maiore admiratione dignum arbitror quod scribit Plutarchus, succinum solos ocimi surculos à se abigere, cùm leuissima quæque, & quisquilias omnes, attritu excalfactum, repentè moueat, & ad se pelliciat. Est & prodigio non minore dignum quod Theophrastus prodidit, oci-

Quomodo serendum & tractandum ocimum.

Ocimum a qua feruenti & aceto gaudere.

Ocimum ferro tangi recusat.

Ocimi surculos succinum abigere, reliquos trahere.

mum

mum lætiùs prouenire, si cum maledictis ac probris seratur. Quod etiam Plinius affirmat, & fortasse Persius hoc senariolo testatum voluit,

Res mira & notanda.

Cum bene discincto cantauerit ocima verna.

Refert ille idem Plinius Chrysippum medicum grauiter ocimum increpuisse, & ob id hominibus fugiendum præcepisse, quòd capræ illud aspernentur. Quæ cùm cæteris pabulis omnibus auidissimè vescantur, ab hoc vno etiam famelicæ diligenter abstinent. Quod & à Sotione geoponico Græco adnotatum fuisse inuenio. Qui etiam vltra hæc asserit, insanos fieri qui ocimo vtuntur: additq; eum qui manducauerit, si eo die à scorpione feriatur, seruari non posse. In quem et Chrysippum pugnare videtur Plinius, scribēs capras libenter ocimum esse, nec cuiquam mentem motam qui illud manducauerit: quin & terrestrium scorpionum ictibus ex vino & pauco aceto sumptum salubriter mederi. Dioscorides ex Afrorum placitis aliud videtur proferre: nimirum eos qui ocimum ederint, si à scorpione feriantur, nullo conflictari dolore. Has controuersias nonnulli componere satagentes, omnia ad tertium ocimi genus referenda censent: & ad incompositum, profusumq; illius vsum & esum. Vt vt fuerit, experiundo veritas elucescet, alioquin obscura. Quam tamen arbitror te in dubio malle relinquere, quàm periculum temerè subire. Autor est ille idem Sotion, commansum ocimum & in Sole positum, scorpiones gignere: vel vt legunt Dioscorides et Plinius, vermiculos aut vermes, qui fortasse in scorpiones tandem transeunt. Quod sanè mirum est, cùm diximus illud scorpionibus aduersari. Subdit idem Sotion fœ-

Capras ocimum etiam in fame aspernari.

Sotionis & Chrysippi sententia à Plinio impugnata.

Ocimũ scorpionibus aduersari.

Ocimum quomodo scorpiones gignat.

Ocimum fœminis aduersari, & pediculos creare.

minis ocimũ tanta antipathia pugnare, vt si pultario aut patinæ inscia muliere integrũ ocimum cum radice supponatur, futurum vt cibo nunquam manus admoueat priusquam subductum sit: ex quo misodulon vocari credit. Diodorus in Empyricis pediculos creare tradit, si quis eo largiùs vtatur, ob excrementitiam humoris superfluitatem quo imbuitur. Quinetiam volũt nonnulli, vt scribit Plinius, ad huius manipulũ cum decem cancris marinis vel fluuiatilibus tritum, scorpiones à proximo omnes conuenire. Cæterùm, Galenus nõ censet eos audiendos, qui promittunt ocimi trituram fictili nouo inditam & operculo vestitam, intra paucos dies scorpiones gignere, maximè si olla ad Solem quotidie incalescat. Sit pro capitis huius colophone quod apud Theophrastum legi, nimirũ ocimum quandoque degenerare in serpillum, aut sisymbrium, vt vult Palladius: præsertim si loco satum fuerit Soli exposito, aut transplantatum. Quæ res etiam vetustate illi solet contingere. Hieronymus Cardanus scribit, ocimum prima Luna tritum, & in nouam ollam inditum, sub plenilunio ab altero capite flores emittere: quòd si duplicato tempore sub terra defodiatur, strifiones generabit, nescio an scorpiones scriptum oportuit.

Ocimũ scorpiones congregare.

Ocimi degeneratio.

Mira siquidem vera.

Pulchra descriptio & pictura amaranti.

Amarantus pedali altitudine crescit, caule ferulaceo & subrubẽte, folijs ocimo longioribus, spica purpurea veriùs quàm flore, prorsus inodora, sed qua nihil aspectu gratius ac iucundius dari posſit. Nam Tyrias purpuras suo rutilãti & flammeo nitore vincit: adhæc coccum quoduis, siue saturatũ fuerit, siue dilutum. Ex quo Gallis Passeuelutum vulgò nuncupari solet, quia cum holo-

holoſerico coccineo, quod Carmeſinum dicunt, de coloris præſtantia certare videtur. Itali Fior-velutto appellant. Spica purpurea Plinio veriùs dicitur quàm flos, ſolò colore commendabilis, abſque vllo, vt monuimus, odore. Gaudet decerpi, & quo frequẽtius legitur, hoc lætiùs renaſcitur: mirumq́; illud eſt cùm defecere cuncti flores, madefactus aqua reuiuiſcit, & hybernas coronas pulcherrimè nectit. Qua ratione in fictilibus ſeri ſolet à virgũculis, nomine Amaranti donatus, quòd non marceſcat: ita Græcam nomenclaturam vſurpante Latio. Puellæ, furni tepore ſiccatum illũ ad coronarios hyemis vſus recõdere non cunctantur. Philoſtratus ex Amaranto ſepulturas coronari ſolitas affirmat: ídque Theſſalos inſtituiſſe primos ad tumulum Achillis. Sed hæc de Amaranto ſatis, qui licet ad odoratas hortorũ plantas nõ attineat, his nihilominus illum aſcribendum duxi, ob floris præſtantiam coronamentis ſanè quàm aptam & vbique receptam.

Amaranti mira venuſtas.

Vnde dictus amarantus, & eius vſus.

Saluiæ, Roriſmarini, Satureiæ, Hyſſopi, & Fœniculi cura, & auxilia.

CAP. XX.

TAM nota eſt hortenſis Saluia, vt nulli prorſus hodie reperiãtur horti in qbus illa paſſim non ſpectetur. Frutex eſt oblongus, ſurculoſus, quadrangulares habens & candidas virgas, folia longiuſcula, ſcabra, hirſuta, albicãtia, et vehementer odorata, ſed vtcunque viroſa: purpureo in ſpica flore, qui aquilini roſtri falcatã ſpeciem præ ſe fert. Ea quæ folio eſt leuiore, contractiore & minus ſqualente, nobis Franca ſaluia,

Saluiæ hiſtoria & pictura.

& saluia minor nuncupatur. Quæ verò solidiore constat, & scabriore, adhæc latiore ac si cultum senserit, vulgaris saulgia dicitur, & saluia maior. Seritur in hortis semine & surculo: cuius fruticem olitores lixiuij cinere muniunt, testantes lætiorem sic prouenire. Apricum amat locũ, quanquam frigora non abhorret. Vnde hybernis temporibus & viuere & iucundè virere percipitur, etiam si minimè operta fuerit. Qua tempestate, olerum premente penuria, iuribus passim innatat.

Quomodo seratur & colatur saluia, frigorũ patientissima.

Rorismarini historia & pictura.

Libanotis, quam officina & rura Roremmarinum appellant, & qua coronas vbique nectimus, folium fert tenue in exilibus virgis, crebrũ, oblongum, & gracile, pinnatum, herbaceum infrà, canum verò suprà: hoc est, intus candicans, et extra viride ac striatum: flore cœruleo, cui odor suauis inest, resinam aut thus vtcunque spirans, vnde illi nomen libanotis. Frutex est topiarius, & idem, vt diximus, coronarius: quo Narbonensis Prouinciæ tractus adeò scatet, vt ibi lignum aliud ferè non vratur. Apud nos areas hortorum topiario opere eleganter conuestit: ita vt nullum non animal suffragante olitoris mangonio confingat. Democritus in suis Georgicis Græcis serendũ præcepit viuiradice & ramis auulsis: sic vt in terram depacti humentur. Planta hæc nullum solum respuit, quæ tam iucundum ac gratum iaculatur odorem, vt quos animus defecerit, illico recreare possit.

Rorismarini vsus.

Quomodo serẽdus rosmarinus.

Satureiæ descriptio.

Satureia, Gallis sarrieta & thymbra dicta, in asperis gracilibusq; locis nascitur. Frutex est pedali altitudine, surculosis vtrinque coliculis stipatus: odore, saporéque gratissimo; & flosculis

per

per interualla ex purpura candicantibus, quibus valde oblectantur apes. Paulus duo genera fecit, syluestre ad eadẽ quæ thymus pollẽs: & satiuum quod viribus ignauius est, sed vsui cibario & gratius & aptius: quapropter in hortis frequens esse solet ad condiẽda obsonia: illud medicinis commodius, hoc cibis vtilius. Non sum nescius Columellam sentire thymbram à satureia nonnihil discrepare, nostratémque cunilam cum satureia confundere, vel pro ea potiùs vsurpare. Quod viderint eruditi: nam nostrum hîc non est istas componere lites.

Satureiæ genera duo.

Satureia & cunila Columellæ eadẽ.

Hyssopus plãta est fruticosa, altitudine pedali, folio cunilæ, floribus purpureis thyrsos spicæ vestientibus. Quæ Gallis vel hoc nomine nota esse solet, quòd in vsum condimẽtarium veniat, & recentibus fabis dum elixãtur, aut friguntur, iucundè remisceri soleat. Locum desiderat neque pinguem, neque stercoratum, sed apricum. Seritur semine & plantulis, quæ vbi prehenderunt, viuaciores esse solent, quàm vt hyemem ac niues reformident.

Hyssopi historia et vsus

Gelu ac niues hyssopũ sustinere.

Fœniculum hodie omnibus hortis valde innotescit: ferulacei generis est, in eam altitudinem plerunq; assurgens, vt hominis proceritatem exsuperet. Caule constat geniculato, fungosa intus medulla, & leui exterius cortice. Estq; planta tota odorata, muscarium gerens in summo rotundum, amplum, luteum & in orbem radiatim circinatum, in quo semen nudum dependet absque cuticula aut folliculis. Locum amat apricum & modicè saxosum. Radix ei candida, odorata & esculenta. Plantã hanc serpentes nobilitauerunt: nam gustatu eius senectam exuere traduntur, &

Fœniculi pictura elegans.

Quis locus fœniculo aptus, & cur à serpẽtibus sit nobilitatum.

oculorum aciem succo reficere, aperto ac inciso caudice. Vnde intellectum est, vt scribit Plinius, oculorum quoque caliginem præcipuè eo releuari. Nostrates folia fœniculi virentia panibus & placentis quandoque substernunt in clibano, ad odoris & incrustationis gratiã. Adhæc pisces ijs infarciunt, prȩsertim marinos, ad conciliandã saporis suauitatem, & fallendam marinæ auræ graueolentiam, delicatulis palatis plerunq; molestam. Fœniculum, vt autor est Cõrardus Gesnerus, dulce est futurum si terrá circa radicem effossâ fimum bubulum ei inijciatur.

Fœniculi vsus non spernendus.

Lauandulæ, Menthæ, Thymi, & Solsequij, cura & auxilia.

CAP. XXI.

LAuandula, quæ & pseudonardus dicitur, duorũ generum apud nos esse solet: Vnum altius adolescens & maiorem odorem spirans: quòd quia non minùs placet quàm nardus, idcirco apud nos spicæ nomen sibi arrogauit, ex quo aspicum vulgò nũcupatur. Alterum tum amplitudine, tum odore est minus, quod quia balneis & hominum lauacris expetitur, elotaq; omnia, si permisceatur, odoris suauitate commendat, lauãda & lauãdula nominari solet. Illud mas, hoc fœmina multis esse creditur. Frutex est vbique nascens, folio crasso, carnoso & angusto, cui color languidus ad candidum vergens, frequentibus spicis in aristas sparsim purpurascentibus, & alicubi albicãtibus illustratus. Gaudet apricis & petrosis locis, tanta suauitatis fragrãtia prȩstans, vt omnes flores quibus remiscetur, odoris iucunditate

Lauandula, vnde dicatur, & eius pictura.

Loca lauandulæ accommoda: vbi de eius odore.

ditate prouocet. Qua dote vestibus inseritur, & scrinijs commendatur. Vterque frutex perpetua coma canescit: cuius spicata cacumina, & tõsiles vertices manipulatim in scopas & muscaria concinnatos vendere solent rustici ad varios odorũ vsus, vbi Solem aliquandiu sustinuerint. Hodie bigis & clitellis asinarijs per æstatem Lutetiæ venales vicatim proclamantur, & passim comportantur. Narbonensis Prouincia vtroque genere est fœlix, tam campis, quàm montibus. Fallũtur insigniter qui pro nardo Celtica vsurpant lauandulã: nam longè alia est plãta, vt alibi scribemus.

Lauandulæ spicata musc. caria, & eorum vsus.

Lauandulæ alia est a nardo Celtica.

Mentha nomẽ in Gallia retinet, & à plerisque Romana cognominatur, præsertim quæ est hortensis: cauliculos gerit lentè punicanteis & odoratos, flagellis lanugine pubescentibus, folio sisymbrij, sed longiore & molli, æstate herbaceo, hyeme subflauo, & vbique odorato: cui purpureus flos circa cauliculorum fastigia spicatur. Iuxta fontes rectè ponitur, cuius si fortè semina defecerint, licet de noualibus syluestre menthastrum colligere, & inuersis cacuminibus deponere: nam ita feritatẽ exuet, ac edomabitur. Planta hæc semel sata pluribus annis restibili fertilitate durat, grato mẽsis odore cùm in iusculis, tum acetarijs & plerisque condimentis. Hanc ferro non expedit tãgere, vt alibi docuimus. Apricum locum amat, sed non valde pinguem, nec stercoratum: seriturque planta, vel radicibus, æstate virens, hyeme verò flauescens. Galenus duplicem fecit: vnam hedyosmũ, ac si odoratam mentham dicas. Alteram inodoram, quam calaminthã, alij menthastrum appellant. Hæc fera est & syluestris, illa mitis & satiua: quæ cultus mangonio

Menthæ pictura & descriptio.

Mẽthæ satio & vsus.

Menthæ locus aptus.

Mentha duplex.

humo-

humorem ſibi aſciſcit, ex quo Venerem ſtimulare traditur: quod eſt omnium commune quæ ſemicocto humore ac ſpirituoſo & flatuoſo participant. Quæ res problematicum hoc Ariſtotelis adagium ſoluet, cur mentha belli tempore nec edi, nec ſeri debeat. Hoc enim cibo largè veſcentes in libidinem ruunt, quæ corpus & vires frangit, ac animos eneruat. Rectè itaque Dioſcoridi mentha Veneris auiditates cõcire traditur. Quæ res antiquos mouit, vt flagrante bello militibus menthá interdixerit. Vſu enim Veneris fortiſsimi quiq;, ceu effœminati ac molles, facilè torpeſcunt. De menthaſtro, ſeu ſylueſtri mẽtha, quam nonnulli ſylueſtre pulegiũ vocant, hîc nihil ſcribam, niſi quòd folijs eius manducatis & impoſitis, Plinius elephantiã ſanari affirmat. Quod magni Pompeij ætate fortuito cuiuſdam experimẽto facie illita, compertum fuiſſe ſcribit. Sed id ad noſtrum Alexikepum pertinet.

Cur mentha belli tẽpore nec edi, nec ſeri debeat.

Menthaſtri vires in elephantiam.

Thymus & ſi magis conuenire videatur curãtibus aluearia quàm hortos, nihilominus de illo hîc ſcripturi ſumus, quòd cõdimentorum & coronarum cauſa, etiam in hortis ſtudioſè colatur. Duo ſunt eius genera. Vnum candidum lignoſa radice in collibus naſcens, quòd præſtantiſsimũ eſt. Alterum tam ſpecie, quàm flore nigrũ, quod Aëtius cibis damnauit: nam intus receptum facilè computreſcit, & bilioſos humores creat. Qui triuialis eſt, ſurculoſus frutex et dodrantalis eſſe ſpectatur, odore ſuauiſsimo, multis folijs ijsq; immortalibus comatus: floſculos gerens ex purpura candicantes, & capitella complicatarũ formicarum ſpecie. Vulgus Gallorum Thym nuncupat: plerique maioranam Anglicam. Gracili ſolo & pe-

Thymi duo genera.

Hortenſis thymi pictura.

& petroso lætius prouenit: vnde neq; pinguem, neque stercoratum, sed apricũ desiderat locum. Semine & planta prosilit, imò verò & flore sato nascitur, vt perhibet Theophrastus. Apiarij eo largè florescente prouentum mellis vberrimum certo sperant augurio. Nam flores apibus amicissimos creat, qui colorem & odorem melli addunt. Hinc Vergil.

Locus thymo accõmodus: adhæc eius satio.

Thymus apibus gratissimus.

-redolentq; thymo fragrantia mella.

Hîc non omittendum, ex eodem Theophrasto, quòd destruitur peritq; flos thymi, si imber incesserit.

Solsequium, officinis Calẽdula, & vulgo Solsia nũcupatum, falsò à multis heliotropium esse existimatur, siue maius illud fuerit, siue minus. Non quòd Solem nõ sequatur, vt mox dicemus, sed quòd pictura ei planè repugnet. Nostratibus itaque Solsia nominatur, quasi solsequiam dicas. Fruticosa est planta, cauliculo dodrãtali, folio longiusculo, flore specioso, crocato & odoris non ingrati: ex quo in coronamenta passim venire solet. Nascitur potissimùm in cultis: adhibetúrque & condimentis & acetarijs. Semen haud dubiè scorpionem imitatur, maximè quâ continetur in vagina. Vnde scorpioidem quidam esse putarũt, sed ineptè, meo iudicio, cum notæ scorpioidis illi non subscribant. Calendula apud herbarios dicitur, quòd singulis ferè mẽsium calendis florere, vel (vt alijs placet) fruticare deprehendatur. Rusticorum horologium quibusdam nũcupari solet, quòd matutinas meridianas, ac vespertinas horas de circũactu illis indicet. Alij Solis spõsam dixerunt, & solarem herbã, quòd eius flores Solẽ ab ortu per meridiem in occasum se-

Hortẽse solsequium nõ esse heliotropium.

Solsequij pictura pulchra.

Cur solsequiũ calendula dicatur, & rusticorum horologium.

quan-

quantur, & notabili conuersione comitentur: ita vt quacunq; cœli parte sedem teneat ille, in eam cõuersi flores spectent: eoq;, etiam in nubilo aëre, dirigantur: ac si spiritu eius recrearentur, vigerent & agerentur: tantus syderis amor est: noctu eius desiderio, quasi mœrentes, contrahuntur, & meridie sese vndiq; explicant, ac si sponsum obuijs vlnis amplecti satagerent. Sed de his abundè scriptum in nostrís Naturæ Arcanis, & alibi.

Mirus solsequij amor erga Solem.

Vettonicæ coronariæ, & Sampsuchi seu Maioranæ cura, auxilia, & secreta.

CAP. XXII.

Vettonicam coronariam (quæ inter flores superiùs erat describẽda) Gallorũ vulgus à floris figura, ocellum seu oilhettũ: vel ab odore, garyophylleam, nominare solet. Hæc tantam cum mulierculis iniuit gratiam, sui odoris iucũditate, & coloris præstãtia, vt perpaucæ reperiantur apud nos, quę in suis hortis, aut fictilibus vasis, fenestratim illam, cura admodũ diligenti, nõ foueant. Florem omnium speciosissimum profert, caryophyllorũ odoratu, sed longè suauissimo. Quorum alius cocco rutilat, alius saturata nitet purpura, alius niueo blãditur colore, alius verò vermiculato & vario applaudit aspectu. Omnibus teres, longiusculúsque calix conceditur, orbiculo superiore denticulatus, à quo folia prodeunt lentè fimbriata, in quibusdã frequentiore coma stipata, in alijs rariore, sed profundioribus incisuris crenata. Quæ cùm fuerint prorsus explicata, radiatum orbem circinãt per extrema serrarum, geminis vtrinque emicantibus stamineis

Vettonica mulierculis gratissima.

Pulcherrima vettonicæ descriptio.

neis apiculis. Non desunt qui sibi persuadeant, olitores radicibus caryophyllũ adegisse, vel factis stylo foraminibus inseruisse, quò iucundum odorem illum flores alliciant, & caryophyllorum suauitatem naribus expirent. Sic ex flore minùs odoro, quàm odoratissimus prodijt, humano artificio nouitatis semper studioso. Apud nos semine rariùs seritur: quin olitores ineunte vere & autumno, sobolem à radice copiosam eruunt, & patulis fictilibus, aut cadis, ligneísve fistulis pangũt in terra, putri fimo saturata. Et cum hyemis gelicidia premunt, sub tecto locis à frigoribus tutis recondunt. Cùm verò serenat cœlum, feruidusq́ Sol illucescit, in apertum reuocant: & sub dio illic apricari sinunt. Si incesserit pluuia, aliquantisper madescere permittunt, & cœlestem imbrem haurire. Sed mirum est, quòd tam celebris flos, támque iucundus, à veteribus silentio inuolutus fuerit: qui pulchritudine, varietate, amplitudine & odore, rosa inferior non videtur: imò verò cum ea de principatu certat, illi nec colore cedens purpureo, candido, vermiculato, nec etiam odore, nisi quòd à longinquo plus olet recens rosa: cui decerptæ longissima mora dies esse solet: vettonicæ in quatriduum, & ampliùs, vita vigórque perseuerat. Folia insunt nonnullis quaterna, quináve, alijs rosæ modo numerosa. Prodigij simile est quod hîc referam. Si ad calendas Octobris, vettonicæ, violarum & similium plantulas cum radicibus, in vinaceis quibus cortices sint exempti sepelíueris, aut in fimo equino identidem reparato, flores pulcherrimos tibi edét sub brumam atque ita in fragis, melonibus, & alijs experiri pote-

Quomodo conciliatus odor vettonicæ.

Quomodo & quando seratur vettonica.

Vettonica priscis incognita, quæ ne rosis quidem cedit.

Quomodo vettonica hyeme efflorebit.

poteris. Sed à frigore externo ſeruari debent: plurimùm verò ſic cum fœtibus ſuis emoriũtur. Autor Hieronymus Cardanus. Hinc ſanè admirari deſino, quod ſolebam adoleſcens, dum vettonicã in vinarijs cellis & ſubterraneis locis, fruticare per hyemem, & fauente loci tepore flores parere obſeruabam. Olitores in hortis multo lætamine paleato illam munire ſolent, ac circũueſtire, vt ab iniuria gelantis, ningentis, aut grandinãtis cœli aſſeratur. Nam apricis plurimùm gaudet, ac Solis illuſtratione ſummè exhilaratur. Eſt admiratione dignum, quòd hæc planta vno anno florem parit candidum, altero purpureum, tertio colorum varietate promiſcuum. Et quod multò mirabilius dici poſsit, vidimus ramũ eundem, niueum, purpureum, ac vermiculatum florem expromere. Quod cultus ſtudio, aut ſoli cõmutantis vbertate, fieri ſolet. Quanquam multos id aſſecutos vidi, defixis in ouillam aut caprinam baccam, vel cãnulam fragilem, detritúmve linteolũ, diuerſis vettonicæ ſeminibus arte compoſitis, & terra ac ſtercore diligenter opertis. Nã ſemina illa in vnam coaleſcunt radicem, quæ ramos florum varietate illuſtres emittit. Hoc loco non arbitror prætereundũ quòd vettonicæ flos, vnguibus detractis, acetum iucũdo ſapore commendat, modò in Sole vitreis vaſis maceretur.

Quomodo hyeme ſeruanda vettonica.

Quomodo colenda vettonica, quæ vno ramo flores diuerſos emittat.

Acetum ex vettonica.

Cur ſampſuchus maiorana dicatur; & vnde.

Sampſuchus ſeu amaracus vulgò maiorana dici ſolet, nomine à Latinis mutuato: fortaſſe quòd maiore cura ac diligentia ſeratur, colatúrque, quàm cæteræ plantæ. Vel quòd odoris maiore alijs gratia commendetur, & perpetua vireat coma. Seritur vtroque genere, nimirum ſemine & ramo: éſtque magnoperè viuax planta, & cultu-

ra non-

ra nonnunquam arborescens. Diocles medicus & Sicula gens amaracum appellauerunt, quod Aegyptus & Syria sampsuchum. Video sanè inter vtrumque à Poëtis & Oratoribus, Dioscoride item & Plinio, nullum, nisi appellationis nomine, discrimen positum fuisse: licet in contraria sint sententia Claudius Galenus & Paulus Aegineta, multíque recentiorum medicorum, qui longè aliter de amaraco sentiunt. Sed doctorum testimonio constat, hos & eorum sequaceis, amaracum pro parthenio vsurpasse: quod & leucanthen & amaracum appellari tradit Plinius. Sed lapsus is multò est euidentior, quàm vt refelli desideret: siquidem sampsuchus iucundo placet odore, illorum verò amaracus siue parthenium magnoperè viroso fastiditur. Vnde mulieres in vuluæ strangulatu illud salubriter odorari solent: ex quo matricariæ nomen ei indiderũt. Híc nõ licet omittere, quòd mures radicibus maioranæ valde insidiantur, ceu medicamentum & auxilium ab his deposcentes.

Cõtrouersia de sampsucho & amaraco.

Priscos medicos cũ parthenio confudisse amaracum.

Bellij seu Bellidis, & Phlogij, hoc est violæ flammeæ & inodoræ, adhæc Iridis, cura, auxilia, & secreta.

CAP. XXIII.

ETsi duæ plantulæ sequentes, & earundem flores in cẽsu odoratorum ritè adnumerari non posśint, scribam nihilominus de illis, vel ob id quòd in coronamenta veniant, & hortorum areas mira elegantia vestiant. Itaque Bellis seu Bellius trium generum esse conspicitur. Primum in

Tria esse genera bellidis

in hortis ſeritur, de quo hîc potiſsimùm agemus. Reliqua in pratis & campeſtribus naſcuntur: de quibus nihil à me expectabis, qui hortenſia & nō campeſtria tracto. Venio ad rem. Bellius hortenſis herbula eſt folijs longiuſculis ſolo procumbentibus, in cacumine ſubrotundis & ad rotæ modum radiantibus, craſsiuſculis, per ambitum minutim ſerratis, è quorū medio cauliculi prodeunt villoſi ac flexibiles, flores anno ferè toto geſtantes in cacuminibus verſicolores ac inodoros, qui barbulis multis circinantur. Ex quibus alij punicei ſpectantur, alij emaculato candore placent, à quo Gallis margaritæ nomē adipiſcuntur: alij verò mixtis coloribus applaudunt. Bellides omnes noſtratibus Borbonijs Paſquetæ appellantur, quòd circa Paſcha (vt opinor) oriri incipiant, vel quòd oculos grato colore paſcant.

Picturæ bellidis pulchra & elegans hiſtoria.

Bellidum colores varij.

Autoris mirum ingenium.

Phlogion (quibuſdam Trinitatis herba dictū) violæ inodoræ genus illud eſſe mihi videtur, quod Gallicū vulgus Penſeam vocat, folio mercurialis herbæ per ambitum crenato, cauliculo triangulo intus cauo, leniter ſtriato, & ex interuallis geniculatim foliato, prodeuntibus ex alarum ſinu pediculis longis, in quorum capitellis emicant violæ figura purpurearum ſeu martiarum tribus floſculis ſumma parte latis, atráque purpura ſaturatis, et duobus infernè luteis ac anguſtis, lineolis quinque rutilo ignis fulgore radiantibus exaratis: à quibus phlogij ſeu flammulæ nomen illis, vt reor inditum fuit. Vere ſtatim poſt purpuream violam ſe prodit plantæ huius floſculus, eſtq; coronis aptus, odore, vt diximus nullo, ſed colore vbique cōmendato: qui plurimùm durat, nam in autumnum prorogatur

Violæ inodoræ deſcriptio

Pulchra & notatu digna.

Violæ inodoræ flos longæuus.

imè

mò verò tepidioribus locis vbi cœlum arridet clementiùs etiam hyeme spectari solet. Venio ad tertiam plantam, flore pulchram & radice odoratam.

Iris cuiqꝫ notissima est, folijs cõstans gladioli, sed maioribus, pinguioribus & latioribus. Vnde quibusdam Galliæ partibus glaiutum, ac si diceres gladiolum, nũcupari solet: quòd folium in gladij speciem mucronatũ habeat. Caule nititur recto & semipedali ex cuius fastigijs singulis inter se paribus, flores exeunt labiorum mutuo inflexu recurui, & coloris varij: nimirum canduli, pallentis, lutei, purpurei & cœrulei. A qua varietate cœlestem arcum exprimente, nomen cœlestis lilij apud herbularios sibi adoptauit: ac rudimenta quædam arcus cœlestis versicolore linearum discursu, in sui calathi cõcauo, ob oculos spectantium ponere satageret. Rura alicubi flammam vocant: propter easdem, vt arbitror, causas, quas suprà in phlogio, seu flammea viola protulimus: quæ mihi specimen videtur esse naturæ irin effingere condiscentis. Radices fundit geniculatas, solidas & summè odoratas: quas sub veris exitum terra erutas, plerique in orbiculatas taleolas dissecant, & siccatas in vmbra, filoqꝫ transsutas pensiles recondunt: aut lixiuio macerant ad exhauriendam & absorbendam succi partem, quo tinearũ iniurijs sunt opportunæ, dein siccatas includunt: nam teredines non siccæ modò, verùm & in terra virides celerrimè sentiunt. Plerique ita curatas armarijs imponunt, vt odore perquàm iucundo vestes & lineam supellectilem commendent.

Iris picturâ & vnde glaiutum dicatur.

Hortensis iridis colores, & vnde cœleste liliũ dicatur.

Iris flamma quibusdam dicta.

Pulchra & notanda de radicibus iridis.

Radices iridis armarijs & rebus illorum odoré conciliare.

Absinthij, & Abrotoni cura, auxilia, & secreta. CAP. XXIIII.

SIcut in hoc mundi theatro rerum omnium parens illa, iucundis tristia, & dulcibus amara remiscet, ita ego in hac hortensium historia suauibus insuauia miscebo: & gratis ingrata: nimirum absinthij & abrotoni plantas, quæ tam odore, quàm sapore iniucundo, nulli placent. Absinthij genera tria esse constat, vnum vulgare Gallis Aluina vocatum, ac si diceres aloina, a insigni amarore aloés, quem præ se fert. Nostrates Borbonij Fortum, à forti & vehementi odore ac sapore nuncupant. Huic Ponticum Galeno maximè simile esse traditur, â Ponto nomen habens, vbi pecora illo pinguescere, & ob id sine felle inueniri autor est Plinius. Veteres huius folia paruulis dabant in fico, vt amaritudinem fallerent: aut illitis melle vasculi labris, eorum decoctum propinarent: quod Lucretius his versibus eleganter expresit,

Absinthij genera tria & vnde aluina seu fortum dicantur.

Notanda de absinthij exhibitione.

Ac veluti pueris absinthia tetra medentes
Cùm dare conantur, priùs oras pocula circum
Intingunt mellis dulci flauoq; liquore.

Alterum genus Seriphium vocant seu marinum: cuius semine medici vermibus & lumbricis corporis necem moliuntur: & ob id, semen contra lumbricos nuncupant. Gallicum vulgus barbotinam, & mortem vermium: quas appellationes officinæ egregiè norunt. Tertium Santonicum dicitur gentili regionis vocabulo: quod vt reliquis minus est, ita amarore multò mitius. Hodie in plurimis hortorum areis passim seri solet,

Semen cótra lubricos & barbotina.

mò verò de coma acetarijs remiſceri, ſummo ventriculi & hepatis commodo ac beneficio.

Abrotonum duorum generum eſſe conſpicitur, vnum mas, alterum fœmina: vtrique amaritudo abſinthij ineſt. Fœmina Dioſcoridi quadam arboris ſpecie fruticat, & ob id multis Cypreſſus appellatur, folijs circa ramulos minutim concisis candicans, & auri fulgore corymbis in faſtigio rutilans, cui odor cum quadam grauitate ſubiucũdus adeſſe ſolet, & ſapor amarus. Mas folijs conſtat non vſqueadeò albicantibus, eſtq; illius frutex ſurculoſior. Galli Latinos imitati vtrunque abronum, duabus literis extritis nuncupant: adhęc cuſtodem veſtiarium, quòd armarijs ſparſum veſtes à tineis vindicet. Alſioſum eſt admodũ tam hoc quàm illud: quare frigus multùm reformidat, Soleq; nimio læditur, ſuo ſe cacumine propagãs. Theophraſtus radice vel auulſo ramulo, potiùs quàm ſeminio, germinare prodidit. Sed mirari licet cùm calida dote ſit præditum, cur frigus tantoperè horreat, & æſtum non ferat. Idem Theophraſtus rationem in infirmitate collocat: nam viribus tam cõtra frigus, quàm contra æſtum, longè eſt impar.

Abrotoni genera duo.

Abrotonum veſtes à tineis vindicare.

Abrotonum nec frigus nec æſtum ferre.

Fragariæ, Frambœſij, & Groſſularij vel Groſellarij, cura, auxilia, & ſecreta.

CAP. XXV.

DVM fœtus hortenſes qui ſupra terram excant percurrebamus, fragaria deſcribenda erat: quia verò tunc nobis, neſcio quo fato, excidit memoriâ, hoc loco reſtituenda venit. Her-

Hiſtoria & deſcriptio fragariæ pulcherrimæ.

bula est fraga gerens (vnde nomen habet) & folijs tribus constans, quæ humi sine caule sparguntur, multis à radice lanuginosis pediculis exeuntibus, quorum alij flore candido coronantur, alij trigemino, vt diximus, comantur folio per ambitum serrato atque venoso: qui fructum gerunt exiguis moris haud absimilem, callosum, tenerum, rubentem (dum maturuit) & ex albo nonnunquam pallentem, ac gustu & odore suauissimum, Gallorum vulgo Fresa nuncupatum. Spontè nascitur in opacis, quasi aliarum plantarum vmbra gaudeat, & in hortis cultura tam grandis euadit, vt mora quæ in rubo nascuntur suo globulo æquare cernatur: hinc morum terrestre Virgilianus Seruius fortasse appellauit. Sunt ex fragis quæ diligentia & cura coloni è rubris in candida degenerarunt.

Fructus fragariæ pictura elegans.

Vnde magnus euadit fragariæ fructus.

Frambœsia quibusdam Idæus rubus esse putatur. Frutex est pumilus & humilis, spinis prorsus viduus, cui morum rubens appendet (vbi maturuit) Gallis Frambœsia appellatum, quod germano sapore, palato mirum in modum placet & applaudit. Vnde, cùm vinum generosum à sapore laudare volumus, olere frambœsiam aut fragum vernaculo sermone nostro dicimus.

Pulchra & notatu digna.

Grossularius vel Grosellarius, quantum mihi licet coniectare, veteribus silentio fuit obuolutus: quanquam non defuerunt qui Rhamnum esse dixerint, alij oxyacantham, sed temerè. Frutex est aculeatus, folio apij ferè, acinis candidis & in maturitate dulcibus, qui frequens hodie in hortis esse solet: cuius bacca non ingrata displicet acerbitate, magnámque init cum palato gratiam: quare diuitum ac pauperum iuribus inna-

Grossularij pictura pulchra.

De grossularij bacca notatu digna.

tare solet, & in dulciarios panes ac farcimina passim transire: vere præsertim dum vuæ acerbæ locum supplet, quo nomine grauidis summè expetitur. Vulgus Gallicum, Grossularium vel grosellarium, & eius fructum Grosellam seu grossulam nominat, quòd grossulorum fici quandam præ se ferat imaginem. Bacca maturitate in cibũ dulcescit, ac nonnullorum mensis inter postremos cibos apponi solet.

Vnde grossularij & grossulæ nomen.

Est in hortis alter frutex nullis planè spinis horridus, folio vitis pusillæ & iuuenis, rubentem vuulam ferens sapore subacido, cuius acini racematim congesti pendent, fastidium cibi discutientes, & more punici mali abeuntem appetentiam reuocantes. Nostratibus grossula seu grosella rubra, vel transmarina vulgò dici solet. Sunt qui putent à Mauritanis Riben appellari. Frutex iste in vsum topiarium venit, sepitq; eleganter hortorum puluinos & areas.

Grosellæ rubræ pulcherrima descriptio.

ANTONII MIZALDI MONLVCIENSIS MEDICI, de Hortorum cura, cultu, auxilijs, & secretis.

LIBER TERTIVS.

IAMQVE alios vocor ad cultus, aliúmve laborem
Hortorum: neque enim simplex genus, vnáve stirpis
Hortensis soboles, ratio ac tãtùm vna colendi.

Epilogus superioris libri, cum paraſceue ad frugiferarũ arborum hiſtoriam.

Proximo libro hortensia olera, edules itẽ radices, et herbaceos fructus, cum odoratis plantis & floribus, pro nostræ Mineruæ captu & modulo vtcunque expediuimus. Superest vt simili methodo et diligẽtia frugiferas hortorum arbores, vitæ humanæ accommodas, earundémque fructus hoc libro pſequamur: siue molli tunica vestiantur illi, quos Græci geoponici oporas, Latini poma nuncuparunt: siue dura & forinsecus lignosa, quos itidem illi acrodrya, nostri verò nuces appellare solent. Opus sanè varium & impeditum, sed legi tamen & cognosci dignissimum: si minus scribentis ope, saltem sui contemplatione & indicibili voluptate, quæ comitem habet vtilitatem pari commoditati iunctam. Vt itaque tabulæ (quod dicunt) manum admoueam, omnium primùm de cura, studio, & auxilijs quæ arboribus in genere congruunt, pro mea tenuitate scribam: hinc mihi gradum facturus ad ea quæ seorsum & particulatim vnicuiq; arbori debentur, & propria sunt.

Latinis quid poma & nuces.

Autoris ſcopus & inſtitutũ in hoc libro.

Horten-

Hortenſium arborum præcepta quædam & auxilia generalia.

CAP. I.

QVisquis ille fuit qui ſcripſit hyemes ſerenas agricolis optandas eſſe, næ pro arboribus tam hortenſibus & fructiferis, quàm alijs, vota non fecit, quemadmodum tradit Plinius: nam communia arborum vota eſſe ſolent, niues diuturnas ſedere. Cauſa, non ſolùm quia animã terræ vaneſcentem exhalatione, includunt & cõprimũt, retroq; agunt in radices: ſed etiam quòd liquorem ſenſim prębent purum ac leniſsimum, quando aquarum cœleſtium ſpuma eſſe dicuntur niues. Ergo humor ex his non vniuerſim ingurgitans diluénſque, ſed quomodo ſititur ſtillans, velut ex vbere alit omnia, nequaquã inundans. Sunt itaque niues & tempeſtiua frigora arboribus & frugibus ſummè vtilia, ſicuti (Deo opitulãte) oſtenſuri ſumus in noſtro Opuſculo de ſignis, cauſis, & præſagijs caritatis & ſterilitatis annonæ. Niues itaque tam arborum quàm frugum firmitati plurimùm cõferunt, nam ſic optimè germinant. Quod ad aquas attinet, opportunæ ſunt quæ germinationem præcedunt: tum demum cùm educant poma arbores: nec protinus, ſed iam valido fœtu. Quæ fructus ſuos diutius continent, longioresq; deſiderant cibos, his ſerorinæ aquæ vtiles eſſe ſolent. Cæterùm, generis cuiuſq; arboribus diuerſo modo deſiderãtur, alijs alio tempore maturantibus: quapropter ijſdem imbribus quaſdam lædi videas, alias iuuari, etiam in eodem genere. Sicut in pyris alio die hyberna quærunt pluuias, alio verò præcocia.

Arborũ vota cõmunia.

Quas cõmoditates adferaut niues et frigora arboribus.

Quando aquæ vtiles arboribus.

Aquas arboribus diuerſo modo deſiderari.

Sunt qui nocturnos imbreis diurnis præferant, quòd eos Sol statim non diripiat. Sed quomodo radicibus arborum admittenda sit aqua, & ibidem retinenda, audiendus est Virgilius.

Vt arbores aquam admittant, ex Virgilio.

Aut lapidem bibulum (inquit) aut squalenteis infode conchas:
Inter enim labentur aquæ, tenuisque subibit
Halitus, atque animos tollent sata.

Imbres arboribus cùm defloruere inimici.

Si diutius humidi blandiuntur austri, defatiscentes fiunt arbores, ac magis etiam in flore. Si cùm defloruere protinus sequantur imbres, in totum poma depereunt, adeò vt amygdalæ & pyri, si omnino nubilum fuit cœlum, austrinúsve flatus suos amittant fructus, eodem Plinio autore. Qui etiam admonet arborem post collectos fructus purgari debere, amputata omni superfluitate, & ablatis truncorum propaginibus, vt leuior sit, adhæc habitior: & si nouella est, rectior. Quæ si delicatior erit, blandè tractari debet: nam rudi contactu facilè obtorpescit. Iam quod ad positionem & sationem attinet, raris interuallis ponendæ sunt arbores ac plantandæ: vt cùm creuerint, spatium habeant, quo ramos extendant. Nã si spissè posueris, vt loquitur Columella, nec infrà serere quid poteris, nec ipsæ fructuosæ erunt, nisi interuulseris. Dum transferre volueris, antè quàm id aggrediaris, sedulò tibi notandum erit quibus ventis expositæ erant, vt simili situ illas componas & implantes. Quod dum facis, in imũ vsque scrobem, sarmentorum fasciculos crassitudine brachij debes demittere, ita vt supra terram paululum extent. Nam æstate paruo labore aquam radicibus per illos subministrare poteris.

Arbores à superfluitatibus purgari debere.

De arborum translatione.

ris. Sed optimum erit annum antè quàm plantare voles, ſcrobem fodere, vt terra Sole & pluuijs opportunè maceretur, & quod poſitum eſt citò comprehendat. Quòd ſi eodem anno & ſcrobem facere, & arbores ſerere voles: minimùm antè menſes duos ſcrobem fodies, poſteà ſtramentis incenſis, vt vult Columella, calefacies. Quem ſi latiorem patentioremque feceris, lætiores, vberioréſque fructus percipies. Scrobem verò clibano ſimilem aperies: cuius imum ſummo patentius ſit, vt laxiùs radices vagentur, ac minus frigoris hyeme, minúſque æſtate calidi vaporis per os anguſtum penetret. Generatim autem ſic arbuſculas & arbores diſpones, ne imbecilla à valentiore prematur: quia nec viribus nec magnitudine par eſſe poteſt, imparîque temporis ſpatio adoleſcit. Addam ex M. Varrone quòd arbores ex ordine plantari debent, vt eas ex omnibus partibus Sol & Luna coquant. Porrò ſummè cauendum eſt, ne poſt rigidas tempeſtates, & violentas cœli iniurias, arbores ferro vulneres, vel amputes: præſertim quæ fructiferæ ſunt. Quod pulchrè his verſibus expreſſit Iouianus Pontanus.

Secreta pro arborum tranſpoſitione & plantatione.

Forma ſcrobis ad tranſferendas arbores; & de illarum diſpoſitione.

Notanda & aduertenda.

Nã memini (inquit) cùm nullæ arteis, nõ arma doliáq́;
Vim cœli aduerſam ferrent, periere comanteis
Syluæ, ac obriguere gelu nemora omnia, cuncti
Horti dum furijt Scythicis aquilonibus aër,
Et caua conſuetos tenuerunt flumina curſus:
Quod quando (auertat Deus ipſe) rigentibus euris
Contigerit, neu tu gladio, neu cæde ſecuri
Arenteis hortos: ſed calce, ſed imbre madenti
Affer opem. hoc fac ſæpè hyeme, hoc fac vere tepenti:

Secretũ pulcherrimum pro arboribus gelu tactis.

Crede

Crede mihi non te fallet labor: inde repentè
Pullulat ab radice, aut summo stipite læta
Arbos, diffundens gemmas, & germine frondens.

Cauendum prætereà ne vna arbor, alterius stillicidium quatiente vento excipiat: presertim si diuersi fuerint generis. Adhæc ne estate radices contra Solem nudentur, aut ab eo feriantur: & ne hominis manu cacumina duriter tractentur, aut à pecoribus, capris maximè, prærodantur: nã in posterum capere incrementum nequeunt, maximè si tenellæ fuerint. Sed de translatione hîc paucis agendũ nobis restat ex Columella & Plinio.

Rerum arborearũ præcepta pulcherrima.

Arbusculæ omnes, priusquam transferantur, rubricâ sunt notandæ: vt cùm ponentur, easdem cœli parteis aspiciant, quas in suo seminario videbant: alioquin frigore, vel calore laborabunt ab his partibus quas præter consuetudinem sub alio tractu expositas habuerint. Erit ergo plaga cœli in translatis similis retinẽda, vt priùs adnotauimus, ne aquiloniæ partes meridianis oppositæ Solibus findantur: aut algeant meridianæ, aquilonibus obuersæ: quemadmodum scripsit M. Cato, & post illum Vergil. Latinæ agriculturæ doctor elegantissimus, his versibus:

Translatę arbores situm propriũ seruare debent.

Quinetiam cœli regionem in cortice signant:
Vt quo quæq; modo steterit, qua parte calores
Austrinos tulerit, quæ terga obuerterit axi,
Restituant adeò in teneris consuescere multum est.

Plerique arborem nec minorem bima, nec maiorem trima transferri præcipiunt, censentq; nõ negligendum ne radices mora inarescant: néve à septentrionibus, aut ab ea parte cœli vsque ad exortum brumalem, vento flante effodiantur arbores:

bores: aut ijs ventis radices exponantur: nam ita emoriuntur, ignaris causæ agricolis. Proderit etiam, quâm plurimum terræ in qua vixerint arbores, radicibus cohęrere, ac totas cespite circunligari. ob id Cato in corbibus transferri iubet.

Radicum in arboribus lumina ratio habenda.

Rigari debebunt quoties cœlestis imbris negabitur profusio, & ingẽs æstus perseuerabit: nam ita maioris incrementi fructus dabunt, ac vegetiores, lætioresq; euadent. Amant nonnullæ circunfodi, & ablaqueari: quod si non præstetur, aut sterilescunt, aut à sua natura degenerant. Sunt quæ tam siccis quàm humidis locis musco infestentur: quem nisi ferramento deraseris et abstraxeris, nec fructum nec lætam frondem emittent: debent itaq; diligenter emuscari, nisi quid aliud peculiare præpedierit. De morbis & laboribus arborum scribendum aliquid superest.

Arborum rigatio.

Arborũ ablaqueatio.

Arborum emuscatio.

Arborum ac stirpium hortensium morbi, labores & impedimenta aliquot.

CAP. II.

LAborant, impediuntur & ægrotant arbores, vt stirpes aliæ, modis multis. Quædam in ipsa seminum proiectione: aliæ in pullulatu & germinatione: multæ in flore: nonnullæ in gestatione, partu & educatione, vel aliter, vt posteà dicemus. Idq; vel à syderatione, carbunculatione, rubigine, pruina, nebula, grandine, imbre, frigore, flatu, coloni imperitia, soli vitio, æstu, vulnere, erosione, cruditate, obesitate, tabe, repletione, peste, vermiculatione, atrophia, siccitate, fornicatione, & alijs. Sunt itaque arborum ac plantarum,

Varijs modis arbores ac stirpes laborare.

Iniuriæ arborum diuersę.

tarum, siue domesticæ illæ fuerint, siue agrestes, iniuriæ diuersæ, morbi multiplices, ac incommoda varia. Quorum primas tenent syderatio, carbunculatio & rubigo: de quibus in fine libri primi nonnulla scripsimus, fusius de his philosophaturi in nostro opusculo De causis & signis sterilitatis annonæ. Vermiculantur inter stirpes alię magis, alię minùs, quod aues caui & marcidi corticis sono experiuntur. Sunt quæ vermiculis omnis generis infestantur, vt puerorum & adultorum corpora: ex quibus plerunque contingit atrophia, tabes & mors. Laborant nonnullæ plethora seu plenitudine: quæ sæpenumero comitem habet cruditatem ob redũdantis humoris copiam. Nonnunquam etiam fame, ob eiusdem inopiam & paucitatem: adhæc obesitate, vti nimio adipe animalia, ob immodici alimenti luxuriantem prouentum: & interdum tabe ac marcore, ob eiusdem parsimoniam, defectum vel prauitatem: aut cùm macie corticis ex ægritudine astringente se, vitalia arborum plus iusto comprimuntnr. Alijs contingunt vulnera, contusiones, fracturæ, luxationes, partium debilitates: quæ societate nominum, cum hominum morbis & miserijs quoque conueniunt. Hinc trunca dicimus arborum & herbarum corpora, & germinum oculos exustos, & multa alia sorte simili. Sunt etiam quæ clauum patiuntur, seu fungum, à superassato, aut addensato & lapidescente succo: quales sunt in hominum & animalium corporibus tophi ac nodi. Scabies arborum omnium communis est affectus: quæ lentis roribus & nebulis post exortas Vergilias gigni solet. Particularis quarundam est impetigo. Verùm vt in homi-

Arborũ vermiculatio.

Plenitudo fames, obesitas & tabes arborum.

Arborũ vulnera, debilitates & alia.

Arborũ claui & fungi.

Arborũ scabies & impetigo.

hominibus neruorum extrema cruciatus sæpè obsident, ita & in arboribus: aut enim in pedes, hoc est radices, vis morbi erumpit, aut in articulos, hoc est, cacuminum digitos, qui longissimè à toto corpore exeunt. Priuati generum morbi sunt pestis, ceu lues quædam: quæ sicuti inter certa & peculiaria duntaxat animalia nōnunquam grassatur, ita inter certas & priuatas arbores plerunq; locum habet. Vnde modò pyri, modò pomi, modò cerasi, nunc nuces, aliàs pruni, quandoque persici, aut amigdali de alijs arboribus solæ laborare, sterilescere, ægrotare, aut vexari & languere obseruantur. Est & articulatio illis perinde atque vitibus, morbus grauis ac perniciosus, vi tempestatum germinibus ablatis, & in supinū, vt scribit Theophrastus, excisis: vel culturæ seu colendi imperitia lęsis. Quæ omnes iniuriæ in articulis sentiuntur, ex quo articularis morbi, seu articulationis nomen. Aegrotant & plerunq; languent colentium culpa, quando ictu iniurioso à colono verberantur, aut intempestiuè cęduntur, vel ineptè defrondantur: adhæc quando olitor aut arator imprudens radices laxat, corpúsue desquāmat: vt interim ab hebetiore ferro contusionem, ac parum apti instrumenti vsum, ipsiúsque coloni imperitam audaciam hîc reticeam, quibus causis æstum ac frigora difficilius tolerant: nam iniuria omnis extrinsecus adueniens, in vlcus facilè penetrat. Pessimum est inter omnia, cū deflorescentem arborem percussit grando: aut imber inuasit, vel validus vētus perflauit, aut frigida nebula vel pruina descendit. Quæ postrema omnium perniciosissima esse solet: quoniam lapsa semel & admissa, obstinatè hæret, vt alibi docuimus.

Pulchra.

Arborū pestis & lues.

Arborū articulatio, ceu articularis morbus.

Arborū iniuria à colono.

Arborū labores ac impedimenta à cœlo & aere.

Arborũ debilitas.

cuimus. Debilitas in multis ſterilitatem adfert, ſed non necem, vt ſi quis cacumen aut germen auferat: ſic enim ſterileſcunt ſtirpes, licet non emoriantur. Aliquando fructus tantùm laborãt, ſalua & incolumi arbore: maximè ſi neceſſarijs et opportunis temporibus, imbres, tepores, vel ſalutares afflatus defuerint, aut intempeſtiua frigora, ardoréſve negotium fecerint: nam ita decidunt fructus, vel emaciantur, aut flacceſcunt, vel deteriores fiunt. Eſt & aranea cõmune arborum vitium & malum, quando tenellum fœtum veluti telæ quædam inuoluunt & abſumunt. Sunt culicum genera aliquibus moleſta, qui naſci vidẽtur ex dulci humore corticibus ſubdito. Erucas, vermes, pulices agreſtes, formicas, cantharides, limaces & beſtiolas alias hîc prudẽs omitto: Quarum ea eſt natura, vt detonſam, corroſam, caluam & depaſtam arborem aut plantam turpi facie, quẽadmodũ ſcripſit Theophraſtus, & moribundæ ſimili relinquant. Quæ lues ab humido & lento tepore gigni maximè ſolet. Pix, oleum, & adeps, nouellis arboribus ac plãtis inimica eſſe cenſentur: eſtq́ꝫ cortex in orbem detractus omnibus mors, excepto ſubere & andrachne: niſi corpus arboris ſimul lædatur, aut profundè incidatur. Similem rationem in multis habet decacuminatio, quæ aut mortem, aut tabem conciliat. Similem quoqꝫ quorundam animalium eroſio, delinctus ac depaſtio: nam oleã ſi lambat capra, ſterileſcere autor eſt M. Varro, vt ſuo loco dicemus. Sunt quæ hac iniuria moriuntur, aliæ deteriores tantùm fiũt. His addo quòd arborum pleræque fiſſa ſtirpe, aut trunco ſæpenumerò laborant, et quandoque intereunt, exceptis malo, fico & pu-

Arborũ vitiũ aranea.

Arborũ mala & iniuriæ a beſtiolis.

Arboribus inimica & mortifera.

Decacuminatio, eroſio ac depaſtio.

& punica. Radicibus amputatis, omnibus & arboribus & plantis mors instat certissima. Cæterùm densitate & alimenti rapina, vt loquitur Plinius, nonnunquam etiam ægrotant, ac tandem deficiunt. Sic vinciens et præstringens hedera necat, nec prodest viscum, cytisus, & quod Græci halimon vocant. Lædũt quędam & vicissim læduntur vicinia & succi mistura, vt laurus & raphanus vitem. Hoc de omnibus postremum sit, Nitrũ, alumen, calida aqua, marina item, & fabæ ac earum putamina, nec non alia multa, libris superioribus scripta, & tum demum scribenda, arboribus ac herbis vltima plerunque solent esse exitia. Superest vt iam dictis arborum morbis, laboribus ac impedimentis, certa remedia, auxilia & præsidia, si non omni, saltem bona ex parte proferamus, ab antiquis scripta & obseruata, nobis verò ac amicis nostris cognita, & in multis probata.

Radicũ amputatio omnibus arboribus mors esse solet.

Notanda de extremis arborum exitijs.

Autoris summa diligẽtia & iuuandi prona voluntas.

Hortensium arborum ægrotantium, aut aliter laborantium, remedia quędam, & secreta vniuersalia. CAP. III.

Didymus in Græcis agriculturæ Pandectis tradit, quòd si ægra fuerit arbor quæuis, illius radicibus affundi debet amurca aquæ remista æqualiter. Plinius summum præsidium esse dicit, fæcem vini, aut aquam lupini decocti circunfundere, vel lupinum ipsum circa radices serere. Si emaciata fuerit & languida, habitior fiet, si radices circumfossas, & item truncum, vetere vrina humana, eaq; virili, vel pecorum lotio imbueris: Illæsam, et à vitijs arborarijs immu-

Remedium arboris ægrotantis.

Arbor emaciata & languida quomodo curetur.

nem habebis arborem quamuis, si bubulo, taurinóve felle, radices illius perfuderis, aut fabarum vel aliorum leguminum paleis circumpositis, aceribúsve frumenti respersis, easdem radices vestiueris, & regesta terra adiuueris. Si Caniculæ æstu fatigatur arbor, & ob id syderari periclitatur, trium fontium singulos sextarios post Solis occasum radicibus iube influere, sed ita ne remedium Luna deprehendat. Vel herbam symphoniacam (quæ Apuleio eadem est cum Apollinari & hyoscyamo) circa truncum arboris, coronæ modo, intorque. Vel ex ea iuxta imum caudicem cubile facito. Si fuerit syderata arbor, & veluti tabe ęgrotans, vnguento delibutam quasi reuiuiscere obseruabis, vt scripsit Græcus Democritus in suis rei rusticæ Commẽtarijs. In quibus etiam admonet, arborem ab alitibus non impeti, quæ alliorum fasciculum suspẽsum habuerit: aut falce putatoria allio perlita, expurgata fuerit. Si florum largo prouentu luxuriando nullũ ferat fructum, querno vel fagineo palo radicum foramini impacto, & terra occultato, velut inita fœcundabitur. Proderunt & fabaceæ paleæ, trunco ac radices circumiectæ, quemadmodum scripsit Zoroastres in suis de Agricultura præceptionibus Græcis, in quibus superstitiosa nescio quæ pro eadem re adfert, ridenda potius quàm docenda. Columella arborem terebrare præcipit, & in foramen viridem oleastri taleam demitti: nam ita arbor velut inita fœcundo semine fertilior euadet. M. Cato amurcam æquis partibus cum aqua remiscendam censet, deinde arbori circumfundendam. Quæ si maxima erit, commisti amphora vna satis erit: si minor, pro ratione fundẽdum erit

Vt arbor stet illæsa.

Contra Caniculæ ęstũ, & syderationem.

Remedium syderatæ arboris.

Ne aues arborem impetant.

Præsidia arboris infrugiferæ.

Remedia alia arborum parum frugiferarum.

erit. Si arbores etiam feraces fuerint, hac miscellanea meliores quoque fient. Africanus inter Græcos geoponicos celebris, portulacã & tithymalum probè contusa & mista, arborum truncis illinebat, vt fœcundiores adolescerent: hísque columbinum fimum nonnunquam addebat. Quæ si, veluti ægrotantes, fructum defluum habebãt, nec retinere poterant, Sotion Græcorum hortulanus diligens & peritus, Lolium quod zizaniorum nomine venit, cũ radicibus euulsum in coronæ figuram efformabat & arboris trunco circundabat, vel marinos cancros paguros nuncupatos eidem circunligabat, aut plumbea corona amplexabatur. Præterea, radicem ablaqueabat, eámque perforabat, & cuneum ex corno immittebat, terra circumaggesta. Quidam nudatas radices aliquot crassiores ac maiores findũt, & fissuræ silicis fragmentum immittunt, deinde ligãt & accumulata terra rursus adobruũt. Palladius rubrica aut amurca insulsa, aquæ remista arborẽ illinit. Vel cancrum fluuialem cum rutæ ramo, aut lupinorum fasciculum eidem suspendit. Hæ sunt antiquorum obseruationes, quæ defluos arborum fructus continere possunt. Quibus si flores etiam decidere percipiantur, aut folia, hũc in modũ auxiliaberis ex Quintilliorum Græcis georgicis. Circunfossis radicibus, palearũ fabacearum aqua temperatarũ & maceratarum mensuram magnam magnę arbori, paruam verò paruæ circumpones, & ita defluuio laborantem curabis. Si à vermibus infestabitur arbor, de Florẽtini consilio sic illam defendes: Lemniam terram quam sigillatam vocant, & origanum cum aqua tere, eáque miscellanea radices illine, aut scillam

Auxilia arborum habentiũ fructus defluos.

Remedia eam in rem alia.

Arbor quæ deciduos habet flores, vel folia.

Arbor quæ à vermibus infestatur.

in circuitu plãta. Si verò piceos paxillos circa arborem defixeris, tabescent vermes ac decident. Auquibus etiam suillum stercus vino dilutum illæsam seruabit, sicuti scripsit in suis Græcis georgicis Didymus, modò illud circa arborem frequẽter inijciatur. Quod etiam præstare potest, columbinum stercus, nudatis radicibus circumpositum. Adhæc taurinum fel, ijsdem frequenter ingestum: nam ita neque citò senescet arbor, neq; vermes facilè producet. Palladius fæces veteris vini per triduum affundit. Auxilia aduersus arboreas formicas, erucas, muscas, & bestiolas alias, larga & liberali manu tibi protulimus libro primo, quem vbi voles, & quoties opus erit, consulere poteris. Superest, vt reliqua suo ordine particulatim expediam.

Ne vermes producat arbor.

Multa ex primo libro huc proferenda.

Arboris mali, eiusq; pomi, cura, auxilia, & secreta. CAP. IIII.

MAlus arbor, lippis, quod dicunt, & tonsoribus, cognita, pingue ac lętum solum desiderat: & cui humorem non tam rigatio, quàm natura suppeditet, vt scribit Palladius. Quòd si arenosum, vel argillosum fuerit, rigationibus iuuabitur. Potest etiã in macro & arido solo prouenire, sed ex eo poma dabit vermiculosa & caduca, in frigido itidem & humecto, si cœli tepor adfuerit. Stercus ouillum non tantùm exigit, sed & libenter assumit, etiam si pulueres cineris misceantur. Aptissima est ei putatio, vt arida & malè nata tollãtur, cùm illi vita sit alioquin breuissima: sed vt citò cadit, ita velociter crescit: quæ quò annosior fuerit, eò deteriorem, minoremq;

Malus quale solum desideret.

Poma vermiculosa.

Putatio malis aptissima

ac vermiculosiorem fructum feret. Siccitatibus vespere rigari appetit quotidie, vnde quòd potu indigeat hæc arbor, hinc illius fœtus poma dici putat Marcus Terentius Varro in suis de Agricultura præceptionibus & Commentarijs. Tentatur quandoq; syderatione & vredine, his præsertim locis quæ à venti flatu silent: sed omnium maximè vermiculationē sentit, hoc est vermium erosionem. A quibus immunis erit, si, vt præcedenti capite scribebamus, scilla circũposita fuerit. Quos si hæreditarios habuerit, felle bubulo, vel suillo stercore misto humanæ vrinæ, & radicibus affuso extinguentur, sicuti ante Palladium Anatolius Græcus in suis rusticæ disciplinæ præceptis diligēter adnotauit. Nec temerè, mea sententia, nam hæc arbor mirũ in modum lotio recreatur, cuius rigatu crebrò iuuari certum est. Si verò negotiũ exhibere perrexerint, cortex æreo clauo, vel scalpro, vt Palladius legit, fodicandus erit atque vellicandus, donec mucrone vermes acti radantur & deturbentur: sed vlceratum locum bubulo stercore obducere licebit. Porrò, si generosissimæ quæque malorum plantulæ, taurino felle radicibus admoto, ita scrobibus imponantur, vt cacumen tantùm super terram extet, à vermibus immunes prorsus erũt, cùm fructibus qui inde nascentur, eodm Anatolio autore. Qui etiam morbos quosuis ægrotãtis mali curat stercore asinino aqua macerato, & sex diebus, occiduo Sole, ad radices irrigato, ídque frequenter, & per interualla, donec germen erumpat. Si fructum multum eam parere cupis, & sobolem numerosam proferre, sectum plumbei tubi seu canalis os patulum, sic vt circulum ducat, caudici

Rigatio æstate malis vtilis.

Syderatione & vredine tentatur malus.

Remedia aduersus vermiculationem.

Pulchræ machinæ pro abigendis vermibus ab arbore mali.

Remedia ægrotãtis mali.

Vt malus sobolem profe

rat numerosam.

altitudine pedis â terra circunducito, & cùm mala cœperint adolescere, vel arbor ipsa florescere, torquem illum & circulum eximito, idq́ʒ quotannis facito, vt fœcunditatem arbor recipiat.

Ne pomifera arbor rũpatur pondere grauata.

Cæterùm, quia pomiferis arboribus, vti etiam alijs, frequenter vsu euenire solet, vt degrauatæ fœtuum pondere, laborare videantur, adeò vt nonnunquam rumpantur incuruati rami (sicuti hoc disticho adnotauit Ouidius,

Aspice curuatos pomorum pondere ramos,
Vt sua, quod peperit, vix ferat arbor onus.)

furcis suppositis oneri impares fulciendæ erunt. Quod in nucis historia non prætermisit idem Ouidius:

Pomaq́ʒ læsissent matrem (inquit) nisi subdita ramo
Longa laboranti furca tulisset opem.

Vt malum aut pomum aliud imaginem quamuis referat.

Africanus Græcus in suis Georgicis scriptum reliquit modum, quò vel humanam, vel animalis, aut rei alterius, imaginem induet malum in sua adhuc arbore pendens, vel pomum aliud quoduis. Gypso (inquit) aut figulari luto quamcunqʒ voles insculptam imaginem tege: & in duas parteis apto instrumẽto, ea industria seca, vt iterum illæ ritè coniungi posſint ac committi. Deinde in figlina excoque: cúmque malum ad dimidium peculiaris incrementi peruenerit, hisce formulis include, validisq́ʒ vinculis firmiter obstringe, ne fictiles typi diuellantur auctu obuoluti mali. Quod vbi capacitatem illorum expleuerit, tales animalium figuras repræsentabit, quorum & habitum & imaginem ibidem mentiri visum tibi fuit. Quæ res in effigiandis malis non solùm locum habebit, sed etiam in pyris, cotoneis, persicis,

cis, citrijs, punicis, aurantijs, limonijs & reliquis pomorum generibus. Quod hîc semel dictum velim, ne dum per varias pomorum classes spatiabor, illud identidem molestè repetere cogar. Verùm enimuerò oportet vasi & fictilibus typis perspirationem aliquam relinquere, hoc est foraminula imprimere, quibus aërẽ admittant & emittãt, alioquin putrefactioni facilis parabitur via, licet multi aliter sentiant. Si dulcia mala fieri desideras, stercus caprinum vrina humana dissolutum cum veteris vini fęce radicibus infunde. Si imputria habere voles, felle viridis lacertę inungatur caudex: erit & hoc aduersus formicas remedium pręstantissimum. Si caduca fuerint mala, fissæ radici lapis impactus illa retinebit. Quæ si ramos spissiùs onerabunt, vt disrumpi periclitentur, interlegenda erunt, quæ vitiosa videbuntur: vt generosa copiosiore alimento gaudentia, maiori incremento luxurient, vitiosis alimoniã ampliùs non surripientibus: aut furcis adiuuanda erit arbor, vt anteà diximus. Quæ si imbres metuet, Solis exortum spectare debebit, Plinio autore, vt eos Sol statim diripiat ac reficcet.

Autori molesta vbique repetitio.

Vt dulcia fiant mala, adhæc imputria.

Vt mala non fint caduca, & onere nõ rumpatur arbor.

Si tibi sit cura grandeis educere fœtus,
Et patulas implere manus: age, decute ramis
Crescentem sobolem, è multis vt pauca supersint
Poma: sed & maiora loco, & magis auspice nota.
Vberiore etenim succo lætabitur hæres
Fraterni lactis, vacua dominator in aula.

Vt grandes fœtus producat arbor mali.

Quod vnum deinceps ad reliqua pomorum & nucum genera, prudenter etiam accommodare tibi licebit, vt à crebris repetitionibus, quas semper habui molestas, opportunè me liberes. Si ru-

bra poma nasci desideras, arbor vrinæ humanæ rigatu satietur, quemadmodum scripsit Berytius in suis de rebus agri præceptis. Non desunt qui rosas puniceo colore rubenteis sub arbore mali vndiq; serant, & ita rubra mala fieri promittant. Alij palos in terram defigunt, hísque pomiferos ramos citra vulnus incuruatos alligant: & iuxta illos vasa vel scrobiculos factos aqua implẽt: satagentes vt meridie solaris radius in aquam illabens calidum vaporem euocet, qui refractu in fructus resiliẽs, ex calore rubrũ colorem eis conciliet. Qui re vera absque vllo mangonio & artificio his partibus maximè solet inesse, quæ Phœbum recta intuentur & meliore diei parte illum excipiunt. Nonnullis sanguineus color peculiaris inest, tracta origine ex mori insitu. De malorum nomenclatura, omnibus ferè nationibus varia, varioq; insitionum adulterio, hîc nihil à me expectabis. Omnia seminis nigrore maturitatem fatentur: suntq; legenda circa autumnale æquinoctium: pro cœli, soli, et arboris cuiusque natura: nec ante xv. Lunam, vt scribit Plinius: ídque cauta manu, ne contusione, aut vulnere aliquo lædãtur: separatis cadiuis, putrescentibus ac verminculosis, à præstantibus & generosis. Seruabuntur optimè tabulatis extra fumum & graueolentiam in loco frigido & septentrionalibus fenestris aperto: quæ sereno die patenteis lucem accipere debent, exclusis austris: nam aquilonibus multò nocentiores fructibus esse solent: à quibus poma quæq; rugis deturpari certum est. Seruãtur præterea in frigido & arido loco supra paleas, vt scribit M. Varro. Ideo qui oporothecas faciunt, ad aquilonẽ vt fenestras habeant & aëre perflen-

Vt rubra fiant mala.

Pulchra & notatu digna.

Quando matura dici debeant mala: & quo tempore decerpenda.

Quomodo seruanda & reponenda mala.

Loca apta seruandis malis.

perſlentur ſummè curare debent. Plinius folijs ficulneis ſingula, præterquam cadiua & vitiata conuolui iubet: ciſtíſque vitilibus condi, vel creta figlinarum illini. Apuleius Græcus in ſuis geoponiçôn præceptis, adhæc Columella, Plinius, Palladius, & alij rei agrariæ doctores, eam in rem multa poſteritatis memoriæ diligenter mandauerunt. Ex quorum Commentarijs ſequentia tibi libentiſsimè ſelegimus. In olla fictili cera interius inducta, & bene operta, multi innocenter poma cuſtodiunt. Sunt qui creta aut figulina terra ſingula incruſtent, ſiccent, ac ita reponant. Seruantur etiam integra, vegeta & longo tempore incolumia, ſubſtratis nucum folijs non caducis: quibus & odori & colori perquàm bellè conſulitur. Quod melius cedet ſi folijs ipſis conuoluantur, & foliatis nucum frondibus tegantur. Multi arculas ſingulis pomis aſſignant. Alij in tabulis ſuppoſita palea diſponunt, & ſtramentis ſuperiori parte operiunt: ac ita componunt vt limites peruij ſpiritum æqualem accipiant. Palladius in locis obſcuris, vbi ventus non ſit, ſtramentis priùs in crate ſubiectis, cumulatim ſecreta diſponit, & cumulos frequenti diuiſione ſeparat. Cuſtodiuntur etiam vitigineis folijs ſingillatim obuoluta, & luto vel argilla candida illita, ac Soli quoad cruſtam duret, commiſſa: talia enim permanent, qualia concluduntur. Aliter caniſtris vel viminemis ciſtis componuntur, & mundo tomento veſtiuntur. Sunt qui ſolos pediculos figulina terra muniant. Plerique in puteo vel ciſterna fictilia vaſa mergunt: quibus diligenter picatis & clauſis, mala committuntur. Nonnulli pediculis ferventi pice demerſis, ſupra tabulatum ex ordine

Modi varij cuſtodiendorum & reponendorum malorum.

Modus facilis, & popularis.

Ingenioſus modus & paratu facilis.

Pulchrum inuentum.

disponunt. Hyberna seminibus, præsertim hordei, vt vuæ conduntur. Seruantur etiam optimè hoc modo: Accipe vas fictile non picatum & in fundo perforatum, quod ad fauces vsque in columibus & generosis pomis manu collectis exple, & pyxacantha, vel myachanta, vt Græci habent codices, aut re quauis alia, vasis spiracula diligenter obtura, & in qua volueris arbore suspende, ac per totam hyemem ibi esse permitte: talia inuenientur, qualia fuerunt condita. Quod experientia certa fatetur se didicisse Apuleius Gręcus: tradens ea etiam durare musti dolijs immersa, clausa & à fęce seruata. Quo etiam modo vinum ipsum, viníque suauitatem miraculo quodam conseruant. Sed id ad mala cydonia propriè attinere, vt pleraque alia hîc scripta, suo dicemus loco. Conduntur & ollis fictilibus in vini dolium demersis, ita vt ei innatent, & dolium oblinatur. Non putrescent si herba virentis satyrij illita fuerint cacumina. Palladius Neapolitanus rotunda mala quæ orbiculata dicuntur, sine cura toto anno seruari posse ait. Plerique scobem populi, vel abietis inter poma diffundunt: quæ sic ponenda esse constat, vt flosculi sursum, & pediculi deorsum spectent: nec ante vsum necessarium attingantur. Sed illud in totum præcipiendum duxi, nullum esse pomi genus, quod non possit melle seruari. Itaque cùm sit hæc res interdum ægrotantibus salutaris, censeo vel pauca poma in melle custodiri, sed separata generatim: nam si commisceas, alterum genus ab altero corrumpetur. Sunt alia custodiendi secreta, quæ in cydonijs seu cotoneis malis exprimentur, adhęc in pyris, & omnium maximè in punicis, citrijs & alijs. Quod tantisper

Vt malę talia inueniantur, qualia fuerũt condita & reposita.

Mala à vino seruata, & vinum seruantia.

Vt mala non putrescant, & incolumia diu custodiantur.

Pomi genus omne optimè seruari melle.

tisper dum expectas, ex Plutarcho admonere superuacaneum esse non putaui, mala gestantibus dorsuarijs iumentis tam grauia esse (etiam si pauca portent) vt oneri, viribus alioquin non impari, succumbant, ac sudando deficiant: solo odore, vt Latinus putat Apuleius, adeò illa offendente, vt animo linquantur. Quod ad cydonia summè odorata an potiùs referendum sit, faciat experiētia fidem. Remedium præsentissimum est oblatus panis: quem si vorarint, vt scribit Plinius, sese protinus recolligunt. Vitabitur id periculi si aliquot prius edenda, vel conspicienda odorandáque illis exhibeantur. Ex acerbis & syluestribus malis præstantissimum omphacium prælo vel trusatilibus molis exprimi potest: adhæc acetum in hunc modum. Per triduum mala in cumulo seruantur, deinde mittuntur in cadum, cui fontana aut pluuialis aqua miscetur: ac opertum vas per triginta dies sinitur, & subinde quantum fuerit aceti sublatū ad vsus, tantū redditur aquæ ad reparationem. Vinū quoque factitare sic solent multi ex generosis & domesticis malis, quod citream vulgò nuncupant. Eadem prælo, vel trusatilibus molis, tortiuum ius exprimitur: deinde rursus secundarium, fracibus & retrimentis in aqua maceratis, ita vt pomea lora dici possit: non parui momenti ad restinguendam sitim rusticorum per messes & fœnisecia. Quod mirum esse non debet: nam pomis, pyrísque inest vini proprietas, quemadmodum scripsit Plinius, similitérque ægris medentes cauent: ac vino & aqua coquuntur, atque pulmentarij vicem implent. Priusquam hinc abeam, alienū à nostro instituto non erit memorare, quòd multi sequenti experimento

Iumenta dorsuaria portādis malis sudare & succumbere.

Quomodo ex malis fiat omphacium & acetum.

Quomodo fiat vinum ex generosis malis.

Notanda diligenter & obseruanda.

mento deprehendunt, an aquis vinum fuerit infuscatum, vt Plautino vtar vocabulo. Malum in vas inijciunt, aut pyrum syluestre, & si quidem supernatauerit, vinum esse purum significat: si verò mergatur, aquam habere. Sed hoc ad nostra vinorum secreta transferendum erat.

An vino insit aqua experimentum pulchrum.

Arboris Pyri, eiúsque pomi, cura, auxilia, & secreta. Cap. V.

Quibus locis gaudeat pyrus.

PYrus frigidis, humidis ac vberibus locis summè gaudet, quemadmodum scribit Diophanes, rei agrariæ apud Gręcos doctor insignis. Gaudet etiam planis, in quibus lætior educatur. Palladius tale solum ei destinat, quale vinetis cõuenit: nimirum lætum & non impeditum. Prouenit hæc arbor semine, plãta, & insitione. Quod tamen interest, sicuti post Plinium idem adnotat Palladius. Nam si quis pyrorum semen spargat, nasci quidem necesse est, natura originem suam refouente: cuius æternitati nulla tarditas potest adferre fastidium. Sed homini, cui, Hippocrate teste, vita breuis esse solet, hoc expectare longum est: cùm & serò ita veniant fructus, & à generis sui nobilitate decedant. Quæ sua planta seritur arbor, dulcedinem ac teneritatem retinet, diu tamen seruata non durat. Quæ insitione comparatur, moram ætatis sustinet. Crebris fossionibus, & humore frequenti pyrum gaudere, autor est Palladius: nam ita vegetior euadit, ac meliùs proficit: vsqueadeò, vt tempore quo florere consueuit nihil de prolato flore depereat, si eam tunc fossor adiuuerit. Primos fructus, Plinio autore, facilè perdit, si cùm defloruerit, vel in florem defatiscit, protinus sequantur imbres, aut nubilum

Quibus modis proueniat pyrus.

Pyrus sata quid distet ab insita.

Súmè notanda pro florente & deflorente pyro.

fiat, austrinúmue cœlum. Iuuabis plurimùm si interiecto anno qualelibet lætamen ei adiungas. Sed bubulum spissa & grauia poma, vt loquitur Palladius, creare solet. Sunt qui cinerem misceāt, hinc existimantes pyris argutiores sapores contrahi. Non duxi omittendum, quòd pyro vita breuior esse solet, quàm pyrastro: quæ pyrus fieri recusat, & si ex vitiata pyro bene nascatur, vt tradit Theophrastus. Si sterilis fuerit pyrus & lāguida, fœcundabitur eo artificio quod superius expressimus. Plerique vbi adoleuerit arbuscula, altè solēt ablaqueare, ex Columellę præcepto, & iuxta radicem truncum findere, ac fissurę cuneum tædæ pineæ, aut ex fago vel quercu, vt vult Palladius, adigere, atq; ita obruere. Si lapidosos fructus emittit, iubet Quintilliorum agricultura arborē ad imas vsque radices detegi, & quicquid lapidosum inuenietur, secerni ac excludi: altera terra cribro excreta, alterius loco suffusa, & addito stercore reposita. Quod summè proderit, si rigare nō cessaueris. Si dulciora & copiosiora pyra arborem tibi exhibere voles, trunco proximè radicem terebrato, cuneum ex fago, vel quercu, vt longè antè Palladium scripsit Græcus Diophanes, defiges, aut vini fæcem nudatis radicibus instillabis. Si dum floret ægrotabit, curabis fæce vini veteris affusa radicibus ablaqueatis per triduum, regesta tum demum terra. Si à vermibus infestentur arbor & fructus, radicibus felle bubulo, vel taurino, frequenter imbutis & perunctis, morientur omnes, ac in posterum gigni prohibebuntur. Sunt alia arboris huius auxilia & secreta, ex præcedentibus capitibus, & sequentibus eruenda, ne sim repetendo molestus. Moro insita, rubicun-

De stercore pyris apto.

Remedium sterilis pyri.

Ne lapidosos fructus pariat pyrus.

Vt pyrus copiosum & dulcem ferat fructum.

Remedium ægrotantis pyri in flore aut à vermibus infestatę.

Pyra quomodo fiāt rubicunda & effigiata.

bicunda pyra feret, vt Tarentinus tradit. Modū effigiandi pyri in quas volueris formas, requires ex præcedenti capite & ſequentibus. Sed de parē te arbore ſatis: ſupereſt vt eius ſobolē aggrediamur: quæ hodie apud nos vſqueadeò creuit, & tot inſitionum adulteratis coniugijs tam fœcūda ac multiplex euaſit, vt ſingillatim perſequi, ſanè quàm difficile putem. Quò fit, vt ad pyrorum cō- dituram, repoſitionem & cuſtodiam me cōferre cogar.

Quando & quomodo legenda ac cuſtodienda pyra.

Legenda ſunt pyra eo modo quo mala, eáque methodo, nimirum die ſereno, & blanda manu ne vulnerentur, caducis & vitiatis, à ſanis & integris ſecluſis, decreſcente Luna, & vegeto Solis calore. Quod vbi factum erit, in picato vaſe diligenter includentur: cuius os deorſum reclinabitur, atq; breui ſcrobe eo loco obruetur circa quē perennis aqua decurret. Hoc Palladij eſt conſiliū & præceptum. Democritus optimè ſeruari affirmat, ſi illitis pice ſurculis vel pediculis ſuſpendā- tur.

Varij modi reponendorum pyrorū.

Alij ſapa, vel paſſo, aut dulci vino merſa, vaſis plenis cuſtodiunt. Sunt qui inter ſcobes obruant. Plerīq; ſiccatis frondibus iuglandis inuoluta reponunt. Nonnulli in vinaceis diſcreta, ne ſe cō- tingant, ſepeliunt. Ruſtici inter paleas aut frumenta ſeruant.

Notāda pro cuſtodiendis pyris.

Alij ſtatim lecta cum tenacibus ſuis, vt loquitur Palladius, picatis vrceis condūt & oribus vaſculorum gypſo vel pice clauſis, ſub diuo obruta, ſabulóue tegunt. Seruantur omniū optimè, vt reliqui fructus, melle: modò non ſe contingant. Fit vinum è pyris, perinde atque ex malis, quod noſtrates pyraceum nuncupant.

Vinum pyraceum.

Cuius modum require ex præcedenti capite, & alia pleraque huic pyrorum hiſtoriæ valde affinia & conſentanea.

Arbo-

Arboris cotoneæ seu Cydoniæ, ac eius pomi cura, auxilia, & secreta. Cap. VI.

ARborem hãc à M. Catone Cotoneam appellatam fuisse tradũt, ac si diceres Catoneam, cùm à Græcis longè antè Cydonia vocaretur, á Cydone Cretæ oppido, vnde primùm aduecta fuit. Amat locum frigidum & humectum, vt tradit Palladius. Quæ si in tepido statuatur, rigatione opus habet. Sunt qui scribant illam statum mediocris situs inter naturam frigoris & caloris libenter ferre, & in locis tam planis, quàm decliuibus facilè educari, quanquam inclinata & deuexa magis desiderat. Dum ponitur, si minor est, stercore iuuari debet: si maior, cinere vel cretæ puluere, semel toto anno radicibus immisso. Rigãda est, Paxamo autore, quoties cœlestis negatur infusio. Nam sic poma sua citò matura & maiora dabit. Licebit etiam idoneis temporibus illam circũfodere, aliàs sterilescet, aut ingenium mutabit. Sic verò in suo cotoneto disponetur, ne altera, quatiente vento, stillicidium alterius tangant, & combibat. Pomi illius figura simpliciter exprimi nequit, quoniam cotoneorum alia incisuris crispantur, colore ad aurum vergente: ex quo Græcis chrysomela, & Virgilio aurea mala, vt multis placet, dicta sunt. Alia candidiora vidẽtur, odoris præstantissimi. Alia struthea nuncupantur, serotino prouẽtu maiora, & nescio quid odoratius reliquis vibrantia. Habentur prætereà syluestria, parua & in sepibus plurimum nascentia. Quotquot sunt, tenui lanugine omnia pubescunt, & fragranti odore caput feriunt. Democritus in suis Georgicis græcis promittit cotonea

Cotonea arbor vnde dicta.

Locus arbori cotoneæ aptus.

Stercus & rigatio cotoneę, adhæc fossio.

Cotoneorũ figurę variæ.

Quomodo effigiata fiãt cotonea.

tonea cuiusque animantis effigiem repræsentatura, si in formatis fictilibus, aut insculptis vasculis adolescant, ea methodo quam in malorum historia præscripsimus. Si ægra fuerit arbor cotoneorum, amurca æqualiter aquæ remista, radicibus affundatur. Aut calx viua cum creta & aqua temperetur, arborísque trunco illinatur. Si sterilis fuerit, infœcunda, vermiculosa, lapidosa, aut aliter laborans, recurre ad ea quæ superius tã generali, quàm particulari præcepto scripsimus. Nã pudet toties eandem, quod dicunt, incudem tundere. Ad condituram itaque & repositionem, custodiámque cotoneorum venio. Quàm ex priscis Græcorum geoponicis, & Latinis rei rusticæ doctoribus, M. Varrone, Columella, Plinio, Palladio & alijs excerptam sic habe, & ausculta. Imprimis cotonea quã maturissima & integerrima, sine macula, sereno cœlo, ac decrescente Luna colligere debes: & in lagena noua, quæ sit patentissimi oris, detersa qua canescunt lanugine, laxé ac leniter componere, ne collidi possint. Deinde cùm ad fauces vsque fuerint composita, vimineis surculis aut circulis sic erunt arctanda, vt modicè premantur, ne cùm humore fuerint imbuta, sustollantur. Tum quàm optimo & liquidissimo melle vas vsque ad summum ita replebitur, vt pomum quoduis ibi submersum videatur. Sed summoperè tibi cauendum erit, ne immaturum illud & crudum reponas, alioquin ita induresceт, vt vsui esse non possit. Audio nonnullos cotonea osseo aut ligneo cultro (quod ferrum metuant) aperire priusquàm melli seruanda committãt, adhęc semina eximere, à quibus pomum vitiari putant. Res ridenda potiùs quàm audienda.

Remedium pro ægra aut sterili arbore cotonei, vel aliter laborante.

Autori molesta repetitio.

Quomodo legenda & seruanda cotonea.

Pulcchra & notatu digna.

Admonitio non aspernanda.

da. Nã ea mellis est natura, vt vitia coërceat, nec serpere patiatur. Qua ex causa etiam exanimum corpus hominis per annos plures innoxium seruat. Hæc ratio non solùm cotonea custodit, sed etiam liquorem mellei & cotonei saporis exhibet, qui sine noxa potest interdum dari febricitantibus, & melomeli nuncupatur. Democritus lecta cotonea dolijs musti ad fęcem vsque mergebat, atq; ita claudebat, vinum hinc odoratius reddi promittens. Alij in nouam ollam dolio vini innatantẽ illa reconduut, & dolium oblinunt. Sunt qui folijs fici obuoluta custodiãt. Plerique stupis, tomentóue mundo vestita, in cistis concinnant & disponunt. Multi in scobe, vel milio, hordeo, aut auena, longo tempore incorrupta seruant. Sed in ea domo nec sunt condenda, nec reponenda vbi reliqui fructus fugaces, vel alij quique tenelli custodiri solent. Nam illos suo acerrimo odore vitiant ac labefactant, omniumq; maximè vuas in vicino situ iacentes. M. Cato in loco frigido & arido supra Paleas rectè seruari putat, quemadmodum de malis diximus, quorũ custodia cũ cotoneis annuit & conspirat in multis. Non desunt qui fici, aut nucis folijs inuoluta seruent. Alij creta figulina illinunt, siccatáque in Sole, suspendunt, & dum vsus postulauerit, cretam diluunt. Plerique arculis ligneis separatim includunt, & in tabulato, siccissimo ac frigidissimo loco, vbi neque fumus, neque teter sit odor collocãt, ita vt flosculi sursum, pediculi verò deorsum spectent, nec alterum ab altero corrumpatur: deinde scobe populnea, vel abiegna interposita, luto paleato opercula munita superponunt, ne introire possit spiritus. Hæc ex anti-

Mel putredini resistere & vitia quæque coercere.

Varij modi custodiendorum cotoneorum.

Summè notanda & obseruanda.

Alij modi seruandorũ cotoneorũ.

quorum penu deprompta fusiùs persequi voluimus, quòd aliorum pomorum custodijs maxima ex parte accommodari possint. Sed penè hîc præterieram cydonitem, seu cydoniatum, quod fieri solet decoctis cotoneis ex saccharo simpliciter, vel additis caryophyllis & cinnamomo, deinde expressis & asseruatis. Fit etiam vinum ex his tusis, & torculari, vel molis trusatilibus expressum, cui nõnihil mellis addi debet, alioquin celeriter acore vitiatur.

Quomodo fiat cydoniatum.

Vinum cydoniatum.

Arboris pruni ac eius pomi cura, auxilia, & secreta. Cap. VII.

Quo solo gaudeat prunus, & quomodo poma vermiculosa nõn gignat.

PRunus læto & humido solo gaudet, optimeque adolescit tepido cælo: cũm tamen & frigidum possit sustinere, quemadmodum scripsit Palladius. Si in locis glareosis & lapidosis iuuetur letamine, caduca pruna & vermiculosa non gignet. Seri potest ossiculo in putri & subacto solo, modò duobus palmis altè obruatur. Ponitur etiam planta sumpta ex caudice, radicibus fimo oblitis. Iuuatur frequenti humore, & assidua fossione. Sed quæ Damascena vocatur, sicca terra & aẽre calido lætatur, vt scribit Pamphylus Græcus in suis georgicis. Si languida fuerit & minùs ferax, amurca æqualiter cum aqua temperata radicibus infundi debet. Vel bubulum lotium solum, aut humanum, idque vetus, mistum æquis partibus cum aqua. Vel cineres è furno, maximè sarmentorum, vt ex Gręcorũ geoponicis testatũ voluit Palladius. Eadem arbor si à vermibus aut formicis infestatur, rubrica & pice liquida illini debet. Quod modestiùs tentandum erit, ne idem effi-

Quomodo serenda pruna.

Remedium languidę pruni, & minus feraci.

Remedium contra vermes & formicas pru-

officiat remedium, quod venenum. Alia auxilia ex superioribus tibi petenda, hîc mihi sunt tacenda, vt reliquis ex ordine suum concedam locum.

num infestantes.

Ab arbore itaque, ad fructum descendo, quem absque ossiculis tibi comparabis, si tenellam arborem ad binos pedes recisam vsque ad radicem findas, abrasáque & excauata scalpro vtriusque partis medulla, confestim seiunctas parteis vinculo constringas, superiorémque partem ac diuisuras laterum fimo, vel argilla, ceráue obducas, & charta madida munias: elapso anno obfirmata cicatrice omnia coaluisse perspicies. Hanc deinde arborē surculis qui fructū non tulerūt inseres, & sine ossiculis poma ꝓferet, siue illa fuerint pruna, siue cerasia, persica, mespila, palmulæ, lapidosaue corna.

Vt nascatur pruna sine ossiculis.

Prunorū differentię apud nos esse sunt innumeræ, & ferè inexplicabiles. Nā ex his alia reperiuntur herbaceo colore perfusa: alia rubro, semirubro, eburneo, luteo, purpureo, nigro, cęruleo, ac variegato. Quędā pterea vidētur magna quędā parua, & quędā mediocria. Dulcia nōnulla, alia acida, vinosa, dura, mollia, rotunda, ouata, & oblōga. Quę omnia post Catonē cœpisse scribit Plinius. Habētur & nucibus insita, quæ speciē, & succū adoptionis reprę̄sentāt, ab vtroq; referente nuci pruna appellata. Prima omniū laus Damascenis tradi solet, à Damasco Syriæ monte, vt scribit Galenus, oriundis & cognominatis. Seruantur optimè, vt tradit Pamphilus Gręcus, fictilis vino dulci, vel nouo expletis, modò in his habitarint, & vasa diligenter operta fuerint. Secūdas parteis sibi vendicant, quæ pruni dactyla vocantur, à digiti longitudine, vt puto dicta: ouata primi specie, & carni suaui, necnō insitionis man-

Prunorū differentiæ variæ.

Nuci pruna insitione cōparata.

Quomodo optime seruētur pruna, & quibus laus tribuatur.

gonio nusquã non nascentia. Quæ ex omni gene-
re seruari debent, ea integra & sine vitio aut ver-
miculo, die serena legenda sunt, & in picata fid-
lia reponenda defruto aut passo plena, vt pom-
omne demergatur: cuiq; operculum diligenter gy-
psatum superaddetur. Siccantur etiam in Sole
per crates, sicciore loco disposita, vt scribit Palla-
dius. Sunt qui in aqua marina, vel feruente mu-
ria, recenter lecta demergant, & inde sublata, au-
furno tepido, aut in Sole resiccant.

Quæ seruari debent pruna, quomodo legenda & reponéda.

Arboris Cerasi, ac eius pomi, cura, auxilia, & secreta. Cap. VIII.

CErasus frigidis & humidis locis delectatu-
vt tradit Florentinus in suis Græcorum g-
orgicôn placitis. Cui astipulatur Palladius, scri-
bens eam frigidum cœli statum amare, & solum
positionis humectæ. Plinius, septentrione, & fri-
gidis aquosisq; montibus gaudere testatur, ac
hæc scrobes altas amare, & spatia largiora, necno-
assiduas fossiones. Vúltque ramos illius putre-
marcescentes ac siccos amputari: adhæc qu-
densiùs arctatos protulerit, nimirum vt rarescat.
In qua sententia etiam Palladius totus esse vid-
tur, adfirmans præter hæc cerasum tanta esse a-
comprehendendum facilitate, vt virgulta (n-
dum sparsa ossicula) in vitibus pro adminicul-
posita, in arborem prosilijsse viderit: non om-
tens trunco ac nouellis ramis illius lanugine-
quandoque innasci, quæ si obstinatè adhæser-
totum corpus arboris putrefacit, quare debet -
dulò deradi priusquam inseratur trunco, ali-

Quibus locis quóue cœli statu gaudeat cerasus.

Quomodo tractanda arbor cerasi.

Ceraso summa facilitas ad comprehendendum.

qu-

uin officiet. Porrò fimum vſque adeò horret
dítque, vt admoto eo degenerare palam con-
piciatur. Valde autem proficit ac iuuatur, ſi ſui
oſius putamina falce conciſa circum radices ſe-
eliantur, ibique marceſcant: quemadmodum
dnotat And. Matthiolus commentarijs ſuis do-
tiſſimis in Dioſcoridem. Sanè nulla eſt arbo-
um quæ ſuam ſobolem & propagationem ma-
is adaugeat. Nam eius humore & ſaliua, ſeu fœ-
undo quodam ſpermate, grauida facta terra, in
ampis, montibus & ſyluis adeò numeroſas
lantas concipit, procreát & parit, vt nihil nu-
ieroſius, frequentius atque admirabilius occur
at. Specioſſimos ſatiuarum omnium fructus
rofert diuerſorum generum, quò fit vt diuer-
a quoque ſortiantur nomina: quæ hic explica-
e non admodùm laboro, contentus docere,
uòd Francis Ceraſij nomen fructus ille propri-
m ſibi fecit, qui mediocri arbore naſcitur (inter
um pumila, quaſi frutice, chamæ ceraſum rectè
ixeris) pediculo breui, rotundulo pomo, pul-
herrimé & iucundiſſimè inter virentia folia
carbunculi modo) rubente, dum maturuit: cui
aro multa, mollis & ſuccoſa ineſt, oſſiculum in
neditullio claudens. Solet vſus eius maximè pla
ere grato acore, vnde moroſa ægrotantium pa-
ata mirè recreat, & prægnantium malacijs, ante-
uam matureſcat, ſummè expetitur. Quòd ad gra
lus maturationis attinet, primùm virent ceraſia
nox albeſcunt, inde pellucido rubore illuſtran-
ur. Sunt qui ab vno latere rubent, altero albent.
Quædam etiam nigricant. Alia maculis quibuſ-
lam interſperſis diſtinguuntur. Vndè rectè Oui-
lius:

Ceraſum fimo nō gaudere, & quomodo ſtercoranda.

Nulla arborum ſuam ſobolē tam propagat, quam Ceraſus.

Quid Ceraſus Francis propriè appelletur, & eius pictura.

Ceraſi fructus moroſis palatis gratiſſimus.

Gradus maturationis ceraſiorum.

Quæq; sibi vario distinguit poma colore,
Audiat hæc cerasus, stipes inanis erit.

Florentinus rusticæ disciplinæ apud Græcos doctor insignis, tradit arborem cerasij fructum bonum & dulcem nunquam exhibituram, nisi fuerit alteri arbori insita. Quæ si humore nimio concepto putrescere obseruabitur, ex Palladij consilio, foramen in trunco excauari debet, quo ille possit educi. Si formicas patitur, succum portulacæ licebit affundere, cum aceti parte media mistum, aut fæcibus vini truncum florentis arboris illinere. Præcoces fructus dabit, si ante florum exortum, calx viua radicibus circũponatur, aut aqua calida sæpiùs infundatur, sed posteà paruo temporis tractu inarescit. Optimum est huius arboris poma interuelli, vt quæ relinquentur turgescant. Si quis vt Florentinus tradit, Ceraso nigram vitem inserat, verno tempore vuas proferet. Si exossata habere cupis cerasia, hoc est ossiculis carentia, ex Gargilij Martialis sententia, vt Palladius adnotauit teneram adhuc arborem ad binos pedes recides, & vsque ad radicem findes, abrasáque ferro partis vtriusque medulla, illicò seiunctas partes vinculo perstringes, & summitatem ac diuisuras laterum fimo oblines: post annum ducta cicatrice dum diuortia coalescant: eidem arbori surculos qui adhuc fructum non tulerunt inseres, & hinc sine ossibus poma recipies. Sed melius erit audire loquentem ea de re Democritum, rei agrariæ apud Græcos consultissimum. Si tenellum (inquit) cerasi caudicem radice tenus scindas, non vulnerata parte ima, medullàmque ferramento ad eam rem apto eruas: deinde lacrymam cyrenaïcam infundas aqua dilutam

Remedium putrescentis cerasi.

Quomodo fiant præcocia cerasa.

Quomodo fiant cerasia ossiculis carentia.

Vt Cerasia prodeãt enucleata, ex Democrito.

tam, donec ſapæ conſiſtẽtiam referat, & humente charta dictum caudicem, non neglecto adminiculo, liges ac fulcias, ne lacryma effluere poſſit, ac rurſum octauo die eadem lacryma perfundas, vt germina excitet: hoc faciens enucleatum fructum habebis, non dicam ceraſi, ſed alterius arboris pomum oſſiculatum ferentis. Secreta alia & auxilia ſunt de ſuperioribus eruenda. Hîc non omittam quod ceraſus lauro conuenienter inſeritur, ſicuti in noſtro Inſitionum opuſculo docebimus. Nam hinc quandam odoris gratiam ſibi conciliat fructus, qui inter redolentia ac viridiſſima lauri folia ſpecioſiſſimus ſpectatur, & à vermibus minus infeſtatur. Quod ad conditurã & cuſtodiam attinet, ratio à Florentino Græco ſic eſt tradita. Ceraſia ante Solis exortum arbore ſua decerpta mittuntur in vas cuius fundo ſubſtrata ſit ſatureia, iterúmque alternis ſternitur ſatureia, deinde ceraſia, vſquedum vas completum fuerit cui nonnihil aceti dulcis, vel, vt placet Ruellio, acidi mellis aliquantum dulceſcentis, ſuperfunditur, vaſe diligenter operculato. Seruantur etiam interpoſitis arundinum folijs alternatim, vt nunc dictum eſt, in cado digeſtis. Multi æſtuante & candenti Sole, vſque ad rugas ſiccant: vel blando & temperato ignis aut clibani calore, eóque modo optimè ſeruant, ad ſanorum & ægrotantium vſum.

Ceraſum lauro conueniẽter inſeri.

Ceraſiorum conditura & cuſtodia.

Modi alij cuſtodiendorũ Ceraſiorum.

Arboris mori, ac eius pomi, cura, auxilia & ſecreta. CAP. IX.

MOrus amat loca calida & ſabuloſa, Palladio autore, foſsionibuſq; & ſtercore plurimùm

rimùm delectatur, non in profundum, sed ad radicum vsque superficiem, vt Berytius Græcus geoponicus tradit. Assiduo humore non admodum gaudet, cui putria, arida & superflua, post triennium sunt putanda. Semine prouenit si lecta granula deponantur, sed rigari continuò desiderant. Seritur meliùs taleis & cacuminibus sesquipedalibus, vtraque parte læuigatis, & fimo oblitis. Plantæ eius translatæ scrobes altiores desiderant, & interualla maiora, ne altera vmbris alterius prematur. Vitibus summè est amica, vrbanarum omnium nouissima, & serotino germinatu florescens, nec nisi exacto frigore: ob id dicta arborum sapientissima, vt Plinius scribit: licet nomen fatuæ & stolidæ à Græcis adepta fuisse videatur. Folia eius vrina madefacta pilum corijs detrahunt, illísque aluntur vermiculi qui mirabili naturę artificio & spectaculo sane quàm iucundo, sericum Vellus nobis conficiunt. Sed hîc Mori Plinianum miraculum nobis tacendum non est. Morus, inquit, laurus & hedera mutuo attritu ignem facile concipiunt: quod exploratorum vsus in castris, pastorúmque industria reperit. Quoniam ad excutiendum ignẽ non semper lapidis occasio est, teritur lignum ligno, & arido fomite excipitur scintilla, sed nihil hedera præstantius quæ teratur lauro, laurúmque terat. hactenus Plinius. Nonnullí scripserunt arborem Mori feraciorem & proceriorem fieri, si forato prorsus trunco, cunei inserantur terebinthi hinc, inde lentesci. Eadem, vt Berytius tradit, si populo albę inseratur, vel inoculetur, candida mora proferet. Quæ Italia tam copiosą habet, quàm nos nigra, pomo cartilagineo constantia.

Quomodo tractanda & curanda arbor Mori.

Quomodo ritè proueniat morus.

Morus vitibus summè amica.

Pulchra & notatu valde digna.

Mori lignũ attritu ignẽ concipere.

Quomodo fiat feracior morus, & cãdidos ferat fructus.

Quod

Quod vnum exortu candidum est, dum pubescit, rubrum, vbi maturuit adeò nigrum, vt manus sanguineo tingat colore, qui moris acerbis optimè eluitur. De repositione & diuturnitate, Berytius hæc posteritatis memoriæ mandauit. Mora in vitreo vase diligenter condita plurimo tempore durant, proprio ipsorum iusculo & vino demersa, ac dilgenter operta, modò non fuerint nimium matura, vieta, & flaccida, seu languida.

Quomodo reponenda & seruanda mora.

Arboris Persicæ ac eius pomi cura, auxilia, & secreta. CAP. X.

PErsicis scatent Gallica rura, & maximè vineta. Proueniunt locis qualibuscunque: sed frondibus, pomis, & durabilitate præcellunt, si calidum cœlum, arenosúmque solum, necnon aridum sortiantur, quemadmodum scripsit Palladius, & ante illũ Plinius. Frigidis locis & maximè ventosis, nisi obiectu aliquo defendantur, citò interit hæc arbor; quę plurimùm lætatur suorum foliorum stercoratione, & opportuna ablaqueatione. Ossa in pastinatis areis sunt ponenda, binis à se pedibus separata, vt cùm ibi plãtæ creuerint, commodè transferri posśint. Nec debent altiùs duobus aut tribus digitis obrui, cacumine deorsum verso. Dum tenera erunt germina, sæpè herbis circunfossa liberari cupiunt, transferríq; post bimatum scrobe breui. Sed à se non longè statuendæ erunt arbusculæ, vt à calore Solis se inuicem excusent ac defendãt. Quæ si irrigentur poma ferent maiora: nam aśsiduo potu hæc arbor inebriari desiderat, maximè per æstatem: nec alia est quæ coloniam frequenter mutare liben-

Quibus locis prouemat Persica malus.

Frigida loca & ventosa persicis exosa.

Quomodo ponenda persicorum ossa.

Quando & quomodo transferenda persica arbor.

Vt lætior euadat malus Persica.

tiùs sustineat. Habitu multò lętior euadet, vt Florentinus in suis testatus est Georgicis, si simulátque poma persica ederimus, illorum ossa ponamus & conseramus, carnis parte aliqua in eis relicta. Verùm, cùm arbor hæc celerem sentiat senectam, pruno aut amygdalo amarę inserendam esse præcipiunt Græci. Quæ si languida videbitur, veteris vini fæces aquæ mistas oportebit infundere: & frequenti aggestione cumulare, vespertinóque humore iuuare, ac obiectis vmbraculis defendere, si ardore Solis siccata contabescat. In quam rem etiam proderit serpentis spolium appendere.

Remediũ lãguidæ & tabescentis persicæ.

Si vermibus infestatur, cinere amurcæ misto extinguentur: vel bouis vrina cum aceti tertia parte confusa. Si à pruinis periclitatur, stercus illi ingeratur: vel vini fęces cum aqua permistæ: vel, quod magis prodest, aqua in qua faba fuerit incocta. Contra vitia omnia proficit spartũ alligatum, vel suspensa ramis spartea.

Ne à vermibus infestetur, aut à pruinis periclitetur.

Poma persica sine ossibus tibi cõparabis, vt in suis Georgicis tradit Africanus, si in perforatum infernè truncum, excisa medulla, salicis vel corni palum adegeris.

Vt persica sine ossibus producãtur.

Vt persica admirandæ magnitudinis tibi compares, amygdalas item ac nuces & similia, accipies tres vel quatuor nucleos ex illis, quos ita coaptabis vt corpus vnum constituere videantur. Hos iunctos, & si opus fuerit, colligatos, in vas aliquod terra stercorata plenum immittes plantabis ac sepelies: sed ita vt vas illud foramen habeat in operculo per quod nucleorũ germen exire cogatur. Sic fiet vt nuclei illi in vnã coalescant arborẽ, quæ suo tempore fructus eximię magnitudinis ac pulchritudinis edet ac proferet. Sunt qui nucleos nõ in vas, sed fistulam aut tubu-

Modus ingeniosus vt fiat persica eximiæ magnitudinis.

tubulũ terra ſaturum mittant. Si id multò leuius & facilius tibi comparare voles, diligenter interlegenda erunt perſica illa, quæ parua & languida apparebunt, nimiáque vbertate matrem onerabunt: vt arboris ſuccus ad reliquorum nutrimẽta conuertatur. Sic enim ſaliuæ copia in pauciores fœtus ſe conferens, illos altilí ſaginabit incremento, ac maiores reddet. Si rugoſa naſcantur perſica aut putrida, iubet Palladius circa imum truncum corticem recidi: & cùm inde modicus effluxerit humor, argilla vel paleato luto plagã contegi. Si caduca & deflua fuerint perſica, nudatis radicibus, cunei lentiſci vel terebinthi adigantur: aut arbori terebratæ in medio, palus ſalicis imprimatur. Si inſcripta & figurata naſci cupis, ex Democriti conſilio id aſſequêris, ſi exciſa aut deraſa carne pomi, os triduo in aqua madeſcat: & aperto ſenſim ligno, nucleus excluſus æneo ſtylo cortice tenus, quibus placebit literis aut figuris non profundè exaretur: deinde in ſuũ alueolum remittatur, & commiſsis carinulis, ſimo, charta, aut folijs inuoluatur, & ſeratur, rigetúrque ſi opus erit: quidquid enim in eo nucleo ſcripſeris, aut figuraueris, enatum inde pomum illud repræſentabit. Quòd ſi voles rubrum habere, idipſum, eodem affirmãte Democrito, obtinebis, roſis purpureis ſub arbore conſitis. Vel ſi in oſsium internos ſinus, poſt ſeptem dies, quando patefieri incipiunt (nam totidem diebus obruta oſſa ſponte fatiſcunt) cinnabarim vel miniũ infundas: & ſtrictim obligata oſſa illa, vt cohæreant ſimul cum ſuis nucleis, adhibita omni cura ſepelias: ſic rubra intus & in cute ſua dabunt arbores perſica. Si alium quemuis infuderis colorem,

Via alia & modus facilior.

Ne ſint rugoſa perſica aut putria.

Ne caduca & deflua ſint perſica.

Quomodo inſcripta & figurata naſcantur perſica.

Vt rubra naſcantur perſica.

Notanda q^a pulchra.

rem, ſaporem aut odorem, in ſimilem nata progenies degenerabit. Hîc penè præteribam perſicorum genera: quæ tria vulgo obſeruari ſolent. Vnum populare, cuique notum: quod ſub æſtatis finem conſueuit matureſcere, citiùs, tardiùs, pro cœli & ſoli natura. Alterum ex re duracinũ dicitur, quòd caro oſsi tam pertinaciter hæreat, vt auelli nequeat: Preſſum vulgus nuncupat, q̃a interiori ligno caro, ceu agglutinata apprimitur. In quo etiam genere inueniũtur, quæ ſanguinea pulpa, & ſucco manus inficiant: adhæc, quæ cotoneorum more, intus & extra valde flaueſcant. Tertium genus præcox & anteperſicum appellatur, olim Armeniacum, initio æſtatis matureſcens, & cætera perſica longè præueniens: ex quo nomen habet: dicique ſolet à noſtratibus Abricocum. Alia ſunt genera olitorio mangonio, & inſitionis adulterio prognata, quæ hîc prudens omitto. Popularibus primi generis, Plinij ſeculo nihil fuit fugacius, nam lõgiſsima decerptis erat bidui mora, & ob id cogebant ſe venundari, vt ſcribit. Duracina, Palladio autore, muria et oxymelite condita, vel aceto mulſo, optimè ſeruantur. Eadem detractis oſsibus, prunorum more, in Sole vel clibano ſiccantur. Sæpè etiam oſsibus exemptis, melle condiuntur, ſapore grato ac iucundo. Seruantur prætereà ſi vmbilicus eorum, gutta picis calentis oppleatur, & ita ſapæ innatare cogatur, vaſe diligenter clauſo. Quæ omnia etiam præcocibus, & alijs carne duriore & minùs aquea conſtantibus, qualia ſunt Pariſienſibus Corbelliana, facilè accommodari poterunt: ijs præterea quæ loco ſicco & lapidoſo naſcuntur.

Perſicorum genera tria.

Perſica ſanguinea & flaua.

Præcocia, ante perſica & armeniaca.

Popularibus perſicis nihil fugacius.

Quomodo cuſtodienda perſica.

Aduertenda quia pulchra.

Corbelliana perſica.

Arbo-

Arborum Mespili & Sorbi, pomiq; earundem, cura, auxilia, & secreta.

CAP. XI.

MEspilus Gallis nunc Meslierus, nunc Neflierus vulgò dici solet. Cuius duo obseruantur genera. Vnum, quod rarioribus spinis horret, in dumetis, nemoribus, & viuis sepibus, quasi syluestre nascẽs. Huic pomum paruum inesse solet, & per initia tam acerbum, vt vix edendo esse poßit, nisi hyemis frigoribus mollescat. Alterum grandiore pomo sese profert, ita vt magnitudine mala sæpenumero peræquet, absque vllis spinis: quòd crebro insitu & cultu in hortis habitasse, & feritatem deposuisse dubium non est. Locis calidis gaudet, sed tamen irriguis, vt tradit Palladius. Frigidis etiam prouenit, sabulone pingui, aut glareosa terra cui arena permista sit, vel argilla cum saxis. Putari amat, necnon circunfodi, & parco humore inter siccitates refocillari. Nostrates ligno huius ad venabula & aurigarum flagella vti plurimùm solent. Vermibus in senecta crebrò infestatur mespili arbor, qui prægrandes, & quàm cæteris arboribus diuersi cernuntur: purgandi æreo stylo, vt Palladius admonet, atq; amurca, vel humana vrina vetere, aut viua calce perfundendi, sed parciùs, propter arboris noxam. In quam rem plurimùm etiã proderit decocti lupini aqua. Si labuntur poma, frustum de eius radice præcisum, in media trũci parte figatur. Si molestæ sunt formicæ, rubrica cum aceto & cinere tẽperata necabuntur. Arbori huic pomum rotundũ esse solet, ac viride dum pubescit, fuluũ verò ac molle dum maturuit, fundo

Mespilorum genera duo.

Vnde magnitudo in mespilis.

Quibus locis gaudeat mespilus.

Quomodo à vermibus expurganda sit mespilus.

Ne labãtur poma mespili, & molestę sint formicę.

Pulchrâ descriptio fructus mespili.

in latitudinem resimo & barbatulo, coronæ modo, quod Politianus in Rustico sic expresſit, *Regúmque altas imitata coronas, Meſpila.* Ineſt illorum pomo aſtringens ingenium. Galenus communi vocabulo tricoccum, quaſi trioſſum, aut trigranum ab aliquibus appellatum dicit: quoniam tria intus grana, ſiue lignea oſsicula, feminis loco plurimùm continet. Quod ad cuſtodiã attinet, in parente arbore diu durare poſſunt meſpila, vel in vrceolis picatis, vt habet Palladius, aut in ordinem ſuſpenſa. Vel, vt quidam volũt, poſca aut ſapa condita. Die ſerena legi debent circa meridiem, & paleis obrui diſcreta, ne viciſsim contactus ea vitiet. Si cum pediculis ſemimatura legantur, & ſalſa aqua per dies quinq; macerentur, poſteà ſapæ infundantur vt enatẽt, perbellè ſeruabuntur. Quod facere ſi nequeas, etiam melle, ſi minus matura collegeris, rectè cuſtodies. Per gelicidia acerbitate domita, in paſſo vel mulſo â pleriſque decoquuntur, addito cinnamomi momento. Sed cùm hîc hortulanum agam non Apicium, iſthæc cocis curanda relinquo.

Quomodo cuſtodienda meſpila.

Notatu digna quia pulchra.

Quęnam loca Sorbis apta.

Sorbus, Gallis Cormierus, vel Sorbierus dici ſolet. Amat loca humida, montana, & frigidis proxima, vt ſcribit Palladius. Quod ex Theophraſto translatum eſſe videtur, qui ſorbum viuacem eſſe prodit ſolo alſioſo & humecto: vnde paulatim ſterileſcere tradunt, ſi ad feruentia loca deuenerit. Naſcitur ſemine, radice & auulſione. Quę ſi transferenda eſt, robuſtior eſſe debet. Scrobem altiorem deſiderat, & ſpatia longiora: vt (quod illi maximè prodeſt) à vẽtis frequentibus agitata grandeſcat, quemadmodum tradit Palladius,

Notãda pro educatione Sorborum.

dius. Vermibus rufis & pilosis summè est obnoxia per senectam, qui medullæ interna sectantes, arborem ad interitum tabémque perducunt. A quibus libera euadet, si aliquot ex ijs sine arboris iniuria detracti, vicino concrementur incendio, nam ita vel fugere, vel perire credũtur. Si minus ferax fuerit arbor, tedæ cuneus radicibus inserẽdus est. Vel circa partem vltimam fossa facta, cumulo ingesti cineris adæquanda. Ante trimatum non censetur esse fœcũda: cuius fructus cùm largè proueniunt, vuæ modo farcti, congestíque visuntur, ex vno petiolo faui speciem præbentes. Hos vermiculus etiamnũ crudos, acerbissimosq; exest, vt scribit Plinius: qui pomorũ sorbi differentias quatuor statuit, vni rotunditatem mali ascribens: alteri turbinationem pyri: tertio oualem formam: quartum torminale nuncupat, remedio tantùm probabile. Seruantur hoc modo: Lecta duriora ac posita, vbi mitescere cœperint, fictilibus vrceolis vsque ad plenum clauduntur, gypso desuper tectis: posteà scrobe bipedanea loco sicco & aprico merguntur, ore peruerso, vt loquitur Palladius, & terra spissiùs calcata. M. Cato in sapa diu posse seruari tradit. Cui subscribit M. Varro, addẽs in arido vbicunq; posita, facilè per se durare. Quæ etiam dissecta, nonnulli in Sole, vt pyra siccant, seruantq; vasculis in hyemem. Cùm vti volunt, aqua feruente macerant, ac ita reuirescere cogunt, sapore sanequàm iucundo. Alij integra cum ramis dolio picato suspendunt, illitis pice omnium surculis, exclusáque aura quacunque operculo ac gypso, dolia ab aqua & humiditate procul esse satagunt. Quidã, vt tradit Columella, in defruto illa cõmodè ser-

Quomodo à vermibus liberetur sorbus.

Vt ferax & fœcũda fiat sorbus.

Pomorũ sorbi differentiæ quatuor.

Quomodo seruanda sorba.

Alij modi custodiẽdorum sorborum.

Pulchra & notatu di-

gna pro sorborum repositione.

seruant, addito spissamento aridi fœniculi, quo deprimãtur, ita vt ius supernatet: deinde picato operculo vas claudunt, et gypso illinunt, ne quis posſit intrare aut abire spiritus. Fit ex maturis sorbis, sicut ex malis & pyris vinũ apud multos: adhæc, omphacium & acetum ex immaturis.

Vinum, omphacium, & acetum ex sorbis.

Arboris Nucis, seu Iuglandis, eiusq; fructus cura, auxilia, & secreta.

CAP. XII.

Quibus locis gaudeat nux.

NVX, siue Iuglãs, arbor est pueris ac senibus notiſsima, quæ locis siccis & frigidis gaudet, necnõ lapidosis, quemadmodum post Pliniũ scripsit Palladius. Columella agrum calidũ, durum & siccum desiderare tradit. Potest tamen & locis temperatis iuuante humore educari. Serenda est nucibus suis eo modo quo amygdalus, sed priùs siccari debẽt in Sole, vt exhauriatur humoris noxium virus. Idem Columella præcipit eas macerandas esse in aqua mulsa, nec nimis dulci ante depositionem: nam ita iucundiores saporis fructum cùm adoleuerit arbor prębebit: ac interim melius & celerius nascetur. quod de Auellana multi intelligẽdum censent. Palladius admonet nuces eas transuersas ponendas esse, vt latus ac commissura terræ infixa sepeliatur, & cacumẽ ad Aquilonis partem vergat. Columella ternas in trigonum statuit, sed ita vt pars acutior sit infrà (quia inde radices mittit) & nux à nuce minimè palmo absit, ancepsq; ad Fauonium spectet. Vt vt fuerit, lapis vel testa subter apponi debet, vt radicem nõ simpliciter, sed repercussu dispergat. Hęc de iuglãdibus obscurè tradita, ad amygdalas

Quomodo serẽda nux, & ante sationem præparanda.

Notãda pro nucum positione & plãtatione.

dalas cum Plinio libenter detorquerem: & si iuglandes nuces commissuris iacentibus porrectas optimè seri præcipit. Quarum arbor quò sæpius transferetur, eò lætior euadet. Quod fieri expedit, dũ bima est in locis frigidis: in calidis verò, dum trima. Cuius radiculæ resecari non debent, vt fieri solet in alijs arboribus, quin potius bubulo fimo tingi, vel quod melius erit, cinere in scrobibus respergi, ne stercoris calore aduratur arbuscula. Nulla est arborum (post cerasum) quæ vel facilius, vel melius proueniat. Cuius rei testẽ proferemus Ouidium, apud quem nux querula nunc in modum loquitur:

Quomodo & quando transferenda nux.

Nucem de omnibus arboribus citò ac facilè prouenire.

Sponte mea facilis contempto nascor in agro:
Parsq; loci qua sto publica penè via est.

Scrobibus altis admodum delectatur, vultq; interualla magna, quia stillicidijs foliorum suorum, proximis vel sui generis arboribus nocet. Ita enim frondis proiectu diffunditur, vt per ipsam non defluant imbres, sæuaq; stilla est, quemadmodum scribit Plinius. Apud quem etiam lego vmbram arboris huius, satis quibusque non nutricem esse, sed nouercam, vnde quæcunque attigit haud dubiè venenat. Arbor hæc inferiore sui parte fertilior esse solet, neque cariem, neque vetustatem sentiens. Idque de multis singulare habet, quòd se frangi sonitu prænunciat, ita vt præsentire homines possint. Quod in Antandro contigisse tradit Plinius, omnesq; è balneis terrefactos aufugisse. Sed mirabilis esse solet illius cum quercu antipathia: tam enim pertinaci odio dissident, vt iuxta nucem iuglandẽ depacta quercus moriatur, imò verò altera in alterius scrobe posita

Nucis arboris stillicidia nocere, adhæc vmbrã.

Mira de nuce arbore, & notanda.

Nucis & quercus summa antipathia.

posita elanguescit: & si nucem in quercum senio mutari nonnulli tradiderint. Damageron in suis Georgicis græcis scribit, nucem meliorem fieri, meliúsque adolescere, si vrina pueri impuberis, vel nondum Venerem experti, diebus quinque præmaceretur, antequàm terræ committatur, & ita plantetur. Quod etiam in amygdalis commẽdatur, vt sequenti capite scribemus. Si caudici, vel radicibus cinerem iugiter affuderis, corticis teneritudinem & nuclei fragiliorem carnem, fructuúmque densitatem procurabis. Eadem lætior euadet, ac citò adolescet, si cupreũ clauum, aut ligneum palum ad medullam vsque transfixeris. Nodosam duritiem exuet, ac nuces faciles friabiles dabit, si trũcum terebro per medullam traieceris, atque foramini parem vlmi cuneum adegeris. Si fructum amittit, & defluum habet, verbasci radicem, vel coccineum pannum detritum, & sterquilinio acceptum, amuleti vice suspende, aut illiga. Hæc Damageron. Ad Palladium redeo. Si senectæ vitio, inquit, excauetur iuglandis arbor, longus canalis à summo trunco ad imum excudi debet: sic enim Solis & venti beneficio difflantur ac durescunt quę in marcorem transibant. Arcebitur autem hiantis cauernæ vitium, frequenti arboris ablaqueatione. Si præ durum & lignosum fructum gignat, cortex in orbem vulnerandus erit, vt noxij humoris vitium deducatur. Alij radicum summa præcidunt. Plerique terebratæ radici buxeum cuneum imponũt, aut cupreum, ferreúmve clauum. Africanus pollicetur in suis georgicis, iuglandes sine putaminibus nuces edituras, quas Tarentinas nuncupant, si fractis, vtrinque carinis, integer nucleus illæs

Quomodo nux optimè adolescat.

Quomodo cortex nucis fiat fragilis.

Quomodo nodosam duritiem exuat nux, & fructum non perdat.

Ne vitio senectæ excauetur nux & interhiet.

Ne lignosum fructum nux progignat.

Quomodo gignantur nuces absq; putaminib⁹.

illæsa prorsus carne, lana aut vitigineis folijs recentibus obuoluatur, quò minùs à formicis enucleatus arrodatur, dein terræ mandetur. Africano subscribunt Florentinus Grecus, et Palladius Latinus, promittitq; ille, amygdalis idem euenturũ, si trunco & radicibus asiduè cinis circumfundatur: imò verò & reliquis fructuum generibus, quæ testam forinsecus habent, si iuxta præcedentem modum eorum arbores plantentur. Quod nuciferæ arbori quæ ætatem tulit, si vires accommodare, lixiuio per annum cõtinuum ter in mense rigabis. Cæterùm quia arbor hæc lata quæuis, vt diximus, sua vmbra & præsentia lædit, atque hortis ob id inutilis esse censetur, hanc nisi in extremo margine fundus alat) idcirco cuperent pleriq; rationem inire, qua vel arceret, vel annosa & grandis facilè extirparetur. His Democritus hunc in modum satisfacit. Iejunus (inquit) lentis grana aliquot mande seorsum: quæ dum adhuc in ore versas, pubescentis flore iuglandis ramum quem volueris demorde, arbor paulatim distabescet. Id si non placet, flagrans igni clauus (vel lentis granũ, vt legit Ruellius) radicibus imprimatur. Aut in traiectam terebro arborem, puerile lotium, vel cuneus myrteus immittatur: præsertim dum floret. Aut radici ablaqueatæ dictamnus, faba, vel pannus menstruo muliebri imbutus, admoueatur: nam ita arbor tabida ariditate conficietur. Sunt qui in terebratam medullam viuum argentum inijciant. De extirpatione quarumcunq; arborum, quando huc incidimus, hæc apud Plinium reperi. Syluæ extirpandæ rationem Democritus prodidit, lupini flore in succo cicutæ vno die macerato, & radici-

Notanda quia valdè pulchra.

Quomodo nuciferæ arbori quæ ætatem tulit, succurratur.

Quomodo facile extirpanda sit & perdéda nux annosa.

De extirpatione quarumcunque arborum.

radicibus ablaqueatis resperso. Sunt qui sub diebus Caniculæ illas ad medullam perforét, & petroleum cum sulphure inijciant. Ferè hîc præterieram quod à multis traditum & obseruatum audio, nimirum nucem arborem crebra vapulatione emendari & fœcundari: vel fidem facientem hoc populari disticho,

Nux vapulando, vt mulier & asinus, emendatur.

Nux, asinus, mulier, simili sunt lege ligata,
Hæc tria nil rectè faciunt si verbera cessent.

His vtcunque positis non prætermittam pulcherrimum fertilitatis, vel sterilitatis præsagium & prognosticon, quod ex nucis arbore Virgilius posteritatem latere noluit, licet multi amygdalæ ascribant:

Prognosticō fertilitatis vel sterilitatis à nuce.

Contemplator item (inquit) cùm se nux plurima syluis
Induet in florem, & ramos curuabit olenteis:
Si superant fructus, pariter frumenta sequentur,
Magnaq; cum magno veniet tritura calore.
At si luxuria foliorum exuberat vmbra,
Ne quicquam pingueis palea teret area culmos.

Hîc dissimulandum non arbitror, quòd Iuglandis cortex lanis tingendis, & rufandis capillis, Plinio autore, adhibetur. Quinetiam digitos & manus suo attritu infuscare solet. Quod nux querula sic apud Ouidium testatur,

Nostra notat fusco digitos iniuria succo,
Cortice contactas inficiente manus.

Sed omissa arbore, ad eius fructum, si placet, veniamus, quem duplici munimento & inuolucro tegi, nullus est qui non videat, puluinato primùm calice, herbaceóque cortice: mox ligneo puta-

Fructus nucis pulcherrima descriptio & pictura.

putamine, compactili carinarum loculo, & tenui tunica intus armato, quot modis fœtus in parente solet esse, vt scribit Plinius. Quæ causa nuptijs religiosas fecit nuces: olim à Regibus è Perside trãslatas, & ob id regias ac persicas nominatas, vt autor est ille idem Plinius. Hîc non tacebo, quòd à capitis grauedine, quam foliorũ odore in crebrum penetrante, nux inducit: nec non à grauitate vmbræ, karyon Græcis dici solet: quibus kara, Attico idiomate, caput significatur. Sic à Latinis ob easdem causas, à nocendo nux (vt opinor) nomen habuit. Cæterùm iuglandem nuncupari volunt, ac si diceres Iouis glandem, interlisis literis. Quo nomine primo mundi æuo ita appellatam fuisse plures tradunt. Quippe cùm homines diu glandibus victitassent, inuenta tandem arbore quæ nuces ferebat, degustato nucleorum eius sapore, dulcedine illorum mirum in modum illecti, nuces, Iouis glandes ob præstantiam & excellentiam appellauerunt. Ad pensum redeo. Nucibus cortex sponte exutus maturitatis indicium prębet, ac tempestiuitatem fatetur. ex quo tunc excuti debent. Seruantur optimè vel paleis obrutæ, vel arena, vel folijs suis aridis, vel arca ex ligno suo facta, si in ea claudantur, vel si cepis remisceantur. Quibus hanc contubernalis hospitij vicissitudinẽ rependunt, vt eis acredinẽ tollant, & proinde suauiores reddãt, quemadmodum Palladius adnotauit. Apud quem Gargilius Martialis (cuius meminit Seruius in Georg. Virgil. vt anteà monuimus) asserit se expertum nuces post annum virides inueniri, si liberæ putaminibus suis melle demergantur: addítque, ipsum mel ita medicabile fieri, vt ex eo

Cur nuptijs religiosæ sint nuces.

Notanda de nominibus nucis & eorundem ety mo.

Vnde nuces Iuglandes vocatæ.

Quãdo nuces maturæ iudicandæ.

Quomodo optimè seruẽtur nuces.

Quomodo nuces post annũ virides inueniãtur.

concinnata potio faucibus & arterijs medeatur. Sed hæc sequenti narrationi medicæ erant contexenda. Istud pro coronide erit. Si in aquæ situlam virenteis iuglandium cortices tusos immiseris, & aqua illa terram perfuderis, videbis lumbricorum ingentem copiam emergere. Quod piscatoribus scriptum sit.

Terrestres lūbrici à corticibus iugiandis excitantur.

Arboris Amygdali, eiusq́; nucis, cura, auxilia, & secreta. CAP. XIII.

Locus aptus amygdalis.

Amygdalus agrum durum, siccum & calculosum amat, adhæc cœlum calidissimũ. Quæ quia maturè florere consueuit, præcocíque partu, pro cœli & soli natura germinare, idcirco Palladius ita statuendam præcepit, vt meridiem si fieri potest, semper spectet. Plantatur, Florentino autore, à nuce, viuiradice, et auulsione, vel stolone. Nuces quæ seri debent, pridie liquido fimo macerãtur. Sunt qui hydromelite, aut aqua mulsa madefaciant, & noctem vnam ibi esse sinant, vt mellis mordacitas germen non extinguat, & iucundioris saporis arbor fructum prebeat, cùm adoleuerit: meliusq́ & celeriùs frondeat. quod de amaris amygdalis multi intelligendũ censent. Vt vt fuerit, amygdali nux in terrã recta figi debet, ea parte quæ acuminata est, ita vt lignosior pars sursum vergat. Sed quæ pangentur amygdala, noua sunt eligenda, ac vegeta & recentia. Quibus si siccitas intercesserit, terna succurremus rigatione in mense, herbísque nascentibus, & nocentibus, circunfodiendo, emergentem arbusculam sæpenumero liberabimus. Terra seminarij

Quomodo plantanda sit amygdalus.

Notanda & aduertenda.

Noua amygdala pāgenda, & quomodo illis succurrēdũ.

Palla-

Palladio adnotante, lætamen admistum habere debet, spatijs inter arbores 20. pedum distantibus. Adolescentes arbusculæ & nouellæ diligenter à pecore sunt seruandæ, quia si ab illis roduntur, amarescũt. Dum floret arbor, circunfodi nõ debet, quia inde flos excutitur: cuius ea est natura, vt in senio fœcundior sit, quàm iuuenta. Hoc loco minimè prætereundum duxi, quòd amygdalus sola minùs ferax censetur: associata, fructũ dat celeriùs. Equinum fimum, eiúsque vaporem summè odit: maximè circa germinationẽ & flores: Hinc nimirum plures amygdalinas arbores sterilescere & siccescere obseruatum est. Theophrastus tradit, & post eũ Plinius, ex amaris dulces fieri amygdalas, si stipite circũfosso, & ab ima parte perforato, defluens vndique pituita detergeatur. Quod Africanus in suis Georgicis græcis etiam monuisse videtur, hunc in modum scribens. Ex amaris dulces fient amygdalæ, si circunfosso stipite quatuor digitis à radice cauernula imprimatur, per quam lacryma quotannis effluat, donec dulcescat fructus. Idem fiet si circa radices ablaqueatas, vrina & suillum stercus largius infundantur, deinde terra exaggeretur, et sępius id repetatur: aut trũcus medius terebretur, & cuneus ligni, melle oblitus imprimatur, vt habet Pallad. Quin teneram & dulcem, ex dura & amara efficies, eodem Africano autore, si radicibus ante florẽ circunfossis, aqua calida frequenter ingeratur. Quod Gargilio Martiali, suo more parum prudenter ascribit Pallad. Fructum facillimè amittit, nedum florem, si austrinum fiat cœlum atq; nubilum. Cæterùm, ex sterili fructiferam reddes, vt scripsit Democritus in suis de re

Amygdalinæ arbusculæ à pecore defendendę.

Quomodo ex amaris dulces fiant amygdalæ.

Quomodo fiant teneræ & dulces amygdalæ ex duris & amaris.

agraria commentariolis, si radices hyeme nudaueris: vel in perforatam arborem, vt vult Columella, lapidem adegeris. Quòd si perseuerauerit folia ferre, fructum verò nullũ dare, partẽ trunci iuxta terram forato, vel potius radicem, vt legit Palladius, & pinguis tedæ cuneũ in foramen transfigito, humanaq́ꝫ vrina affusa obruito: aut silicẽ sic insere, vt libro tegente claudatur. Theophrastus copiosiorem fructum dare promittit, si ferreus palus arbori adigatur, impressóque foramini querneus inseratur paxillus: quo modo in arborem animaduertitur, ac si iniuria lasciuiret. Vbi à pruina metus erit, Gargilius Martialis hoc remedio subueniri ait. Antequã floreat amygdalus radices nudentur, & albi lapides minutissimi arenis remisti congerantur: atque vbi iam tempus videbitur vt debeat germinare, effossi submoueantur. Porrò, inscripta nascentur amygdala, vt Democritus in suis adnotauit Geoponicis, & Palladius cõfirmauit, si aperta testa sanus tollatur nucleus ac integer, & in eo quod libuerit scribatur: inuolutusq́ꝫ papyro, & luto intectus, necnõ suillo stercore diligenter circũlitus obruatur. Itaque de arbore & eius secretis hactenus. Cuius nuculas, quas & amygdala & amygdalas nuncupauimus, gemino operimento tegi nullus est qui nõ videat: puluinati primùm calicis, mox lignei putaminis multos scarificatus sustinẽtis, et in rimulas varias dehiscentis, cui solidus subest nucleus. Maturitatem fatentur omnes, vt tradit Florentinus, cũ spoliatæ fuerint corticibus. Quæ si muria lauentur, candidæ fient, ac longo tempore incolumes perseuerabunt: sed ante repositionem debent in Sole siccari. Si collectæ difficulter

Quomodo ex sterili fiat fructifera amygdalus.

Vt fructũ copiosum ferat amygdalus.

Remedium aduersus pruinam.

Quomodo inscripta nascantur amygdala.

Pulcherrima pictura amygdalarũ

Quando maturæ amygdalę, & quo modo seruandæ.

culter corium exuant, paleis obrutæ illud facilè relaxabunt ac deponent. Si illas ad magnitudinē mirandam prodire desideras, Persicorum caput consule. Quod ad longæuam attinet, custodiam, absque vlla hominis cura, vllóue externo auxilio, diu seruari possunt, modò locum nactæ fuerint idoneum & opportunum, qui austris minimè pateat, & situm ac marcorem non admittat.

Arboris Punicæ, ac eius pomi, cura, auxilia, & secreta. CAP. XIIII.

NVnc demum agendum mihi restat de arboribus quarum fœtus admiramur, palpamus, & gustamus, sed parentes ignoramus, non videmus, & desideramus. De Punicis, inquam, Aurantijs, Citrijs, Limonibus, Ficu & Olea. Quæ tametsi in septentrionalibus hortis nostris & agris non nascantur, nec foueantur, de his nihilominus hìc scribere non detrectabo, vt labor noster, opera & studium, omnibus ex æquo prosit. Sanè huiusmodi arbores climati nostro cum suis fructibus vsqueadeo sunt implacabiles & infensæ, vt nullis blanditijs, nullis officijs, nullis obsequijs apud nos habitare velint, etiam si mitioribus locis hospitia illis designemus & offeramus: tantus est patriæ & natalium amor. Sed missa longiore præfandi mora, ad rem venio. Arbor Punica nostratibus Granata vulgò dici solet, à granorum seu acinorum multitudine. Cuius pomum vnà cum arbore nobilitauit Carthago: indéque nomen sibi adoptauit. Calido aëre gaudet, & in locis minimè aquosis plantatur, testimonio Flo-

Mirus autoris candor & modestia.

Quo cælo & solo gaudeat Punica.

rentini Græci, cui Palladius post Plinium suffragatur: additque solum macilentum ac cretosum amare, sed in pingui quoque prouenire. Seritur plantis de matrum radice auulsis. Sed melius procedet, si ponendus ramulus de gemmata assumatur matre, & scilla radicibus immittatur: nam ita lætior ac fœcundior fiet. Si tres lapilli in radice constituantur, prouidebunt ne poma findantur, quemadmodum scripsit Palladius. Rigatum & purgationem desiderat: soláque hæc arbor, cum vite & ficu, caudice fisso non emoritur, breui alioquin viuens spatio. Flos illi puniceus esse solet, oblongus & calathi effigiem repræsentans, aspectu sanequàm iucundo: balaustium vulgus nuncupat. Quanquam non sum nescius Dioscoridem satiuæ punicæ florem cytinum appellare, syluestris verò balaustium: cui Plinius non subscribit. Perdit facile ante maturitatem fructũ roribúsque nimijs & pruinis florem: qua de causa ramos eius inflectunt coloni, ne subrecti humorem infestum excipiant & contineant. Prolem sursum versus procreat, quæ corio & membrana tegitur, farctis intus numerosis acinorum granis, vnde Granati nomen. Qua voce vtuntur antiquorum plerique cum Columella. Scio non deesse qui pomum hoc ita nuncupatum velint à Granata regione Hispaniæ, quòd inibi numerosa proueniant punica. Quæ triplici specie à Dioscoride distinguuntur: in dulcia, acida, & vinosa seu mista. In quibus & fructus, & acinorum magnitudine, adhæc liquoris copia præcellunt vinolenta. Plinius species quinque fecit, dulcia scilicet, acria, mista, acida & vinosa. Acida fieri creduntur, si assiduè rigentur, nam siccitas in his & suaui-

Quomodo serenda Punica.

Nẽ findátur Punicę mala.

Flos Punicæ qualis,

Ne florẽ & fructũ amittat Punica.

Punicũ malũ vnde Granatum appelletur.

Punicorum species.

ſuauitatem præſtat & copiam: cuius tamen nimietati, vt Palladiano vtar verbo, aliquid debet humoris opponi. Si ex acidis dulcia facere voles, ſtercore ſuillo & humano, vrináque vetere radices irrigabis, Columella autore. Quin & nos, ait, etiam exiguum admodum Laſer Cyrenaicum vino diluimus, & ita cacumina arboris ſumma obleuimus: ea res emendauit acorem malorum, & apyrenum, dulcémque fructum fecit. Paxamus Græcæ agriculturæ profeſſor peritiſſimus, eam in rem arboris radices circunfodi iubet, ſuillumque ſtercus ſublini, deinde terra ſuperingeſta, humano lotio rigari. Sed de hoc, inquit, in alio noſtro Georgico opere perfectius à nobis dictum reperies. Georgicum opus illud deſiderari intelligo, vt alia antiquorum pleraque, magna rei literariæ iactura. Rurſum ex acidis dulces facies, ſi ablaqueatis radicibus tedæ clauum infigas Sunt qui algam marinam radicibus obruant, & ei aſininum ſtercus cum porcino remiſceant. Ne punica in ſua rumpantur arbore, remedio ſunt lapides tres ad radicem collocati, dum ſeritur arbor: quæ ſi iam ſata eſt, ſcilla ſecundum radices plantanda venit. Aliter cùm matura fuerint punica, antequam rumpantur, petioli quibus dependent ſunt intorquendi. Quæ res etiam præſtat vt anno toto viridia ſeruari poſſint in arbore, quẽadmodum ex Columella Plinius & Palladius adnotarunt: vel potius ex Florentini & Africani Græcis Georgicis, & ij & ille tranſcripſerunt. Sed præter iam dicta, idem Africanus in excauatos ſcrobes, dum pangitur arbor punica, cochleas inijcit, ſi quidem reperiri poſſint: vel ſcillæ bulbos vnà mittit, cœca quadam naturarum

Quomodo punica fiant acida.

Quomodo ex acidis dulcia euadant.

Modus Paxami pulcherrimus.

Alius modus

Ne findátur punica in arbore.

Quomodo punica ſeruabũtur viridia in arbore.

discor-

Quomodo in miram magnitudinem crescant punica.

discordia. Tradunt in miram magnitudinem punica mala protuberare, si olla fictilis circa arborē obruatur, vel ita aptetur, vt ramus cum flore in illa claudatur, ad palum, ne resiliat, illigatus, ipsáque olla contra aquarum incursus operta muniatur: nam suo tempore poma eiusdem magnitudinis qua fuerit, opportunè reddet: imò verò ad illius rei figuram efformata, quam ollæ aut vasculo impresseris, quemadmodum tradit Gargilius Martialis apuq Palladium. Qui etiam promittit Punicorum multitudinem, si tithymali & portulacæ succus æqualiter mistus, trunco arboris, antequā germinet, illinatur. Quod Democriti georgicis acceptū ferre debebat Palladius, non Gargilio Martiali. Si florem non continet arbor punica, veterem vrinam cum aquæ mensura pari temperabis, & per annum radicibus ter infundes vni punicæ amphora ingesta sufficiet. Snnt qui algam radicibus iungant, vel florentis arboris truncum, plumbeo circulo concludant: aut anguis corio circundent, vel bis in mense irrigent. Si vermibus laborant tam poma quàm arbor, radices felle bubulo sunt tingēdæ, & continuò morientur. Si clauo æneo, vt alibi scripsimus, illos purgaueris, non facilè renascentur. Quibus etiam appositè obuiabis asini vrina suillo stercori admista & radicibus affusa, vt tradit Palladius. Cęterùm, in sua arbore viridia longo tempore permanebunt punica, vt scripsit Florentinus, si petiolos, vel potius ramulos, dum in vigore sunt poma, semel atque iterum contorseris, & cucurbitas aridas ac rapa singulis circundederis, ne humectentur, aut ab auibus arrodantur. Si infœcūda fuerit punica arbor, fructuosam reddes cinere

Quomodo comparetur punicorum multitudo.

Quomodo florem continebit arbor punica.

Quomodo à vermibus defendatur punica arbor & eius poma.

Vt punica diu seruentur viridia in arbore.

&

& lixiuio circa truncum frequenter infuso. Si ægrotabit & languida erit, curabitur, recreabitúrque vbi caudicem iuxta radices, algis è mari proiectis contexeris, & assiduè rigaueris. Candidi fient punicorum acini, si argillæ & cretæ miscueris quartam gypsi partem : & toto triennio hoc genus terræ radicibus insperseris, de Gargilij Martialis consilio. Didymus in suis Georgicis testatū reliquit, punica rubicunda fieri, si cinis cum lixiuio circa arboris truncum crebrò immittatur, aut glandium cinere radices saturentur. Sine acinis nasci promittit Africanus si dempta medulla vt in vite, surculus adobruatur, & dum comprehenderit, quod emergit amputetur. Sed hoc loco prætereundum non arbitror. quòd ramis punicę gestatis, venenatę bestiæ procul arcentur: quapropter in stragulis & locis serpentibus obnoxijs illos securitatis ergo deponendos censent prisci rei agrariæ doctores, & interpretes, sicuti libro primo admonuimus. Punica arbor myrti coniugio apprimè lætatur, vt tradit Democritus, & ob id myrto insita fertilior euadit. Vtriusque radices & si aliquanto distent interuallo, nihilominus mutuo complexu exhilarantur. Quid ampliùs? Africanus in suis de agricultuta Cōmentarijs docet, quomodo punico decerpto ex sua arbore, dicere possis quot grana intus contineat. Pomum vnum, inquit, prius aperí, & quot acinos habeat dinumera, ac tibi in singulis tot esse persuade, etiam si magnitudo variet, modò ex eadem arbore legantur. Nam sola differentia erit non circa numerum, sed magnitudinem aut paruitatem acinorum. His vtcunque pro arbore & eius pomis expeditis, ad condituram, repositionem, & tutam custo-

Remedium infœcundæ, languidæ & ægrotantis punicæ.

Vt candidi fiant punicorum acini.

Vt fiant rubicunda punica, & absque acinis.

Punicæ ramos venenata arcere.

Punicæ cum myrto summa amicitia.

Pulchrū inuentum de diuinatione acinorum Granati.

custodiam commodùm venio. Berytius in suis de agricultura præceptionibus græcis tradit, punica ad hybernos vsus reseruanda, leni manu decerpi oportere, ne tactu asperiore vitientur, aut vulnus sentiant (quæ duo putrilaginis originem adferre solent) deinde pediculis in coctam & liquidam picem demersis, refrigerata, ex ordine suspendi debere. Sunt qui tota in picem mergant, & vbi refrixerint, suspendant. Alij arentibus floc culis singillatim inuoluta, funiculis obstringunt, ne tumescentia dehiscant in rimas: posteà gypso vndequaque illinunt & vestiunt, eóque modo munita ac loricata, in parente arbore hærere pati untur: sed maioribus ramis alligari debent, vt im mota maneant, & ventorũ vim sustineant. Palladius, & ante illũ Columella, ex Grecorũ placitis, atque adeò vnius Berytij, tradit diu seruari posse punica, si integra vt diximus collecta, & lino spar tóue colligata, in aqua marina, vel feruẽte muria tandiu demergantur, vt liquorem combibant, & madescant: siue, vt legit Columella, tantisper demittantur dum decolorentur, deinde Sole triduum resiccentur, sed ita vt nocte sub dio non maneant: posteà loco frigido suspenduntur: cùm volueris vti, aqua dulci macerabis. Sunt qui in scobe querna prius aceto suffusa ordinatim obru anr. Alij argilla, vel figulari creta induunt, & sicca ta, loco frigido suspendunt, atque cùm vsus exegerit, in aquam demittunt, & cretam resoluunt. Plerique attactu illa inuicem separant, & paleis diligenter operiunt. Columella pediculos pomo rum sicuti sunt in arbore contorquet, ne pluuijs rumpantur, & hiantia dispereant: deinde ad maiores ramos alligat, vt immota maneãt: mox spar teis

Quomodo punica ad hybernos vsus seruari debeant.

Vt longo tẽpore seruentur punica.

Varij & pulchri modi custodiendorũ punicorum.

Ne rumpantur, aut interhient punica

teis restibus arborem cludit, ne à coruis aut cornicibus, aliísve auibus eius soboles laceretur. Sed ad Berytium de punicorum custodia scribentem redeo. Is singulis fictilibus ollulis punica singula ex arbore pendentia collocat, & diligenter operta ita munit ac stabilit, vt neque ad ramos aut trũcos offendãt, vel mutuo collisu sese atterãt & cõfringant. Cui Columella ad vnguem subscripsisse mihi videtur his verbis: Nonnulli vascula fictilia dependentibus malis aptant, & illita luto paleato arboribus hærere patiuntur. Alij fœno vel culmo singula inuoluunt, & insuper luto paleato crassè linunt, atque ita maioribus ramis alligant, ne, vt dictum est, vento commoueantur. Sed hæc omnia sereno cœlo administrari debent absque rore: quæ tamen aut facienda non sunt, quòd lædantur arbusculæ, aut certé non continuis annis vsurpanda, præsertim cùm liceat detracta mala ex arbore, modis multis innoxia custodire, sicuti antea ostendimus, & nunc demùm etiam ostensuri sumus. Palladius docet optimè seruari, si feriola obruatur sub dio quæ habeat arenas ad medium vsque, & cum suis ramulis lecta mala imprimantur singula cannis singulis, vel sambuci virgulis, & ita in dictis arenis separata figantur, vt quatuor digitis emineant ab arena. Hoc idem paulò aliter & apertiùs Columella sic est prosecutus: Sub tecto, inquit, fossulę fiunt tripedaneæ loco siccissimo, eóque dum aliquantum terræ minutæ repositum est, infiguntur sambuci ramuli: deinde sereno cœlo granata legũtur cum suis pediculis, & sambuco inseruntur. Quoniam sambucus tam apertam & laxam medullam habet vt facilè malorum pediculos recipiat. Sed cauere

Pulchra & notatu digna pro seruandis punicis.

Modi alij custodiendorũ punicorum.

Artificiũ pulchrum & ingeniosum.

uere oportebit, ne minùs quatuor digitis à terrâ absint, & ne se contingant poma. Tunc factæ scrobi, operculum imponetur, & paleato luto circumlinetur, ac ea humo quæ fuerat egesta operietur. Sunt qui in calidam aquam intincta, & statim exempta diutissimè incolumia seruant. Alij in siccam arenam distincta & secreta deponunt, aut in frumentario aceruo ad vmbram, donec rugosa fiant, diligenter condunt. Plerique, vt Palladius adnotat. in seriola cui ad medium aqua mittatur, punica sic suspendunt, ne humorem tangãt, quæ postea diligenter clauditur, ne ventus irrumpat. Alij in dolio hordei pleno ita collocant ne se inuicem contingant, illúdque desuper operiunt. Non desunt qui illa cum ramulis arbori detrahant, & creta figulari perlita, vbi diligenter maturuerunt, in Sole desiccant: deinde si quà rimam creta fecit, luto linunt, & rursum assiccata frigido loco suspendunt, quemadmodum scribit Columella. Qui hanc rationem postremam custodiendorum granatorum à Græcis geoponicis tacitè mutuatam, sic nobis proponit. In vrceo fictili nouo (inquit) scobem populneam, vel iligneam substernere oportet, ac ita disponere vt scobs inter se calcari possit. Deinde facto primo tabulato rursus scobem substernere, & similiter mala disponere, donec vrceus impleatur. Qui cùm fuerit oppletus, licebit operculum imponere, & crasso luto diligenter oblinire. Omne autem pomum quod in vetustatem reponitur, cum pediculis suis legendum est : &, si absque arboris noxa fieri possit, etiam cum ramulis, nam ea res plurimùm ad perennitatem confert. Hactenus de punicorũ repositione & custodia, in qua demonstranda & recen-

Inuentiones miræ pro seruandis punicis.

Viæ aliæ custodiendorũ punicorum.

Notatu digna quia pulchra.

Quomodo legendũ pomũ quod vetustatem ferre debeat.

recensenda, si tibi prolixior sum visus, factum id puta, quòd hæc ratio multa habeat communia cum reliquis pomorum generibus. Cæterùm, hîc non omittam quòd ex punicis seu granatis vinũ medicatum fieri solet tali arte ac methodo. Acini maturi diligenter ex suis membranis seclusi, prælo committuntur ac exprimuntur: mox vinum saccis ad id accommodatis percolatur, & in vasculis reponitur quousque fex resideat, deinde clarum custoditur affuso desuper oleo ne corrumpatur, vel acescat. Sunt qui absque oleo illud in cadis asseruẽt, sed per ęstatem facilè acescit. Modi alij sunt requirendi à consultissimis agriculturæ & medicinæ professoribus, uám, vt dixit Poëta, *Non omnia possumus omnes.* Illud interim nõ dissimulabo quod apud Hieronymum Cardanum legi: nimirum corticem punici mali ferrum in chalybem mutare: sed modum subticuit.

Quomodò fiat vinum medicatum ex punicis.

Oleum ab acore vina tuetur.

Arborum Citriæ, Aurantiæ, & Limoniæ, earundemque pomi, cura, auxilia, & secreta. CAP. XV.

Citria arbor, quia apud Medos & in Perside nata ac educata fuit, idcircò & Medica & Persica Theophrasto, & Assyria Plinio vocari solet. Hanc gentes plurimæ ob remedij præstantiam, frustra olim sudarunt ad se transferre fictilibus in vasis, dato per cauernulas radicibus spiramento. Plinii æuo in Italia non vigebat: primúsque Neapolitanus Palladius cultu & diligẽtia è Medis in Latium transtulisse ac propagauisse dicitur. Quem solers imitata posteritas, meri-

Arbor citri cur Medica & Persica dicatur.

Palladius arborem citri primus in Latium transtulit.

dionali Galliæ & Hispaniæ ceu per manus tandẽ communicauit. Amat terram rarioris naturę quẽ admodum idem scribit Palladius: adhæc cœlum calidum & humorem continuum.

Quo solo & cœlo gaudeat malus citrius.

Ipsa ingens arbos (inquit Virgilius) faciémque simillima lauro:
Et si non alium latè iactaret odorem,
Laurus erat: folia haud vllis labentia ventis:
Flos apprima tenax.

Pulchra arboris citri descriptio.

Et Iouianus Pontanus,

Ipsa quidam lauro foliisque, & cortice, & ipso
Stipite tum similis, tum frondescente iuuenta:
At cono inferior, ramisque valentibus impar:
Nam florum longè candore & odoribus antêit.

Hæc arborum omnium sola ab austro opem sentit, & ab aquilone læditur, autore Florentino in suis de agricultura Græcis Rudimentis. Si quis in regione frigida illam nutrire & cicurare uolet, loco ad meridianam partem conuerso debet disponere, & hybernis mensibus stramine, aut tegetibus operire, & maximè cucurbitarum sarmentis: nam sympathia quadam illam à frigore illæsam seruare dicuntur, vt idem scripsit Florentinus. Hinc factum videas, vt multi non ineptè, prope citriam cucurbitas vbique serant, nam ab his iuuari creditur. Vbi æstas refulserit, nuda arbor aeri tuto est reddenda ac exponenda. Gaudet assidua fossione, ex qua maiora proueniunt poma. Stirps ea suapte natura tenerior, si paucam glaciem experiatur, syderata contabescit. Quare diuites in concameratis fornicibus ad Solem spectantibus, illam prope parietes collocant, copiosóque humore rigant. Dum æstas aduentarit, aper-

Cucurbitas citriam seruare ac iuuare.

Arbor citria frigoris impatiens.

apertis fornicibus, vt dictum est, Sole illustrari sinunt, & eius tepore vitalíque spiraculo foueri ac recreari. Appetente rursum hyeme sub fornices reducunt. Seritur semine, talea, ramulo, & claua, vt in suis Georgicis græcis tradit Anatolius. Si semine vel granis serere satagis, hunc in modum de Palladij consilio incedere tibi licebit. Imprimis terram ad duos pedes fodies, cinerémque miscebis ac in breues areas digeres, vt vtrinque per canales aqua discurrat. In dictis areis palmarem scrobiculum manibus aperies, & tria grana verso deorsum cacumine, iuncta constitues, ac obruta quotidiano imbre respergeѕ, vt rigatione animata melius adolescant. Acreis medullas in dulceis mutabunt, si per triduum mulsa maceraueris, citiúsque procedent, si aquæ tepentis beneficio vtaris, vel ouillo lacte, quod præstat. Seruntur etiam fictilibus, dato radicibus spiramento per cauernas. Natis germinibus proxima herba semper runcanda est, & planta trima transferenda. Quæ plurimum iuuari creditur circumsitæ cucurbitæ flagellis: nam naturali & occulta quadam vi, illam, vt diximus, à frigorum iniuria vindicant. Ex quo combustæ cucurbitarum vites, citri radicibus vtilissimum præbent cinerem. Si arborem increscens fructus degrauat, poma multa detrahere conueniet, ita enim alenda, vegetiore proficient incremento. Calidis locis partum nunquam alternat, sed perpetua fertilitate pomificat, alijs pubescentibus, alijs adultis, alijs maturitate caducis. Vnde sic gradatim illius succedunt poma, vt maturis se substituāt acerba, acerborúmque ætatem florentia consequantur: orbē

Quomodo semine seren da sit arbor citri.

Quomodo acres medullas mutēt in dulces citria

Remedium arboris quæ à suo degrauatur fructu.

Mira arboris citri pomificatio & fœcunditas.

quendam continuæ fœcunditatis sibi ministrante natura, quæ hãc fœturam non interpellat, sicuti præclarè adnotauit Plinius. Soli flores qui velut eiectam in medio colum gerunt, fœcundi creduntur: qui verò ea carent, sterilescunt, infertilesque labuntur. Porrò, hîc mihi dissimulandum non est, quòd hæc arbor alijs annecti recusat. Cuius pomum citrium vulgò nuncupatum, effigie rugis caperata, oblonga, & interdũ rotũda, aureo colore suppallido illustratur, comite gratissimo odore, & acidulo sapore. Non mandebatur Theophrasti ætate, sed ne Plutarchi quidem auorum memoria, vt Athenæus scriptum reliquit. Parthorum proceres huius grana duntaxat incoquere solebant esculentis, cõmendandi halitus gratia. Quod plerique ad folia detorquent non minùs odorata quàm pomum ipsum. idcirco vestibus vtrunque peraptè interseri solet, vt eas suaui odore perfundat, & ab offensis vindicet : vnde Homerus & Neuius vestes citrosas cognominarunt. Si pubescens pomum, fictili vel vitro claudatur, per incrementa non solùm formam vasis contrahet, sed tanta magnitudine, quanta fuerit vas, extuberabit. Quod si effigiatum fuerit, formæ & imaginis speciem inclusum pomum præ se feret : sed vasi oportet perspirationem relinquere, vt anteà monuimus, hoc est, foraminula addere, quibus aërem admittat, ex Florentini cõsilio. Est alia via & ratio effigiandi pomi à nobis superiùs tradita, quando malorum historiam percurrebamus. Cęterùm, si rubra citri poma voles efficere, surculum moro inserito, & rubrũ pomum dabit. Medium pomi dulce fiet, vt tradit Palladius, si truncus obliquo foramine ab imo tere-

Pulchra descriptio & pictura citri pomi.

Summè notãda & aduertenda quia pulchra.

Quomodo citrium pomũ nascatur effigiatum.

Quomodo rubra fiant citria, & medium illorũ dulce.

terebretur, vt altera parte nō exeat: sic humor effluere permittetur donec poma formentur: mox foramen luto replendum erit. Idem fieri affirmāt si semina priusquàm ponantur, ouillo lacte, aut mellita vel saccharata aqua maduerint, aut in recēti ficu dies aliquot sepulta fuerint, aut in aqua decoctionis ficuum quadragesimalium emaduerint. Sed pulchrum erit his de rebus audire Iouianum Pōtanum, de Citriorum & Limoniorum mutando sapore hunc in modum scribentem:

Aliud vt citria fiant dulcia.

Quò non ars penetrat? palmes cædatur, & ipse
Crassior: in palmúmque cauetur, & vndique labris
In gyrum ductis, nec pollice crassiùs, illuc
Infer mella liquata, & grandi contege saxo,
Quod Solem auertat: postquam arida suxerit arbos
Inclusum humorem, & sitiens noua pocula gliscit.
Mella cauo immersans flauentibus imbue riuis.
Vel vacuam solers thymbreo nectare cellam
Distende, ac lactices humano è corpore fusos
Mollibus irrora radicibus: interea ne
Neglige frondosum toto de stypite germen
Vellere: non dêerit fœlix fortuna labori.

Ingeniosa, pulchra & notatu digna.

Hactenus Iouianus Pontanus, poëta, orator, & philosophus ad vnguem factus. Qui citriorum historiam in suis Hesperidum hortis omnibus partibus docto ac eleganti carmine absolutam reddidit. Hunc si videbitur, leges & consules. Venio ad citriorum condituram & repositionem ab antiquis acceptam. Itaque si aptè voles citria colligere & optimè seruare, nocte cum suis foliatis ramulis, latente Luna carpere debes, & secreta disponere: autor G. Martialis. Sotion inter Græcos geop. celebris, promittit citria nullo mo-

Iouiani Pontani laus.

Quomodo optimè colligenda & seruanda citria.

do putrescere, quæ aceruis hordei aut milij obruta fuerint. Alij singula singulis fictilibus claudunt & opaco loco ordinata custodiunt. Plerique in minutis straminibus seruant: vel paleis, aut scobe lignea. Idem Sotion iubet pomum citrij subacto gypso studiosè lini, vt toto anni curriculo inoffensa integritate, & omni vitio illæsum custodiatur. Sed ne, quæso, obliuiscaris, quòd calido pani si superponantur citria putrilaginem celeriùs concipient, & in corruptionem promptiùs agentur.

Modi alij valde notandi.

Hæc de citrijs: de Aurantijs nunc paucis dicendum: quorum arbor citriæ plantam magnitudine æquat, & folijs ab ea parum, aut nihil refragatur.

AVRANTIA poma cùm auri colore pelluceant, ab auro nomen meritò accepisse mihi videtur, ex quo aurea mala dici possunt. Quæ ex viridi in luteum languescunt, citreola & citrula nominant. Quæ verò ouata specie turbinantur, si luteo nitent colore, citrangula, & priuatim citrea appellant. Si herbaceo colore virent, limonia dicunt. Si prægrandia sunt melonum modo & orbiculata, ouatáque facie turgent, ponceria & citromala vocitant. Quæ omnia specierum vernacula nomina, à citrio deflexa videntur. Cum quo cōmunia ferè omnia habere creduntur, tam auxilia quam secreta. Quæ res me mouet vt de illis in præsentiarum nihil amplius scribam. Transeo itaque ad Limonia: quorū cura, cultus & auxilia cum citrijs conueniunt, Súntque in triplici differentia.

Vnde dicta Aurantia poma.

Citreolā, citrágula, limonia, ponceria, & citromala.

LIMONIA.

-altera fœtu
Exiguo, succos gustu meditantur acerbos:

Tres limoniorū differētiæ.

Alte-

Altera sunt fructu maiore, & rorida succo
Vberiore. sed oblongo tamen vtraque ductu:
Tertia prægrandi turgent ouata volemo,
Ac citrij referunt sinuosa ab imagine formam,
Sed gustu ingrato, quémque ora offensa recusent.
Est idem cunctis cultúsque, & cura, & iniquum
Cœlum indignantur, frigusq;, æstúmque recusant.

Qui plura volet, consulat librum secundũ Horti Hesperidum Iouiani Pontani: illic reperiet quo sibi abundè satisfactum dicat. Hîc finem etam facturus, nisi mihi in mentem opportunè venisset, quòd succo limoniorum bis aut ter colato, si integras margaritas lauabis & immerges, Solíque expones, in quinque aut sex diebus ita colliquabis, vt mellis consistentiam referant. Ex ea materia poteris formare quicquid tibi visum fuerit, & paucis diebus diues fieri. Autor Hieron. Cardanus: cui ingenteis debentur gratiæ, si vera sunt quæ tradit. Hîc non omittam quod apud Leuinũ Lemnium medicum doctiss. scriptum & adnotatum legi: nimirum limonijs tam acidum succum inesse, & vsqueadeo exedentis naturæ vt si ei per horas aliquot aureum numisma inseras, acciso imminutóque pondere illud eximi deprehendes nam penetrabile frigus adurit. Quanquam alia subest causa, quæ, vt alijs describendis suus detur locus, hîc nobis non temerè relinquetur.

Notanda de succo limoniorũ margaritas colliquente.

Succũ limoniorũ auro suum pondus eximere.

Arboris Fici ac eius pomi cura, auxilia, & secreta. Cap. XVI.

Ficum Columella tradit aprica loca, calculosa, glareosa, & interdũ saxosa maximè amare. Quo in situ celeriter conualescit, modò fcro-

Quibus locis gaudeat ficus & quæ terra ei quadret.

bes amplos & idoneos feceris, & altos, vt vult Palladius. Qui genus terræ durum, gracile ac siccum, ei etiam quadrare scribit, pro vtili pomorum sapore. Quæ in montanis & frigidis locis nascitur, quia minus lactis habet, ad siccitatem durare non potest: quare vsus illi in viridi est. Quæ in planis & calidis locis viget, pinguior est, & ob id, in siccitate durabilis. Sanè, cùm delicatula sit planta, facilimè perit à glacie, ac citò à ventis disrumpitur. Quare ab his summè est tutanda, quemadmodum in suis Georgicis admonet Didymus. Qui multitudinem aquę, & crebrã rigationem, pomorum arboris huius naturalem pulchritudinem corrumpere, iisque putrilaginẽ conciliare tradit. Nec omittit arborem hanc semine prouenire posse, si quis maceratas ficos resti obducat, & cum eadem obrutas frequenti imbre irroret: sic enim complures emergent arbusculæ, quas oportebit transferre in scobes. Si quis viuiradicem pangat, scillæ bulbos interijciat, aut muria madefactam collocet. Præstabilius tamen fuerit, siue plantulam, siue ramulos feras, bubulo fimo madefacere. Sunt qui calcem viuam cum planta adobruant, vt idem prodit Didymus, arbitrantes sic satam suo domino nequaquam decoquere. Alij rubricam ab laqueatis radicibus adijciunt, alij verò cinerem. Iuxta scillam sata Plinio lætior euadit: imò verò ocyus augetur, minúsque vermibus infestatur: quæ senescens fertilior esse solet, quàm adolescens: excitato puluere non solùm virescit, sed etiam increscit ac proficit: ad quem vsum ficos solent suffodere coloni, cùm puluere opus fuerit. Non desunt qui radices amputandas con-

Vtra præstãtior ficus, in mõtanis nascens, an planis.

Ficum non ferre glaciẽ, ventos, nec aquas.

Quomodo semine proueniat ficus.

Ficus senescens fertilior quã adolescens.

contendât, & cinere obstruendas, caudice passim vulnerato: copiosiorem fructum inde sperantes. Recidenda sunt in ea arbore, quæ aut putria aut malè nata reperientur: alioquin locis humectis pomum dabit saporis obtusi: circuncisis contra hoc radicibus, aliquãtus cinis debet apponi. Hęc ex fructiferis vna est quæ nunquã floret, ac breui tempore in ficeto viuit. Cui caprificus permiscetur, ne ante maturitatem fructus amittat ac vermes creet, quibus alioquin summè est obnoxia: adhæc, vt non sit necesse per singulas arbores ficulneas, caprifici poma in remedium suspendere.

Ficus sola ex fructiferis nũquam floret, vermibus summè obnoxia.

Si hoc desit, abrotoni virga, vt docet Palladius, suspenditur: aut callum quod in vlmeis folijs inuenitur. Si id rursum non fuerit in manu, arietis cornua circa radices obruentur. Vel trũcus ipsius arboris, qua parte turget, scarificabitur, vt possit humor effluere.

Ne ficus fructus amittat.

Si vermibus laborauerit, ramũ terebinthi, vel lentisci taleam cum plãtis fici, cacumine inuerso ponemus. Perdentur verò calce viua radicibus inspersa, vel in cauas trũci parteis missa. Sunt qui æreis vncinis illos tollant. Alij amurcam, alij veterem vrinã ablaqueatis radicibus miscent: adhæc bitumen & oleum.

Remedium aduersus vermes.

Si voles vt ficus sua poma serò proferat, hoc est, si maturam ficum cupis serotinã facere, secretum id docentem Columellam ausculta. Cùm grossuli, inquit, minuti erunt, id est, cùm fabæ magnitudo illis fuerit (vt interpretatur Palladius) ex arbore decutito: hoc faciens coges vt alterum fructum edat iterum, cuius maturitatẽ in hyemem seram differet.

Vt ficus serotina ferat poma.

Summè prodest simul atque folia agere cœperit, rubricam amurca diluere, & cum stercore humano ad radices profundere: nã res ea vbe-

Vt fructum vberiorem ferat ficus.

riorem fructum, & pomi farctum speciosius ac plenius efficit. Prodest insuper cum frondere incœperit, acutissimo ferramento summa cacumina nonnunquam amputare: sic enim firmior fit arbos ac feracior. Democritus in suis Georgicis asserit, ficum pomorum iacturam non facere, si caudex mororum succo fuerit illitus. Adhæc fructum non abijcere ægrotantis modo, si radices sale ac marina alga, aut fuco marino, vt legit Ruellius obducantur. Vel si quadrantibus Lunæ caudices rubrica oblinantur: aut caprifici grossuli, vel intorta ex his serta arbori suspendantur. Addit ille idem Democritus, quòd si Pleiadum emersu quis in excauatum scrobem pares aquæ & amurcæ portiones mistas, circa truncum infundat, arbor sui fœtus tenax, pomum nequaquam abijciet. Ad quam rem Palladius cancrum fluuialem cum rutæ ramo eidem arbori suspendit, aut fascem lupinorum: præcepítque terebratæ arbori nonnunquam cuneum defigendum, vel securi corium illius sæpè proscindendum. Si syluestrem mansuefacere volueris, amputatos ramos vino & oleo per septem dies irriga, & optato potieris, quemadmodum scripsit Africanus. Si scabie laborauerit, curabis ex Leontij præscripto, scilla iuxta radices plantata: aut rubrica aqua diluta, & circa truncum affusa. Si arbori molestæ fuerint formicæ, rubricâ butyro & pice liquida mistam circa truncum induci iubet Palladius. Sunt qui pro amuleto coracinum piscem arbori suspendant: de quo & auxilijs alijs, libro primo abũdè scripsimus, ad quem si videbitur recurres. Democritus promittit ficus præcoces, si columbinum fimũ, piper item ac oleum radi-

Quomodo ficus fructũ nõ abijciet.

Vt ficus sui fœtus sit tenax.

Vt syluestris ficus mãsuescat et scabie liberetur.

Ne molestæ sint formicę.

Quomodo fiant præcoces ficus.

radicibus indideris. Idem etiam continget de Palladij consilio, si succo longioris cepæ cum oleo & pipere misto, poma inunxeris, quãdo grossi rubêre incipiunt. Cęterùm vt fructum varium ficus exhibeat, ita vt pomum altera parte nigrescat, altera verò candicet, sic coitum eum aggredieris. Duorum ficorum diuersorum semina siue grana linteolo deligata, sere: & cùm res postulauerit arbusculam transfer adultam. Si ficus inscriptas vel figuratas tibi comparare voles, ficulneum oculum ea quam cupies figura inscribito, & poma hac specie insignita habebis, si non mentiuntur Democriti græca Georgica. In quibus etiam tradit, quòd si quis fici esu alui deiectionem moliri cupiat, veratrum nigrum cum lactuca marina seu tithymalo tritum, radicibus arboris eius quæ deponetur, debet inserere: hinc quæ nascentur poma ventrem mouebunt. Res eadem fiet, si purgantia alia simplicia, vt loquuntur, addideris. Cuius rei experimentum etiam in aliarum arborum pomis, vt anteà diximus, tibi facile erit. Illud ex Columella hîc nequaquam prætereundum duxi, quòd decocta caprificus & cum cibo alitibus atque gallinaceis exhibita, ficorum fastidium illis creat, quorum alioquin sunt appetentissimi. Addo quòd succo ficuum satiuarum lac à plerisque cogi solet, syluestrium verò nequaquam. Quod vnum, si ad ignem tepefiat, ficique ramulo moueatur, idem, testante Africano, præstabitur. Imò verò & succo ex vulnerato fici cortice stillãte. Si ficus celeriter maturescere voles, vbi ad iustã magnitudinem creuerint acu perforabis, oleoq; illines, deinde oliuæ folijs circunteges, ac ligabis. Autor

Vt fructum varium exhibeat ficus.

Vt ficus nascantur inscriptæ.

Vt ficus sine deiectoriæ alui.

Vt alites ficus non attingant.

Quomodo lac cogatur absq; coagulo.

Vt ficus celeriter maturescant.

Petrus

Petrus de Albano. Sed nec istud hoc loco mihi est dissimulandũ, quòd tam passæ, quàm recentes ficus, panis ac obsonij vicem olim habuerunt, eoq; cibo prisci athletæ vires aluerunt priusquam Pythagoras exercitator eos ad carnes transtulisset. Sale inueteratis etiam casei loco vesci excogitatum est, Plinio autore. Hîc duo prodigiosa naturæ miracula mihi in mẽtem veniunt. Vnum tauros quamlibet indomitos & feroces, fico alligatos cicurari, & immobiles conquiescere. Quod & caprifico illorum collis circumdatæ, Plinius ascripsisse mihi videtur. Alterum, victimas, cæsorúmque animalium carnes perquàm celeriter tenerescere & fragiles effici quæ in fico pependerint. Postremi rationem in Symposiacis Plutarchus petiuit. Cùm inter obsonia Aristionis, inquit, coquus immolatum Herculi gallinaceum gallum recentem, tenerum ac penè friabilem obtulisset: tam citam teneritudinem fico referebat Aristion, contendens iugulatas aues etiam prædurąs teneritatem contrahere, quæ pensiles fico adhæserunt. Causam adfert, quòd auram, halitúmque vehementem ac digerentem expiret ficus, quo carnes desiccantur & concoquuntur. Idem etiam continget, vt id obiter admoneam, si tritici aceruo obruantur, aut penitus demergantur. Hæc de parente arbore satis: venio ad sobolem, & eius custodiam. Ficus seruari possunt virides, vt scribit Africanus, et cõfirmat Palladius, si in melle ita disponantur, vt neque se inuicem, neq; vas contingant, quod operculo diligenter tegi debet. Idem continget si singulæ intra viridem cucurbitam claudantur, loculis vnicuique cauatis, & suspensa in vmbroso loco cucurbita, vbi

Pulchra & notatu digna.

Tauros feroces à fico cicurari.

Carnes ad ficum suspẽsas tenerescere.

Cur iugulatæ aues tenerescant in fico pensiles.

Quomodo seruentur ficus virides.

vbi nec ignis, nec fumus inſpiret. Verùm cum petiolis legi debent, nam ſic diutius integrę durant. Alij calicem vitreum, aut aliud quoduis perſpicuum poculum ſuper ficos leuiter inuertunt, & obducto cera ſpiſſamento ita relinquunt, ac immarceſsibiles ſeruant. Scribit ille idem Africanus muſteas, ac ſi in parente eſſent, hunc in modum cuſtodiri. Cùm vinaria dolia operculãtur, in nouum fictile non rotũdum, ſed potiùs ex arbitrio quadratum, fundóque fultum, recentes ficus minus maturas, cum ſuis pediculis lectas, immitte: & ita ſecerne, vt ſpatium intercedat, vbi diligenter fictile illud clauſeris, in dolio vini pleno, ad vnguem operto, natare permitte: niſi acorẽ contraxerit, tali habitu ficus mãſiſſe comperies, quali conſtabant dum iniectæ fuerunt. Quòd ad aridas attinet, quas Iſchadas vocant, Paxamus in Gręcorum agricultura exercitatiſsimus, ſcribit à putrilagine vindicari poſſe hũc in modum. Paſſæ ficus, inquit, ſine vlla carioſæ labis nota integræ manebũt, ſi tres liquida pice imbutæ ita collocentur, vt vna fictilis fundum obtineat, altera referto ficubus ad medium vaſe, ibidẽ reſideat, & tertia eodem ad fauces vſq; completo, ſuperficiem teneat. Durabunt inſuper, vt ille idem tradit, ſi in tegete, qualo, ſporta, vel cratibus inditę, calfacto furno, poſt panem exemptum, propendeant, & in noua, ac bene picata fidelia condantur. Sunt qui cum pediculo lectas, feruefacta muria cum oleo, in Sole rigent: & in vas, luto, vt decet, oblitum, immittant. Alij, cratibus exponũt, toto Sole ſiccandas, & nocte ſub tecta reportant. Modos alios cùm ex Columella, tum Palladio requires. Sed in hac ficuum hiſtoria tacendum

Quomodo dulces ſeruẽtur ficus ac ſi eſſent in arbore.

Quomodo aridæ ficus a putrilagine vindicentur.

Varij modi cuſtodiẽdarum ficuum.

Modus popularis.

non eſt memorabile Catonis ingeniũ. Is dum per-
niciali odio Carthaginis flagraret, & nepotũ ſe-
curitatis anxius eſſet, clamarétque omni Senatu
Carthaginẽ delendam, attulit quodã die in curiã
pręcocẽ ex ea prouincia ficum. Quẽ vt ſcribit Pli
nius Patribus oſtendens: Interrogo vos, inquit,
quando hoc pomũ demptũ putetis ex arbore? Cũ
inter oẽs recentem eſſe conſtaret. Atqui tertium,
inquit, ante diẽ ſcitote decerptũ Carthagine, tam
propè à muris habemus hoſtem: ſtatímq; ſumptũ
eſt Punicum tertiũ bellum, quo Carthago deleta
eſt, & ſequente anno raptus Cato. Qui vnius fici
argumento, res mira, tantam vrbem, & de terra-
rum orbe vnam per 120. annos Romanæ gloriæ
æmulam, funditus euertendam ſuaſit, & tandem
impetrauit. De ficu hæc ſatis ſint. Sed ô me obli-
uioſum: priuſquàm hinc abeam, illud ſilẽtio ne-
quaquam inuoluam, quod Plutarchus tacitum
noluit. Quid illud, inquies? equos et aſinos linqui
animo, qui ficos dorſuarij comportarint: ſed ma
iore miraculo dignũ eſt remedium, quo & ipſis,
& hominibus quoq; ſuccurritur. Exanimata fe-
rè iumenta, extinctósq; penè deliquio virium ho
mines, obiectus panis reuocat: namque ſi pauxil-
lum huius vorauerint, protinus cibo ſeſe recol-
ligentes roborantur, & priſtinũ iter proſequun-
tur. Nec ſecus in hominibus eueniſſe, idem pro-
didit Plutarchus. Brutum, inquit, per altas ni-
ueis in Apolloniam proficiſcentem cùm animus
defeciſſet, panis ab hoſte muros vrbis defenden-
te proiectus, ex tẽpore recreauit. Potitus tandem
rerum Brutus, de hoſte bene meritus eſt. Sed hæc
nihil ad ficum, cuius præſidia, cultum, & ſecreta
duntaxat hîc perſequimur.

Pulchra hiſtoria & notatu digniſſima.

Mira de equis & aſinis dorſo ficos portantibus.

Magna panis efficacia ad animum ſtatim reficiendum.

Oleæ

Oleæ ſatiuæ, ac eius baccarum, cura, auxilia, & ſecreta. CAP. XVII.

FLOrentinus Græcæ agriculturæ profeſſor conſultiſsimus, de plantatione et cura Olearum in ſuis Georgicis diſſerens, ſcribit oportere eum qui rei ruſticæ ſtudio tenetur, plurimũ prouidentiæ ac diligẽtiæ circa oleã adhibere. Vel ob id quòd magnos habeat redditus & certos, hominemq́ꝫ citò ac facilè ditare poſsit: ſicuti de hiſtoria Pliniani Democriti, vel Ariſtotelici Thaletis cõſtat, quã tibi & fusè & plenè exponemus in noſtro ſterilitatis & vbertatis Opuſculo. Sed ô dolor nobis non tã licet eſſe beatis, vt oleã arborem verè diuinã, ſeptẽtrionalibus hortis & agris noſtris aliarũ more videamus, colamus, & ex ea fructus vberes ac dites percipiamus: inſcrutabili Dei opt. max. conſilio, qui omnibus omnia non dat, ſed quod bonum atque vtile nouit. Neque tamen ob id laborem detrectabo, vt quæ de illa, & eius baccis, necnon oleo ſcitu digna legi, vel audiui, cãdidè & ingenuè, vt omnia, in medium proferam. Venio itaque à verbis (quod dicunt) ad rem. Olea, quam Gallicum vulgus oliuerum nuncupat, ſiccis collibus & argilloſis maximè gaudet, feruidúmque & ſqualidum cœli ſtatum libenter amplectitur. In humidis campis & pinguibus frondes quidem lætas, ſed plerunque ſteriles profert, rubricoſum ſolũ prorſus repudiãs, quòd ſuo æſtu ſtirpes eius exurat. Sed longè magis ſalebroſum ac ſcaturiginoſum odit, in quo ſemper vligo conſiſtit: ibi enim ſtrigoſas & minimè altiles baccas, faciléque marceſcentes, procreat. Itaqꝫ arduis locis & accliuibus ſummè oblectari

> Plurimũ diligentiæ circa oleã adhibendum.

> Oleam ſeptentrionalibus hortis & agris deſiderari.

> Quibus locis & quo cœlo gaudeat olea.

> Quodnã ſolũ repudiet olea.

lectari solet: quòd propitium illic nacta vetum, suæ nihil expiret saliuæ. In his enim Sxcellēs Solis æstus, ventorum afflatu mitescit, quare ibi oliueta generosam suis oliuantibus oleam, ac præstantissimum præbent oleum. In planis & campestribus, quia non difflātur, sed aduruntur, crassius & fœculentius oleum exstillant. Nec temerè, mea sententia, nam cùm stirpes omnes, tum maximè oleę, aduerso flatu roboratæ, summè vigēt. Vel eo argumēto & indicio, quòd lætiores & virentiores his partibus semper offendes, quæ ventis patent, tristiores verò & languidiores, quæ à flatu silent. Recreantur itaque spiritus nouitate, modò id spatij intercedat, quo liberè peruagetur aura. Autores sunt horum omnium post Pœnos & Græcos rerum agri scriptores, agriculturæ nostræ, Latinæ inquam, parentes & doctores eximij, M. Cato, Varro, Columella, Plinius, Palladius, & recentiores alij pleriq;. Apud quos etiam lego oleam fici societate imprimis gaudere, vnde iuxta illam seri præcipiunt, non ampliore interuallo, quàm vt contingi largè posit, ramo oleæ maximè sequaci atque obedituro. Huius stolones qui seminio destinabuntur, caudicibus adnati legi nō debent, sed decerpti ramis surculi longitudine cubitali, dandáque est opera, vt stylus parte ima bubulo fimo cū cinere illinatur, & sectiōe cortex nō violetur nec collidatur, scrobsq; sinu concamerato excauetur, vt imbrium sit capax. Non desunt qui sectas ab imis radicibus soboles deponant, posteà cùm prehendisse vident, vt mutationi locus esse posit, transferunt. Sed maximum fuerit beneficium vt incremēto proficiant, ante quàm transferantur, & rubrica partes

Vbi generosæ nascantur oleæ.

Oleas recreari auræ & spiritus nouitate.

Oleas fici societate gaudere.

Quomodo serēda olea.

Pulchra & notatu digna pro transferēda olea.

tes cœli notentur, vt tradit Columella, quibus obuersę stant, vt simili ratione ponãtur, ac transplantentur, eosdémque ventos excipiant, ac similes parteis intueantur. Scrobes ante sationem fodiendi sunt, vt Sole, ventis, & imbribus, terra fragilior reddatur, ac stirpes vltrò citroq; radices liberè agant, quæ iugi rigatu gaudẽt: nam ita celeriorẽ edunt germinatum, faciliusq; transponuntur. Cęterùm, locus quem oleis destinaueris, diligenter runcandus est, omniq; alterius generis frutice extirpandus, adhæc macerijs aut sepibus viuis cingendus, vt Dydimus Græcus in suis admonet georgicis, ne pecori facilis pateat aditus. Fimi aggere impensè lætãtur oleæ, vt scripsit Sotion, sed locis vliginosis parcius debet inijci, alijs largius, quòd fimo saturatæ lætius frondent ac fœcundantur. Cæterùm, opportunè resecare licebit quæ marcida & sicca erunt, vt liberalius difflentur reliqua: adhæc ramulos detrahere qui inuicem incumbunt, inflexosq; & recuruos amputare, præsertim cùm in nimiam longitudinem exeunt, & in deformem proceritatem luxuriant. Nam inter omnes rei rusticę prudentes conuenit incommodã ac ineptã esse longitudinem olearũ, quæ denos cubitos excedit. Addo quod incremẽtum noxis omnibus patere solet: frangũtur enim rami ventorũ impetu, et flores aut fructus succussi, intẽpestiuè procidunt. Ideo multi ramos terrã versus retrahũt, vt arborem in solũ procumbere cogant. Sed ante omnia meminisse oportet, quòd cõpluribus interpositis annis oliuetum putandũ est: cõuenitq; veteris prouerbij meminisse, Eum qui arat oliuetum rogare fructus: qui stercorat, exorare: qui cedit, cogere. Itaque octauo anno id

Præparatio soli oleas recepturi, vbi de stercoratione.

Quomodò purganda & curada olea.

Quanta debeat esse olearum longitudo.

Quando putandum oliuetum.

fecisse satis erit, ne fructuarij rami subinde amputentur. Verùm stolones adnatiq; caudicibus nepotes adhuc molles & teneri, quotannis eximẽdi erũt, ne his onustus caudex fatigetur. Porrò, summè curandum admoneo, ne cũ ęstibus hiabit terra, Sol per rimulas ad radices olearum penetret. Quas, vbi oliuario suos reddiderint fructus, collucandas suadet Africanus Gręcus. Nã submotis petulantibus ramis, minus decoquent domino, maioremq; frugẽ ac liberaliorẽ nouelli rami impertiẽt, vt nunc nuper dictũ fuit: est enim nepotũ procreatione & stirpe fœlix olea, ducẽtos viuẽs annos, vt tradit Theophrastus. Cui Plinius hunc in modũ subscribit: Firmissimæ ad viuendũ sunt oleæ, vt quas durare annis 200. inter autores conueniat. Hinc Argis olea, inquit, nunc etiã durare dicitur, ad quã Argus Io alligauerat in vaccã mutatam: adhæc, illa quoq; Athenis, quam in certamine Minerua edidit. Sed hęc quia poëticã olent vanitatẽ missa facimus, qui oleę synceram narrationẽ prosequimur, monemusq; vnã omniũ esse, quæ in opere solet regerminare. Nam oleaginea eius materies tã rudis, q̃ elaborata, si humorem nacta fuerit, aut locũ adepta humectũ, germen citare cõsueuit. Cuius rei testẽ producam Pliniũ, qui & cardinẽ valuæ oleaceũ, & poculũ limo immersum regerminasse tradit, subditq; à tinea nusquã rodi, nec à teredine terebrari. Ex quo factum puto, vt prisci ex olearũ radicibus minorũ deorũ simulachra insculpi voluerint. Cæterũ, ne qd in hac historia sciens omittã, quod vel legerim, vel obseruauerim, vel audiuerim, non tacebo, ꝙ sturni oleis maximè solẽt esse infesti. Quia turmatim volantes, illarum baccas cumulatim deijciunt.

Radices olearum à Sole defendendæ, & petulantes rami submouẽdi.

Oleam annos ducentos viuere.

Oleam in opere regerminare, & tineis ac teredinibus non subijci.

Sturni oleis summè infesti, & quàm ob rem.

per-

perdũt ac diripiunt. Quare ab oliuetis longè sunt arcendi, ne oliuis negotium faciãt, quarum sunt appetẽtissimi ob nucleum, q in illis suauissimus est. Quod prouida natura præuidens, muro fortissimo illum circumuallauit, adhęc carne & cute præmuniuit, nec id in alijs fructibus etiam neglexit, quorum nucleus veluti anima quædã est, propagationis mater & formatrix. Sed hæc altius sunt instituti. Oliuã in profanis vsibus pollere olim nefas erat: imò ne propiciandis quidẽ numinibus ex ea altaria accendebantur. Illa est quæ equitum turmas coronauit, & minoribus triumphis ouantes illustrauit. Cuius rami porti indicium pacis fuerunt, ex quo olea à poëtis pacifera rectè nuncupatur:

Naturę summa sagacitas circa nucleos fructuum.

Oliuæ apud priscos mira dignitas & maiestas.

Paciferæq; manu ramũ prætẽdit oliuæ (inquit Maro) Quid illud, quòd Columba ex arca Noẽ emissa, oliuæ ramũ rediens potius attulit, quàm arboris alterius? Num vt significaret Deum optimũ maximum, tam prodigiosæ illuuionis autorem, pacatum fuisse ac reconciliatum? Verùm hæc quia theologica, theologis relinquo, & rusticam meæ oliuę narrationẽ repeto: quã vtiliter ac probè deflorruisse dicũt, dũ caduci eius flores perforati reperiũtur. Illa ex arboribus vna est quæ folia post æstiuũ Solstitium statim cõuertunt (cuius rei fidẽ faciet experientia, rerũ dubiarũ & incertarũ magistra certissima) vnde inuersa, illud præterijsse indicãt. Sed hîc tria non minus admiranda quàm celebrãda, mihi peropportunè in mentẽ veniũt. Vnum, quòd olea quercũ valde odit, sicuti post Theophrastũ diligenter adnotauit Plinius. Nã si quercetum in cõfinio habuerit, non solùm illud auferet, sed etiã refugiet, seq; introrsum abijciet.

Oliua pacis nuntia.

Oleæ folia æstiuo Solsti tio cõuerti.

Oleę et quercus summæ inimicitiæ.

in fundum. Quinetiam aiũt excisam quercũ sua radices propinquo olivueto noxias relinquer Adhæc oleam eo loco positam vnde quercus e fossa fuit, mori aut tabescere, si vera tradit Co lumella: vsque adeò mirabilis est harum arb rum antipathia, & naturalis discordia: cuius ca sam natura nos potius mirari, quàm scire volu Alterum, non solùm contemplatione, sed adm ratione summa dignum, quòd à mũdis pueris virginibus olea plãtari, coli, ac vindemiari dil git: aut ab his qui iureiurando affirmẽt, alienu torum vel cubile nõ violasse, licet vxores du rint: nam ita lætior, fertilior, ac fructuosior eu dere creditur, sicuti scripsit Florentinus Græc in suis Georgicis. Cui suffragatur Palladius, ca sam addens, quod hæc arbor præsidem hab castitatem, ob Mineruam eius tutricem & patr nam. Tertium in olea mirabile est, quòd op quandoque senserunt, & à capitis dolore absc vllis medicamẽtis leuati sunt, qui folio eius h nomen (Athena) scripserunt, ipsúmque foliu capiti circunligarũt: quemadmodum tradit Z roastes in suis de agricultura Commentario Quod vnum quia vanam superstitionem re let, tibi æstimandum relinquo: & oleæ meæ ram ac secreta repeto: cui malè esse creditur, cu deflorescentem imber comitatur, aut cùm ci Vergilias pluit, quoniam illius coitus tunc solet: & hoc illud est quatriduũ, vt admonet P nius, oleis ac vitibus decretorium: hic articu austrinus spurci nubili. Non omittam quòd v dini post ficum olea de omnibus arboribus su mè est obnoxia: cui etiam impetigo peculia morbus esse solet, vti scabies fico, & viti flu

Oleã à mundis pueris & virginibus coli desiderare.

Folia oleę quomodo capitis dolores finiant.

Quæ tempestas oleis infesta & inimica.

Oleæ peculiaris morbus impetigo & vermes.

uor. Vermiculis prætereà ab erucis non admodum differētibus valde infestatur: qui per flatus austrinos, vt ipes in vitibus, maximè gigni solēt. Morbos alios quibus priuatim patet, prudens omitto, ne dicendis suum præripiam locum. Oleæ flores ab apibus non degustari, nec attingi autor est Plinius: adhæc cicadas vmbram oleæ de omnibus arboribus summè diligere: traditque M. Varro oleam sterilescere, quam capra primo germinatu depauerit, aut ligna perlustrarit. Ex quo factum arbitror, vt Mineruæ olearum antistiti, caprini generis nihil immolarint prisci, vt tradit idem Varro: licet aliter sentiat Plinius. Diligēter itaque munienda sunt oliueta, ne ab his & reliquo pecore lædantur, sicuti antea adnotatum est. Oleæ fertilitas summa indicatur, vt Florentinus Græcus testatum reliquit, si non in obliquo & à lateribus, sed in summo ramo fructū gestet. Quæ si veluti ociosa, aut aliunde præpedita cessauerit, fœcundam reddes, vt scripsit Africanus, si in excauatum & terebratum truncum, duos feracioris & fructuosæ oleæ ramulos ita adegeris, vt transectim penetrent: eosq; manibus prehensos tam fortiter ac validè traxeris, dū strictim adhæreāt, quo facto extantes foramini stilos sic resecabis, vt impacti cuneoli faciem præ se ferant: deinde luto paleato oras terebrati loci, ac hiātem sinum diligenter lines. Hoc veluti initu grauida arbor, vberiorem partū enitetur. Sed meminisse oportet, quòd etiam valentibus & generosis oleis, amurca, ex Columellæ consilio, infundenda est. Nam per hyemem si vermes atque alia suberunt animalcula, hoc medicamento necabūtur. Quod ex græca Quintilliorum agricultura, vt pleraq; alia,

Diligenter muniēda esse olieta cōtra capras.

Quomodo cessans olea fœcūda fiat.

Methodus ad vnguem expressa.

Amurca oleis valde medicamentosa et vtilis.

alia, ſibi aſcripſiſſe mihi videtur Columella: in quibus notatum reperio generoſiores ac lætiores euadere oleas, fructúmque plurimum adferre, ſi circum ablaqueatas illarum radices, inſulſa amurca aquæ remiſta affundatur, vtriuſque ſextarius vnus. Paleas quoque fabaceas ſufficiet indidiſſe, plus minus pro arboris modulo. Vrinæ etiam humanæ quantum fuerit viſum inſtillari poterit, aut argilla bubulo ſtercori permiſta, algáve aut marinus fucus. Sed confeſtim terra circum eſt exaggeranda dodrantali altitudine: ſinu prius in orbem fornicato, vt imbres pluuij retineãtur. Qui cum ſe inſinuarint, breuiſsimis ac frequentiſsimis foſsionibus ſunt ſolicitandi. Quod auxilium per torrida Caniculæ incẽdia adhibendum cenſent. Sed præſtabilius eſſe putant multi, rigatione vti, præſertim ſi validi ſqualiores inceſſerint. Cæterũ, quia tam in ſiccis quàm humidis locis oliuariæ arbores muſco plerunque onerantur, & adeò infeſtantur, vt nec fructum, nec lætam frondem producant, ferramento leniter deradetur, vt emergentes oleæ vberius alantur, & fœlicius procedant. Soli vitio fructum negare, vel (vt quidam volunt) necare, ſi perrexerint, docente Columella, ſic mederi ſolemus. Altis gyris arbores ablaqueamus: deinde pro magnitudine cuiuſque, calcis quantum licet circundamus, ita vt minima arbor modicum, maxima verò plurimum excipiat. Hoc remedio ſi nihil fuerit effectum, ad inſitionis præſidium confugimus. Sterilem oleam Quintillij agriculturæ peritiſs. hac ratione fœcundam fieri poſſe tradũt. Caudici ab radice ſpatiolo cubitali, ea maximè parte qua auſtrum ſpectat, terebra foramen vtrinque imprimit.

Notãda pro olearum irrigatione.

Oleas ab infeſtante muſco liberandas.

Remedium ad oleã quæ ſoli vitio nullum profert fructũ.

Quomodo ſterilis olea fœcũda fiat.

mit

mito digiti maioris amplitudine: quo facto duos frugiferæ oleæ ramulos ab australi parte sublatos, crassitie qua foraminis hiatum possit explere, strictè in illud conijcito: distractísque vehementer cacuminibus, eminentes ac extantes vndiq; particulas scindito, & paleato luto foramina obducito. Hoc veluti coitu sterilem arborem fœcundabis. Quod præceptũ cum Africani consilio paulo antè proposito, planè consentire mihi videtur. Porrò, quæ nimia foliorum & ramorum petulantia syluescunt, & absque vlla fruge luxuriãt, Græcis hylomanes nuncupatę, hoc est, insanæ (quòd folia quidem ferãt multa, fructum verò paucum, vel nullum) coërceri poterunt ex Quintilliorum obseruatione, & præcepto, si in radicis foramen quod terebra excauauit, viridem oleastri taleam, aut pini, vel quercus paxillum, lapidémve immiseris. Quintillijs ea in re suum addit calculum Columella. Solent, inquit, quantumuis lætæ arbores fructum quandoque non adferre, eas terebrari Gallica terebra conuenit, atq; ita in foramen, oleastri viridem taleam demitti: sic arbor fœcundo semine fertilior euadet. Potest eadem sine ablaqueatione adiuuari amurca insulsa, cũ suilla, vel nostra veteri vrina. Cuius vtriusque modus seruatur: nam maximæ arbori, ni tantundẽ aquæ misceatur, vrna abundè erit. hactenus Columella de sterili olea fœcũdãda. Quæ si fructum multum præseferet, quem ad maturitatem non perducat: volo dicere, si florem multum induat, & perperã illum exuat, nec sinat in baccas efformari & adolescere, facilè medeberis si ablaqueata arbore, algæ seu marinæ fuci corbes duos ad radices obduxeris, si maior fue-

Remedium pro oleis folia, & non fructum ferentibus.

Remedium eam in rem aliud, & paratu facilius.

Quomodo olea probè florescens, sed nihili gignens emendetur.

rit olea: si minor, vnū. Quòd si algæ, vel fuci copia negetur, solius amurcæ vsu contentus eris, aqua potabili permistę: ita vt singulis trūcis iuxta radices congios quatuor affundas, plùs, minùs, pro arborei corporis ratione. Nonnunquam in olea ramus vnus cæteris aliquantò lætior esse solet: quem nisi recideris, tota arbor cōtristabitur. Solent & radices velut morbo languentes plerunque arescere, arborémque ipsam facie veluti moribunda, videndam exhibere: quod soboli vermium interno sinu delitescentium acceptum ferre licet. Quos multis modis disperdēdos, cùm hoc libro passim, tum primò fusissimè ostendimus. Si efformatæ olearum baccæ defluant, summum adhibebitur præsidium, vt in suis Georgicis testatur Democritus, si faba quæ vermiculū, aut pediculum cōtinet, obstructa cera foramine, in gleba radicibus hærente condatur, & ita obruatur. Hîc silentio nequaquam inuoluendum arbitror, quod de vite & olea Africanus Græcus Florentini testimonio fretus, in suorum Georgicôn libris, memoriæ posteritatis mandauit: Si olea, inquit, viti inseratur, nō vuas modò, sed & oliuas quoque proferet: cui perticæ subijciundæ sunt, vt brachiorum onus fulciāt. Fit autem hoc artificio. Prope terram vitem terebramus, & fœcundæ oleæ ramulum foramini imponimus: vt à vite dulcedinem, & ab humo vernaculum nutrimētum sugat & alliciat. Vbi adoleuerit: & fructum ferre nondū assueuerit, si viticulæ eius sarmenta fructuaria trāsferantur, misturam progenitorum seruabunt, fructúmque producent, qui à promiscua parentum conditione nomen adoptabit dicetúrque Græcè elæostaphylos, Latinè verè

Quomodo curetur olea veluti moribunda elanguescens.

Remedium ne olearum baccæ defluant.

Quomodo viti inseratur olea, & qualis inde fructus emergat.

verò vuolea, aut olevua. De arbore, eiúsque cura auxilijs & secretis hactenus. Cuius fructus, quem baccam vbique cum priscis nũcupauimus, oliua vulgo dici solet, carne constans & nucleo. Quam (immaturã presertim) pleriq; virescentibus prunis albis aqua salsa cõditis, dissimulare ac mentiri solent. Quæ impostura me, & alios multos, in celebri conuiuio hyemali, quãdoque cepit ac delusit. Oliuarum baccæ muria exceptæ, Græcis halmades nuncupantur: quæ verò oleo suo puræ, & sine accersita commendatione innatant, ac velut vrinabundæ fluitant, colymbades nuncupantur. Quod ad oleum attinet ex his conficiendum, hîc à me pauca admodũ expectabis: ne dicar instituti mei fines transilijsse. Itaque monuisse satis erit, tempus legende & vindemiandæ olee accommodum esse, quando maior pars dimidij fructus nigrescere apparuerit: queadmodum in suis Georgicis adnotauit Paxamus. Que res, si minùs cœlũ aspirauerit, nõ semper erit expectanda. Vnde olearum vindemia quandoq; præuenienda est, ne à gelicidijs & frigoribus intercipiatur. Cæterùm, sereno die, & minime pluuio, ab oliuantibus aggredi debet: nec licet vel minutis imbrium guttulis labentibus ramos oliuarios mouere, aut decutere, donec humiditas omnis exhausta sit. Non desunt qui manibus sensim ac leniter ramos quatiant, vt ex ijs fructus excutiant. Sed diligenter cauendum erit ne virga oliuaria baccę deijciãtur, aut contingantur: nam hinc arbor minùs fœcunda in posterũ euadet: si vera sunt quæ scripsit Paxamus, inter Græcos geoponicos non postremus. Qui etiam admonet tantum oliuæ legẽdum esse, quantũ nocte veniente possis exprimere: ad-

Quomodo olearũ baccæ conditæ simulari possint.

Oleæ halmades & colymbades.

Quodnam tempus oleæ colligendæ aptum.

Serenitas vindemiandæ oleæ opportuna.

Summè notandum & aduertẽdũ.

hæc molam primo oleo leniter suspendi debere, ne ossibus defractis sordescat. De omnibus nobilius esse solet, quod sponte defluxit: virgineũ vocant multi. Nouo ac recenti sal & nitrum misceri debent, vt illius spissitudinem absoluant, & à labe vindicent, si quidem durare debebit: exactis diebus 30. (vbi amurca subsederit) in vitrea vasa transferendũ est, aut alia opportuna, vt mox dicemus. De secundo similis erit disciplina: nisi quod mola fortiore quassari debebũt oleæ. His vtcunque expeditis, ad ipsius olei custodiam et auxilia calamum conuerto: quãdo nobis in vsu cùm cibario, tum medico frequens esse solet. Apuleius græcæ agriculturę professor eximius, tradit oleũ vitreis vasis tutissimè conseruari, quòd frigore summè oblectetur. Si tamen vitrea defuerint repositoria, terreis doliolis optimè custodietur: aut alijs cribrato gypso intus perlitis, omniũ verò pręstantissimè plũbeatis aut vitreatis: vel perfectè excoctis terreis, qualia sunt Bellouacorum fictilia, quorum vsus apud nos frequens esse solet. Verumenimuerò præsens locus admonet vt de olearia cella paucis agam: quæ ad eam cœli regionem constituenda est, quę à calidis ventis maximè auersa fuerit. Quare, vt septentrionem spectet summè expedit: nam siccum & frigidum locum diligit oleum, calores & humores tanquam inimicos perniciali odio habẽs. Fumo valde infestatur: quapropter olearij doctores in totũ præcipiunt, vt neque fumus, neque fuligo, quandiu oleum conficitur, in torcular aut cellã oleariam irrumpat, admittatúrve: imò ne lucerna quidẽ. Oleũ quod gelatur, plerunq; fracescit: præsidium est salem vel nitrum opponere. Rancidum Tarentinus

Quid virgineũ oleum.

Oleũ secundarium.

Quibus vasis optimè seruetur oleum.

De loco & situ oleariæ cellæ.

Fumum oleo esse infestũ.

tinus sic posse curari asserit, & post illum Palladius. Albam ceram mundo & optimo oleo resolutã, & adhuc coctura cum eo liquentem, in oleũ profundere oportet, deinde calentes sales defrictos addere: ita oleum sapore, & odore mutato, optimè purgabitur. Si verò misturam eam anticipaueris inijcere, nunquã rancescet. Medetur & rancori anisum oleo demersum. Si fæculentum fuerit & impurum, purificabitur Sole, vel igne, vel aqua feruenti, si in illam vase minimè fragili imponatur. Si sordet, sic purũ facies ex eiusdem Tarentini consilio. Salem ad ignem frige, & dum adhuc calet in oleum demitte, ac diligenter receptaculum operi. Idem præstabit pinea nux, modò candens oleo restinguatur. Emundabit & citri radix in oleum demersa, adhęc fex olei torrefacta, & immissa, nam ita lympidius euadet. Si fuerit fœtidum, et odoris horrendi, præcipit idẽ autor virides oleas sine ossibus tundi, & in vasa olearia sub solis calore demitti. Si baccę oliuariæ defuerint, teneris oleæ cauliculis tusis idem efficies. Nonnulli vtraque linteolo clausa, remisto sale tuso, in vas olearium demergunt, & exacto triduo adimunt, oleũ agitantes ac commouẽtes, quod vbi conquieuerit, in aliud conceptaculum transuasant. Sunt qui vetustos lateres ignitos in illud extinguant. Pleriq; hordeaceos panes minutim friatos, & raro linteolo obuolutos immittunt, quod vbi secũdò & tertiò repetiuerint, nouos permutando & inijciendo, salis miculas & granula indunt, & in alia vasa trãslatum paucos dies subsidere patiuntur. Alij sertulã campanam, seu meliloton oleo delibutũ, per diem noctemq; infundunt. Si aliquod animal in oleum fortè inciderit,

Rancidi olei curatio ac saporis & odoris restitutio.

Fæculenti olei expurgatio.

Sordidi olei purificatio.

Remedium fœtidi olei, & odoris mali.

Varij modi curationis fœtidi olei.

Vitiati olei & putris remedium.

ciderit, & putri nidore illud vitiauerit, iubet Democritus in suis Georgicis, coriandri manualem fasciculum in oleario vase suspēdi, atque ita paucis diebus permanere. Si hinc de nidore nihil decesserit, mutandum erit coriandrū, donec vitium superetur. Sed maximè proderit, serenis diebus in vasa munda decapulare, quæ optima erunt, si priùs acetum continuerint. Quidem semen fœni græci, aut coriandri siccum, tritúmque oleo remiscent, vel incensos oleagineos carbones in illo frequenter extinguunt. Non desunt qui vuas passas, vinaceis exemptis, tritas & in offas aut pastillos redactas, oleo mersent, & elapsis decem diebus detractas exprimant, agitatúmque oleum in aliud vas transfundant. Alij vtrunque, hoc est vuas & vinacea, simul tradunt, ac in oleum mittunt. Si turbidum fuerit, Tarentinus suadet illud in fidelia oris ampli feruescere, & vbi ebullierit, tenuissimum salem frictum ac torrefactum inspergere, atque vbi substiterit, aliò transfundere. Pellucidum facies si corticem & ramulos oleagineos cum sale detritos, & linteolo conclusos in vase oleario suspendas. Odoratum sic compones Oleo recenti primo, sincero, & ab omni amurcæ spurcitia immuni (quod antea virgineum nuncupari diximus) inulam herbam siccam, lauri folia, cyperum, radicē iridis, & alia quæ voles odorata in pollinem tenuissimum trita & excreta in oleum vitreo vase receptum inijce, & diu multúmque agita: deinde salem torrefactum & in farinam detritū immitte, ac rursum agita, diebúsque xv. plus minus, vas ipsum cum oleo Soli expone, aut in duplici vase calidam aquam excipiēte merge: sed ita ne quid expiret, vel diffugiat: tātisper-

Sylua remediorum pro curandis oleis vitiatis.

Olei turbidi curatio.

Vt oleū fiat pellucidum.

Quomodo comparetur oleum odoratum.

tiſperque ibi eſſe permitte, donec horas treis lento igni ebullierit, exemptum patere ſpatio quodam conquieſcere, vſquedum concorporari, & in vnum coire perceperis. Dein percolato, & in tuum vſum loco ac vaſculo idoneo optimè ſeruato, & diligenter proſpicito, ne qua illabatur aura.

HACTENVS ſcribendo & meditando fatigatus hiſce Hortorum & hortenſium rebus colophonem ſum impoſiturus, & ab ijs qui legent, & fructum cum voluptate aliquem inde ſibi comparabunt, ſollicitè poſtulaturus, vt ſuis apud Deum precibus conatus noſtros adiutare dignentur: vt quæ præ manibus habemus alia quamplurima, & quotidie pro noſtræ Mineruæ modulo, diſcendi cupidis meditamur, lucem optatam aliquando videre poſſint.

FINIS TRIVM LIBRORVM DE cultu, cura, auxilijs & ſecretis Hortorum, Autore ANTONIO MIZALDO, Medico & Mathematico Lutetiæ.

1574.

DE HORTENSIVM ARBORVM INSITIONE Opuſculum.

ANTONII MIZALDI MONLVCIENSIS MEDICI, STVDIO ET DILIgentia ex varijs Autoribus Græcis & Latinis accuratè congeſtum.

PRAEFATIVNCVLA.

PROPOSITIS publicæ vtilitati Auxilijs, cura, & ſecretis Hortorũ, precium operæ nunc demùm facturum me cogitaui, ſi libellum De arborum inſitione comitem illis darem, vt noſtra Hortenſium hiſtoria ſuis vndique partibus abſoluta foras prodeat. Vt itaque à verbis ad rem tranſeam: Arbores quæ hominum cura & arte prouenire ſolent, vel ſemine emergunt, vel radicum plantulis, vel propagine, vel auulſione, vel ſurculo, vel inſitione. Relictis primis & medijs, ceu notiſſimis, poſtremum longè ac latè, ſi diuina fauerint, ex priſcis & recentioribus rerum agri profeſſoribus Græcis & Latinis explicare ſatagam, vt fœcundiſſimam illam pulcherrimorum fœtuum arboreorum matrem inſitionem, meritis honoribus exornem, & omnibus ſuis numeris, pro mea tenuitate, illuſtrem.

De insitione quæ fit sub cortice, & in trunco, ex Græcis Florentini Georgicis.
CAP. I.

FLorentinus inter Græcos rerum agri docto-res priscos clarus, tria inserendi genera esse tradit. Vnum sub cortice, alterum in trunco, & tertium quod emplastro fit, seu inoculatione. Omisso vltimo, sic primum & secundum persequitur. Arbores quæ densiore libro & cortice vestiuntur, & ex terra copiosum humorem sugunt, quales esse noscuntur ficus, olea, cerasus, & similes, sub cortice inseri desiderant. Sed ante cuneus tenuis valido ligno coustructus (quo facilius imprimatur) inter corticem & lignum paulatim adigi debet, tam diligenti & accurato manus libramento, ne corticis fascia disrumpatur, quo leniter subducto, surculus mergitur, & blandè imponitur. Hanc inserendi rationem emphyllismon & infoliationem appellant. Quæ autem cortice tenui cinguntur arbores, suntque pauciori humore contentæ, & foris exuccę (quòd humor relicto cortice in medullam interiorẽ se recipiat) qualis esse solet citrea malus, & arbores aliæ complures fisso ligni medio, surculi insiguntur, quem modũ propriè Insitionem vocant, & Encentrismon. In vtroque genere confestim inserendum surculum præcipiunt, & compendiariam insitionẽ faciendam, ne diuturniore mora natiuus humor exhauriatur, & surculus resiccetur. Porrò, qui inseruntur surculi, nitidi esse debent, & ex fertili arbore selecti, ab ea parte quæ Aquilonem spectat: adhæc acutis falcibus decisi, de nouo nati, leues, frequentibus gemmis prægnantes, bifurci, vel tri

furci,

furci, ab imo crure ſimplices, craſſitudine digiti minoris, & bimi, nam anniculorum ſaliua ſurſũ recurrens auocatur, ex quo infructuoſi fiunt. Falcis mucrone ab vna parte inſtar ſcriptorij calami ſalua medulla ſcinduntur, ſic vt lignum ligno, & cortex cortici poſſit committi & adhęrere. Surculi deraſum acumen, cum fiſſura & hiatu in quẽ debet imponi, æquali conſtabit magnitudine: ita vt exacutio & fiſſura ſtylum excipiens, binos digitos non excedant, quibus iuſtè coëuntibus nihil adimendum volunt. Argilla duntaxat vulnus muniendum erit, propterea quòd flaua terra cauliculos exurat, & ob id inepta ſit. Surculos finiente Luna, vel ſilente, decem aut paulò plures dies ante inſitionem accipiendos iubent, & operto vaſe ita muniendos, ne qua expiret aura, quos oportebit, dum eliguntur, adhuc occluſos non dehiſcere, inſitóque ad germinationem properare, quare decem antè diebus, aut pluſculis, vt diximus, qui inſitioni deſtinabuntur, vellendi erunt. Sed edocenda eſt ratio cur ſtatim eruti non ſint inſerendi, quippe ſi feruens adhuc, turgénſque ſurculus in capacem & deſtinatam rimam immittatur neceſſum eſt quippiam eius emarceſcere, antequã in vnũ coaleſcat corpus, fungoſámque laxitatem inter lignum excipiẽs, & hoſpitem ſurculũ intercedere: aut, ſi mauis, laxationem fieri inter immiſſum & ſuſcipiens lignum, in cuius rimas hiantes ſubiens aër, prorſus in vnitatem coire non patitur. Quòd ſi dies aliquot vaſe prius includantur, faceſſet omnis iniuriæ ſuſpicio, neque vinculorũ laxans mollities infeſtabit, neque inſpirãs aër officiet, ſed breui tempore comprehendent. Surculi aquilonio flatu ruẽte non ſunt inſerendi, quin

potius Austro spirante: quoniam vt imber insitionibus in trunco prodest, ita his quæ sub cortice fiunt nocet. In trunco ad æquinoctium vsque Autumni optimè fieri potest. In cortice vsq; ad Brumam, & post Fauonij flatus) qui septima Februarij die spirare incipiunt) vsque ad solstitium. Sunt qui insitionem optimam in trunco prædicēt post Canis ortum, rursúmque æstate post extinctos Caniculæ feruores. Si surculi à longinquis tractibus deferantur, infixi luto, vase diligēter oblito, ne ventum sentiant optimè asportantur. Hactenus Florentinus in suis Georgicis. Sed in his omnibus distingue loca & tempora.

De insitione quæ fit per inoculationem, seu emplastrationem, ex Græcis Didymi Georgicis. CAPVT II.

Didymus inoculationem, quæ enophthalmismus dici solet, ante solstitium æstiuum opportunè fieri tradit, quamuis circiter vernum æquinoctium, cùm germinatione turgent arbores, & gemmis grauidæ gestiunt, die tranquillo, & silente cœlo à se commodè auspicatam fuisse memorat. Verùm, quæ inoculatur arbor, nodis & agnascenti sobole, comáque debet purgari, relictis vberioribus, nitidioribúsque surculis qui huic insitioni destinantur. Fœcundæ arboris ex anniculo germine immaculatum & selectum oculum, seu gemmam, asciscere conuenit: & circunraso acie scalpri diligenter cortice, eum caudici in alterius vestigiū imprimere. Purum autem corticem, erugatum, nec vlla sui parte cicatricosum

ſecare exacte decet, ac lignum integrũ & inuiolatũ ſeruari: hoc enim perquã neceſſariũ habetur. Fœliciter cedit, ſi recepta hoc hoſpitio gẽma, in alterius ſedem incidat: nam ita dubio procul comprehẽdit. Citra quoque gemmam vel oculum in pullulatione, altera caudicis parte inſitionẽ moliri nihil vetat. Cæterùm cortices craſſitudine pares eſſe debent: & vbi coaluerunt, amputãdum quod ſupra compagem prominet, ne eo loci feratur alimentum, & à coalitu ſuccus auocetur. Dum ſurculi tria mõſtrabunt folia, vincula ſunt reſoluenda. Ego verõ, inquit Didymus, ſæpenumero non ipſum oculum ex anniculo germine acceptum, per ſeipſum inſeui, ſed relicto oculo in germine illæſo, à tergo gemmæ corticem delibraui: & lignum inſtar ſcriptorij calami ſcalpẽs, cum ligno quod remanſit, in veſtigium vel lacunam impreſſi, generoſioréſque arbores mihi comparaui. Porrò, ſi ſiniſtræ ramorum partes inoculationem ſuſceperint, ſuos partus cum fœnore liberaliter refundent. Hactenus Didymus in ſuis Georgicæ diſciplinæ Inſtitutionibus græcis, ex quibus hæc accepta & tranſlata ſunt. Sed in his ſemper tibi habenda erit ratio tui cœli, ſoli, & conſuetudinis. Quod pro reliquis ſcriptũ puta.

Particularia de Inſitione ex Diophane Græco rerum agri interprete. Cap. III.

Ficus moro & Platano rectè inſeritur: Morus caſtaneæ, fago, malo, pyro ſylueſtri, terebintho, vlmo & albæ populo: quo coniugio candida naſcuntur mora. Pyrus inſeritur punicæ malo, cotoneæ, moro amygdalo & terebintho. Si pyri ſur-

ri ſurculi moro figantur, rubra creabũt pyra. Ma
lus inſeritur omni pyraſtri generi: eadẽ cotonei
fœcundata coitu, poma dabit, quæ Græci meli-
mela nominant: ſimiliter & pruno ſociatur: ſed
inito platani conſortio, rubra mala proueniunt.
Nux in arbutum ſolam inſeri voluit, cæterarum
ferè ſocietatem horrens. Punica ſalici inſeruntur
Laurus malo, Perſica damaſceno & amygdalo.
Damaſcena ſylueſtri pyro cuiuſcunq; generis: ad-
hæc cotoneę, & malo. Caſtanea varijs arborũ ad-
ulterijs gaudet, vt fagi & roboris. Ceraſus nec p-
ici nec terebinthi reſpuit hoſpitiũ: nec contrà, ce
raſi terebinthus & perſicus. Cotonea oxyacãthæ
conſortiũ nõ aſpernatur. Myrtus ſalici inſeritur,
Præcocium damaſceno & amygdalo. Citria ma-
us cùm tenui libro veſtiatur, vix ſubtercutẽ re-
cipit aduenã ſurculo: quin potiùs in nutritio pa-
rẽtis ſinu alitur: poſt coalitũ emarceſcit. Loquor
autẽ de fructu, inquit Diophanes, qui vbi arbor
comprehenderit, citromalũ appellatur. Si tamen
quis citrium moro inſeuerit, rubra feret poma.
Cotonea & caprificus, arboris cuiuſque conſor-
tium ineunt, nec vlli ſurculo denegant hoſpitiũ.
Citriam malum in punicæ trunco fixam ali, Di-
dymus in Georgicis ſcriptũ reliquit. Florentinus
inſitã ceraſo vitem vuas vere promittit ferre: eã-
demq; oleæ impactam fructũ promere, qui de v-
triuſque parentis adoptione, elæoſtaphylus dici
tur. Odorata pyra, myrapia nuncupata, quam o-
ptimè in malis comprehendunt: quod vnum, in-
quit Diophanes, experientia magiſtra didici. Ha-
ctenus Gręci rerũ agri interpretes de inſitione. Ve
nio ad Latinos qui de ea poſt illos ſcripſerunt vt
ſua vnumquemque tulit ætas & ordo.

De arborum generatione & insitione ex lib. 2. Georgicon Virgilij. Cap. IIII.

PRincipiò arboribus varia est natura creãdis.
Namq; aliæ nullis hominũ cogentibus, ipsæ
Sponte sua veniunt, campósque & flumina latè
Curua tenent: vt molle siler, lentæq; genistæ,
Populus & glauca canentia fronde salicta.
Pars autem posito surgunt de semine, vt altæ
Castaneę, nemorumq; Ioui quæ maxima frondet
Esculus, atque habitæ Graijs oracula quercus.
Pullulat ab radice altis densissima sylua
Vt cerasis, vlmisq;: etiam Parnassia laurus
Parua sub ingenti matris se subijcit vmbra.
Hos natura modos primũ dedit: his genus omne
Syluarũ, fruticúmq; viret, nemorúmque sacrorũ.
Sunt alij quos ipse via sibi repperit vsus:
Hic plantas tenero abscindens de corpore matrũ
Deposuit sulcis: hic stirpes obruit aruo,
Quadrifidásq; sudes, & acuto robore vallos.
Syluarúmque aliæ pressos propaginis arcus
Expectant, & viua sua plantaria terra.
Nil radicis egent aliæ, summúmque putator
Haud dubitat terræ referens mandare cacumen.
Quin & caudicibus sectis (mirabile dictu)
Traditur è sicco radix oleagina ligno.
Et sæpè alterius ramos impunè videmus
Vertere in alterius: mutatámque insita mala
Ferre pyrum: & prunis lapidosa rubescere corna
Quare agite, ô proprios generatim discite cultus
Agricolæ, fructósque feros mollite colendo.

Deinde subdit,

Sponte sua quæ se tollunt in luminis auras,
Infœcunda quidem, sed læta & fortia surgunt:

Quippe

Quippe solo natura subest: tamē hęc quoq; si quis
Inserat, aut scrobibus mandet mutata subactis,
Exuerint syluestrem animum, cultúsq; frequenti
In quascūque voces arteis, haud tarda sequētur.
Necnon & sterilis quę stirpibus exit ab imis
Hoc faciet, vacuos si sit digesta per agros.
Nunc altæ frondes, & rami matris opacant,
Crescentíq; adimunt fœtus, vrúntque ferentem.
Iam quæ seminibus iactis se sustulit arbos
Tarda venit, seris factura nepotibus vmbram:
Pomáque degenerant succos oblita priores:
Et turpes auibus prædam fert vua racemos:
Scilicet omnibus est labor impēdēdus, & omneis
Cogendæ in sulcum, ac multa mercede domādæ,
Sed truncis oleæ melius, propagine vites
Respondent: solido Paphiæ de robore myrtus:
Plantis & duræ coryli nascuntur, & ingens
Fraxinus, Herculeæq; arbos vmbrosa coronæ,
Chaonijque patris glandes: etiam ardua palma
Nascitur, & casus abies visura marinos.
Inseritur verò ex fœtu nucis arbutus horrida,
Et steriles platani malos gessere valenteis:
Castaneæ fagos: ornúsque incanuit albo
Flore pyri: glandemque sues fregere sub vlmis.
Nec modus inserere, atq; oculos imponere simplex
Nam quæ se medio trudunt de cortice gemmæ,
Et tenues rumpunt tunicas: angustus in ipso
Fit nodo sinus: huc aliena ex arbore germen
Includunt, vdóque docent inolescere libro.
Aut rursum enodes trunci resecantur, & altè
Finditur in solidum cuneis via: deinde ferâces
Plantę immittuntur: nec longū tempus, & ingēs
Exijt ad cœlum ramis fœlicibus arbos:
Miratùrque nouas frondeis, & non sua poma.

Hactenus diuinus poëta Virgilius de arborũ diuisione, in eas quæ natura gignuntur, & quæ artificio. Priorẽ modum perspicuè explicat: posteriorem, obscurè. Nos ex Plinio vtrũque paulò pòst facilem ac familiarem tibi reddemus. Postremò insitionem exemplis aliquot persequitur & illustrat, cùm duabus eius sororibus quæ infoliatio seu emphyllismus, & emplastratio vel inocũlatio seu enophthalmismus tam Latinis quàm Græcis agricolis dici solent, & cortice nituntur. Sed hîc Virgilij interpretem non agimus. Pergo itaque ad reliquos qui de insitione pleniùs ac clarius post Virgilium scripserunt.

De insitione ex Iunio Columella.
CAP. V.

Omnis surculus omni arbori inseri potest, si nõ est ei, cui inseritur, cortice dissimilis. Si verò etiam similem fructum, & eodem tempore adfert, sine scrupulo egregiè inseritur. Tria genera porrò insitionum antiqui tradiderũt. Vnũ, quo resecta & fissa arbor, resectos surculos accipit. Alterũ, quo resecta inter librum & materiam, semina admittit, quæ vtraque genera verni temporis sunt. Tertium, quo ipsas gemmas cum exiguo cortice, in partem sui delibratã recipit: agricolæ emplastrationem vocant: vel, vt quidam, inoculationem: hoc genus insitionis æstiuo tempore optimè vsurpatur: quarum insitionum rationem cùm tradiderimus, à nobis quoque repertam aliam docebimus. Omnes arbores simul atq; gemmas agere cœperint, Luna crescente inserito: oliuam autem circa æquinoctium vernũ, vsque

in idus Aprilis. Ex qua arbore inserere voles, & surculos ad insitionem sumpturus es, videto vt sit tenera & ferax, nodisq; crebris: & cùm primũ germina tumebunt, de ramulis anniculis, qui Solis ortum spectabunt, & integri erunt, eos legito, crassitudine digiti minimi: surculi sint bifurci vel trifurci. Arborem quam inserere voles, serra diligẽter exsecato, ea parte qua maximè nitida & sine cicatrice est: dabísque operam ne librum lædas. Cùm deinde truncum recideris, acuto ferramento plagam leuato: mox cuneum tenuem ferreum vel osseum, inter corticem & materiam nec minùs digitos tres, sed consideratè demittito, ne lędas aut rumpas corticem. Posteà surculos quos inserere voles, falce acuta ex vna parte deradito tantum, quantum spatij cuneus demissus dabit: atque ita ne medullas, néue alterius partis corticem lædas. Vbi surculos paratos habueris, cuneũ vellito, statímque surculos in ea foramina, quæ cuneo adacto inter corticem & materiam feceris demittito. Ea autem fine qua adraseris, surculos sic inserito, vt semipede nec amplius de arbore extent: deinde muscum supra imponito: & ita ligato ne pluuia dilabatur. Quosdam tamen magis delectat in trunco arboris locũ seminibus serra facere, insectasq; parteis tenui scalpello leuare, atque ita surculos aptare. In vna arbore duos aut tres ramulos figito, dum ne minus quaternũ digitorũ inter eos sit spatiũ. Pro arboris magnitudine, & corticis bonitate hæc facito. Cùm omnes surculos quos arbor patietur demiseris, libro vlmi, vel vimine arborẽ astrigito: posteà paleato luto bene subacto oblinito totam plagã & spatiũ quod est inter surculos, vsque eò vt duobus di-

gitis insita extent. Supra locũ muscũ imponito, & ita alligato ne pluuia dilabatur. Si pusillam arborem inserere voles, imam abscindito, ita vt sesquipede è terra extet: & cùm deinde præcideris, plagam diligẽter leuato, & mediũ trũcum acuto scalpello permodicè findito: ita vt fissura digitorũ trium sit in ea: posteà cuneum, quo diducatur, inserito: & surculos ex vtraque parte derasos demittito: sic vt librũ seminis, libro arboris æqualẽ facias. Cùm surculos diligenter aptaueris, cuneũ eximito, & arborẽ, vt suprà dixi, alligato: deinde terram circa arborẽ adaggerato, vsque ad ipsum insitum: ea res à vẽto & calore maximè tuebitur. Hoc tertium genus ínsitionis cũ sit subtilissimũ, non omni generi arborũ idoneum est: sed ferè recipiunt talẽ insitionem quæ humidũ, succosumq; & validũ librum habẽt, sicut ficus. Nam & lactis plurimum mittit, & corticem robustum habet: optimè itaque ea inseritur tali ratione. Ex qua arbore inserere voles, in ea nouellos & nitidos ramos eligito, in ijsdèmq; obseruato gemmam quæ bene apparebit, certámq; spem germinis habebit: eam duobus digitis quadratis circũsignato, vt gẽma media sit: & ita acuto scalpello circuncidito, delibratóque diligenter ne gẽmam lædas. Posteà item alterius arboris quã emplastraturus es, nitidissimum ramum eligito, & eiusdem spatij corticem circuncidito, & materiam delibrato: deinde in eam partẽ quam nudauetis, præparatum emplastrum, seu gemmam, aptato: ita vt alteri delibratæ parti conueniat. Vbi ita hæc feceris, circà, gemmam bene alligato, cauetóque ne lædas ipsum germen: mox commissuras & vincula luto oblinito, spatio relicto, vt gemma libera vin-

culo nõ vrgeatur & liberè germinet. Arboris autem insitæ sobolem et ramos superiores præcidito; nequid sit quò posit succus euocari, aut ne cui magis quã insito seruiat: post 21. diem soluito emplastrum; & hoc genere etiã optimè inseritur olea. Quartum illud genus insitionis iam docuimus cùm de vitibus disputauimus: itaque superuacuum est hoc loco repetere traditã rationem terebrationis. Sed cùm antiqui negauerint posse omne genus surculorũ in omnem arborẽ inseri, et illã quasi finitionem qua nos paulò ante vsi sumus, veluti quandam quasi legem sanxerint, eos tantùm surculos posse coalescere qui sint cortice ac libro & fructu cõsimiles ijs arboribus quibus inseruntur, existimauimus errorem huius opinionis discutiendum, tradendamq; posteris rationem qua posit omne genus surculi omni generi arboris inseri. Quod ne longiore exordio legentem fatigemus, vnum quasi exemplum subijciemus, quo posit omne genus surculi, omnibus arboribus inseri. Scrobẽ quoquouersus pedum quatuor ab arbore oliuæ tam lõgè fodito, vt extremi rami oleæ posint eam contingere, in scrobem deinde fici arbusculam deponito, diligentiámque adhibeto vt robusta & nitida fiat. Post triennium aut quinquẽnium, cùm iam satis amplum incremẽtum ceperit, ramum oliuæ, qui videbitur nitidisimus, deflecte, & ad crus arboris ficulneæ religa: atq; ita amputatis cæteris ramulis, ea tantùm cacumina quæ inserere voles, relinquito: tum arborem fici detruncato, plagámque leuato, & mediam cuneo findito: cacumina deinde oliuæ sicut matri cohærent, ex vtraque parte abradito, & ita fissuræ fici aptato, cuneúmque

eximito, & diligenter ramulos colligato, ne qua vi reuellantur. Sic interpoſito triennio coaleſcet ficus cũ olea, et tum demũ quarto anno cùm bene coierint, velut propagines, ramulos oliuæ à matre reſecabis. Hoc modo omne genus in omnem arborem inſeritur. Hactenus Columella rerum agri interpres æquè facundus ac diligens.

De inſitione, ex Plinio. CAP. VII.

SEmine inſerere natura docuit raptim auium fame deuorato, ſolidóque, & alui tepore madido, cũ fœcundo ſtercoris medicamine in mollibus arborũ lecticis abiecto, & vẽtis ſæpè tranſlato in aliquas corticum rimas. Vnde vidimus enatam ceraſum in ſalice, platanum in lauro, laurum in ceraſo, & baccas ſimul diſcolores. Tradũt & monedulam ſemina in cauernarum theſauros condentem, eius rei præbuiſſe cauſas. Hinc nata inoculatio ſutoriæ ſimili fiſtula aperiendi in arbore oculum cortice exciſo, ſemenq; includendi eadem fiſtula ſublatum ex alia. In ficis autem & malis hæc fuit inoculatio antiqua. Virgiliana quærit ſinum in nodo gemmæ expulſi corticis, gemmamq; ex alia arbore includit, & hactenus natura ipſa docuit. Inſitionem autem caſus magiſter alius, & penè numeroſior, ad hũc modum expoſuit. Agricola ſedulus caſam ſepis munimento cingens, quò minùs putreſcerent ſudes, limen ex hædera ſubdidit, at illæ viuaci morſu apprehenſæ, ſuam ex alieno fecêre vitam, apparuitque truncũ eſſe pro terra. Aufertur ergo ſerra æqualiter ſuperficies, læuigatur falce truncus. Ratio poſteà duplex. Prima inter corticẽ & lignum inſeren-

ferendi, timebant enim prisci truncum findere, mox inforare ausi medio, ipsiqúe medullæ calamum imprimebant, vnum inserentes, neq; enim plures capiebat medulla. Subtilior posteà ratio vel senos adiecit, mortalitati eorum & numero succurrere persuasa, trunco per media leniter fisso, cuneóque tenui fissuram custodiente, donec cuspidatim decisus descẽdat in rimam calamus. Multa in hoc seruanda. Primùm omnium quænam arbor patiatur coitum talem, & cuius arboris calamus. Variẹ quoque, & non ijsdem in partibus succus omnibus subest. Vitibus, ficisq; media ficciora, & è summa parte conceptus, ideo illinc surculi petuntur. Olei circa medias succus, inde & surculi, cacumina sitiunt. Facillimè coalescunt quibus eadem corticis natura, quæq; pariter florẽtia eiusdem horæ germinationem, succorúmque societatem habent. Reliqua obseruatio ne fissura in nodo fiat (repudiat quippe aduenã inhospitalis duritia) vt in parte nitidissima, ne longior multò tribus digitis, ne obliqua, ne translucens. Virgilius ex cacumine inseri vetat, certumq; est ab humeris arborum orientem ęstiuum spectantibus surculos petendos, & è feracibus, & è germine nouello, nisi vetustæ arbori inserantur, ij enim robustiores esse debent. Prætereà vt prægnantes, hoc est gemmatione turgentes, et qui parere illo sperauerint anno. Bimi vtrique neç tenuiores digito medio. Inseruntur autẽ & inuersi, cùm id agitur vt minor altitudo in latitudinem se fundat. Ante omnia gemmantes nitere cõueniet, nihil vsquam vlcerosum esse, cicatricosum aut retorridum: spei fauet medulla calami commissurę, si in matre ligni, corticisq; iungatur,

gatur,

gatur, id enim ſatiùs quâm foris cortici æquari. Calami exacutio medullam ne nudet tenui tamē fiſtula detegat, vt faſtigiatio læui deſcēdat cuneo tribus non ampliore digitis, quod facillimè contingit, tinctum aqua radētibus. Calamus ad corticem vſque ſuum deprimatur. Ne luxetur dum deprimitur, néve cortex replicetur in rugas. Ideò lacrymantes calamos inſeri non oportet, non, herculè, magis quàm aridos, quia illo modo labat humore nimio cortex, hoc vitali defectu nō humeſcit, neq; concorporatur. Id etiam religionis ſeruant, vt Luna creſcente calamus vtraq; deprimatur manu: alioquin in hoc opere duæ ſimul manus minus nituntur, neceſſario temperamento: validiùs enim demiſsi, tardiùs ferūt, fortiùs durant, cōtraria ex diuerſo. Ne hiſcat nimiū rima, laxéque capiat, aut ne parum, & exprimat, aut compreſſum necet. Hoc maximè præcauendum, vt præualidè accipiētis trunco in media fiſſura relinquatur. Quidam veſtigio fiſſuræ falce in truncis facto, ſalice præligant marginē ipſum, poſteà cuneos figunt continente vinculo libertatem dehiſcendi. Quædam in plantario inſita, eodem die transferuntur. Si craſsior truncus inſeratur, inter corticē & lignum inſeri meliùs eſt, cuneo optimè oſſeo, ne cortice rumpatur laxato. Ceraſi libro dempto finduntur, hæ ſolæ & poſt brumam inſeruntur: dempto libro habent veluti lanuginem, quæ ſi comprehendit inſitum, putrefacit: incolumi cuneo adactum vtiliſsimè adſtringitur. Inſerere aptiſsimum quàm proximum terræ, ſi patiatur nodorum truncíq; ratio. Eminere calami ſex digitorum longitudine non ampliùs debent. Cato argillæ, vel cretæ arenam, fimúm-

fimúmque bubulum admiſceri, atq; ita vſque ad lentorem ſubigi iubet, id'q; interponi & circunlini. Ex ijs quæ commentatus eſt, facilè apparet illa ætate inter lignum & corticem, nec alio modo inſerere ſolitos: aut vltra latitudinem duûm digitorum calamos demittere. Inſeri autem præcipit pyra ac mala per ver, & poſt ſolſtitium diebus L. poſt vindemiam. Oleas autem & ficos per ver tantùm, Luna ſitiente, hoc eſt ſicca. Prætereà poſt meridiẽ, ac ſine vento Auſtro. Mirum quòd non contentus inſitum muniſſe, vt dictum eſt, & ceſpite ab imbre frigoribusq; protexiſſe, ac mollibus bifidorum viminum faſcibus, lingua bubula (herbæ id genus eſt) inſuper obtegi iubet, eam'q; illigari opertam ſtramentis. Nunc abundè arbitrantur paleato luto libros farcire, duos digitos inſito extante. Verno inſerentes tempus vrget incitantibus ſe gemmis, præterquam in olea, cuius diutiſsimè oculi parturiũt, minimúmque ſucci habent ſub cortice, qui nimius inſitis nocet. Punicam verò & ficum, quanquam aliàs ſicca ſint, recraſtinare minimè vtile. Pyrum vel florentem inſerere licet, & in Maium quoque menſem protendere inſitionem. Quòd ſi longiùs afferantur pomorum calami, rapo infixos optimè cuſtodire ſuccum arbitrantur: ſeruari inter duos imbrices iuxta riuos, vel piſcinas, vtrinq; terra obſtructos. Emplaſtri ratio & ipſa ex inoculatione nata videri poteſt, craſſo autem maximè cortici conuenit, ſicut & ficis. Ergo amputatis omnibus ramis, ne ſuccum auocent, nitidiſsima in parte quaque præcipua cernatur hilaritas, exempta ſcutula (ita ne deſcendat vltra ferrum) cortici, imprimitur ex alia cortex par cũ ſui germinis

minis mamma, ſic compage denſata vt cicatrici locus non ſit, & ſtatim fiat vnitas, nō humorem, non afflatum recipiens, nihilominus tamē & luto munire, & vinculo melius. Hoc genus nō pridem repertū volūt qui nouis moribus fauēt. Sed id etiam apud veteres Græcos inuenitur, & apud Catonē, qui oleam ficumq́ꝫ ſic inſeri iuſsit, menſura etiā præfinita, ſecūdum reliquā diligentiam ſuam, cortices ſcalpro excidi quatuor digitorū longitudine & triū latitudine, atqꝫ ita coagmentari, & illa ſua intrita oblini eadem ratione & in malo. Quidā huic generi miſcuêre fiſſurā in vitibus, exēpta cortice teſſella, ſurculo à latere plano adigendo. Tot modis inſitam arborem vidimus iuxta Tiburtes Tullias, omni genere pomorum onuſtā, alio ramo nucibus, alio baccis, aliūde vite, ficis, pyris, punicis, malorumq́ꝫ generibus, ſed huic breuis fuit vita. Nec tamē omnē experimentis aſſequi naturā poſſumus. Capaciſsima inſitorum omnium dicitur platanus, poſteà robur, verùm vtraqꝫ ſapores corrumpunt. Quædam omni genere inſeruntur, vt ficus & punicæ. Vitis non recipit emplaſtra, nec quibus tenuis ac caducus, rimoſusq́ꝫ cortex, neqꝫ inoculationem ſiccæ ac humoris exigui. Fertiliſsima omnium inoculatio, poſteà emplaſtratio, ſed vtraqꝫ infirmiſsima. Quæ cortice nituntur tātùm, vel leni aura ocyſsimè deplantantur. Inſerere firmiſsimum & fœcundius quàm ſerere. Hactenus Plinius.

De inſitione, ex Palladio, maximè earum arborum quas libro tertio Horti noſtri deſcripſimus. CAP. VII.

Inci-

INcipiam quicquid veteres ſcripſere coloni,
Sacraq́; priſcorum verba labore ſequar.
Principiò multas ſpecies induſtria ſolers
Protulit, & doctam iuſsit inire manum.
Nam quęcunque virens alienis frondibus arbos
Comitur, his diſcit credita ferre modis.
Aut noua diſcreto figuntur germina libro,
Aut aliud ſummo robore fiſſa capit.
Aut virides oculos extremi gemma tumoris
Accipit, & lento ſtringitur vda ſinu.

DE MALO.

Inſita proceris pergit concreſcere ramis,
Et ſociam mutat malus amica pyrum.
Seq́; feros ſyluis hortatur linquere mores:
Et partu gaudet nobiliori frui.
Spiniferas prunos, armataq́; robora ſentes
Læuigat, & pulchris veſtit adulta comis.
Exiguam ſorbum dulci diſtendere ſucco
Nouit, & ad cupidas flectere poma manus.
Robora thyrſigero platani concordia Baccho,
Fœtibus inſtituit plena rubore nouis.
Illius inſolitas miratur perſicus vmbras,
Populeæq́; ferunt candida dona comæ.
Meſpilus huic paret, lapidoſaq́; viſcera mutans
Tenditur, & niueo plena liquore rubet.
Pro ſudibus fœtis, & pro prægnantibus armis
Caſtaneæ fuluum dant noua mala decus.

DE PYRO.

Germine cana Pyrus, niueos haud inuida flores
Commodat, & varium nectit amore nemus,
Nunc rapit hirſutis horrenda ſororibus arma,
Et docet indomitas ponere tela pyros.

Nunc

Nunc teretem pingui producit acumine malum:
Fraxineasq́ nouo flectit honore manus.
Phyllida quinetiam grandi mitescere fructu
Instituens, duræ dat sua membra cuti.
Et steriles pinos, & inertem fœtibus ornum
Dotat, & ignotum cogit amare decus.
Huius & immissi vertêre cydonia rami,
Pomaq́ confusus blanda creauit odor.
Castaneæ septos aspro velamine fœtus
Exuit, & placido pondere mutat onus.
Mespilaq́ exarmat, pugnacibus horrida mẽbris,
Et mala tranquillo cortice vota premit.
Creditur in Libycis sua germina nectere ramis,
Lætaq́ puniceo posse decore frui.

DE COTONEA.

Cùm præstet cunctis se fulua cydonia pomis,
Alterius nullo creditur hospitio.
Roboris externi librum aspernata superbit,
Scit tantùm nullo crescere posse decus.
Sed proprijs pandens cognata cubilia ramis
Stat, contenta suum nobilitare bonum.

DE PRVNO.

Pruna suis addunt fœlicia germina membris:
Donaq́ cognato corpore læta ferunt.
Exarmat fœtus, sed brachia roboris armat
Castaneæ prunus iussa tenere larem.

DE CERASO.

Inseritur lauro Cerasus, partuq́ coacto
Tingit adoptiuus virginis ora pudor.
Vmbrãtes platanos & iniquam robore prunum
Compellit gemmis pingere membra suis.

Popu-

Populeasq́ nouo diſtinguit munere frondes:
Sic blandus ſpargit brachia cana rubor.

DE MORO.

Mutua quinetiam moris commercia ficus
Præſtat, & oblatum robore germen alit.
Fraxinus huic auidæ cōfert ſua membra ſorori:
Et metuit fœtus ſparſa cruore nouos.
Proceras fagos, & poma hirſuta virentis
Caſtaneæ, duris aſpera mala comis
Inficiens, monſtrat piceo nigreſcere partu:
Et ſucco paſcit turgida poma nouo.
Obſequitur moris blando terebinthus odore:
Et geminis veniunt munera miſta bonis.

DE PERSICO.

Ipſa ſuos onerat meliori germine ramos
Perſicus, & pruno ſcit ſociare genus.
Imponitq́ leues in ſtipite phyllidis vmbras,
Et tali diſcit fortior eſſe gradu.

DE MESPILO.

Aemula dura pyri deſpecti mala ſaporis
Meſpilus admiſſo germine tuta ſubit.
Et geminis ſeſe violentior inſerit armis:
Atque auidas terrent robora ſæua manus.

DE SORBO.

Sorba ſuos partus meritò maioris honeſtant
Seminis, & pulchro curua labore nitent.
Hæc arbos ſpinæ duros mucronibus artus
Exuit, ac libris mitibus arma tegit.
Aureaq́ annexo miſcere cydonia fœtu
Gaudet, & externi dona coloris amat.

DE NVCE.

Arbuteas frondeis vastæ nucis occupat vmbra:
Pomaq́; sub duplici cortice tuta refert.

DE AMYGDALO.

Phyllis odoratos primæuis floribus artus
Discissi pruni cortice fixa tegit.
Pomaq́; permutat velamine persica musto:
Duritiemq́; docet tegminis esse loco.
In modicam tornat siliqua tendente figuram:
Et frondes pulchro ditat odore feras.
Castaneamq́; trucem depulsis cogit echinis
Mirari fructus læuia poma sui.

DE FICV.

Persuadet moris tetrum mutare colorem
Ficus, & inuasis dat sua iura pomis.
Se quoque miratur pingui grandescere succo,
Et solitum gaudet vincere poma modum.
Insignes folijs platanos, fœlicia mensis
Brachia, gaudentes vitis honore comas.
Ingrediens pingui se cortice maxima ficus
Seruat, & optatos implet adepta sinus.

DE PVNICA.

Punica non alios vnquam dignata sapores
Mala, nec externis associata comis:
Ipsa suas augent mutato semine gemmas,
Et sibi cognato picta rubore placent.

DE CITRIO.

Necnon & citrij patiuntur mutua rami
Pignora, quæ grauido cortice morus alit.
Pomaq́; pasturi blando redolentia succo
Armatis mutant spicula nota pyris.

DE OLEA.

Robora Palladij decorant ſylueſtria rami:
Nobilitat partus bacca ſuperba feros.
Fœcundat ſterilis pingueis oleaſter oliuas,
Et quæ non nouit munera, ferre docet.

De inſitione, ex Petro Creſcentio decerpta ad verbum. CAP. VIII.

Oportet ſcire quòd inſitionum multi ſunt modi. Primus quidem eſt quòd fraga eiuſdem arboris omnia vltra medium medullæ ex tranſuerſo incidantur, & tunc alligetur quod inciſum eſt, ſicut vulnera ligari conſueuerunt: & circumponatur cera vel lutum ad pluuiæ & extrinſecorum nocumentorum defenſionem, & ne rumpi aut eorum plagæ aperiri agitatione ventorum poſsint, conuenientibus perticis muniantur: ſtatim enim conſolidato vulnere ſuperior pars emũdatum in ſapore profert fructum propter digeſtionem ſucci in nodo factam, & hoc propriè dicitur Inſitio: quæ quidem plantam in alteram non tranſmutat ſpeciem ſeu genus, ſed eam de ſylueſtri domeſticam facit. Secũdus modus eſt quòd vna & eadem arbor abſcindatur in trunco, & fragum ſuperius in eadem arbore acceptum, trunco ſuo inſeratur, tunc enim conualeſcens inſita, profert fructum alterius generis in ſapore, & quãtitate & figura quam prius protulerat: & iſte modus fecit diuerſitatẽ omnem quæ eſt in malis & pyris, & cæteris fructibus. Tanta enim eſt vis nodi & conuerſionis pororum qui prius aſcenderunt, quòd ſuccum ex nodis reten-

tum dirigunt ad aliam formam plantalem, quæ monſtratur in quantitate & ſapore fructus. Tertius modus inuẽtus eſt in vite et quibuſdam alijs quæ ex medulla creſcunt: videlicet quòd gemma vnius vitis excidatur vſq; ad medullam profundè, vulnere tranſuerſo & obliquato: & tantundẽ de gemma vitis alterius eruitur, & loco alterius ponitur, & fit colligatio ſicut in alijs, & tũc conualeſcit & fructificat. Fieret fortè in alijs arboribus, ſed in vite expertum eſt. Quartus inſitionis modus eſt, quo fragũ arboris vnius in aliam inſeritur arborem, conualeſcitq; et fructificat in ea per modum qui ſæpè dictus eſt. Et iſte modus regulariter cùm fuerit magis ſimilium, erit melior & citiùs conualeſcens: & fit propriè in illis arboribus quæ rectos habent poros, & per tunicas ligatas, à radice accipiunt nutrimentum. Sed iſte modus, & ſimiliter ſecundus, in plures ſubdiuiduntur modos. Vnus quidem eſt, quo ſurculus inſerendus inter corticem & lignum nouæ matris imprimitur. Secũdus, cùm ſurculus ſciſſo ligno infigitur. Tertius fit more emplaſtri. Quartus dicitur ad buccellũ. Quintus verò ſalicis pertica perforata. De omnibus per ordinem dicendum eſt. Primus quidẽ modus, quo ſurculus inter corticem lignúmque deponitur, fit hoc modo. Truncum ſerra acuta recidimus in loco nitido & ſuccoſo: ipſúmque cum faſcia corticis deſuper polimus: deinde vimine ſalicis, aut vlmi ligamus: ibíque inter corticem & lignum cuneum ferreum, vel oſſeum, in acutum tendẽtem, ab vna parte latum, & ab alia quaſi rotundum, tribus propè digitis deponimus, conſiderando ne corticis faſcia ſcindatur: & in eum locum ſubducto

cuneo

truneo statim surculum mergimus ab vna parte decisum, salua medulla et cortice partis alterius, pellicula exteriori remota, ita quòd optimè trũco adhæreat surculi incisura: qui super truncum quatuor aut sex digitis emineat, vel vsq; ad octo. Duos vel tres, vel plures surculos pro trunci qualitate constituimus, quaternis digitis vel amplius ad minus inter eos spatium relinquentes, et lutum desuper conueniẽter ponentes, & peciam disponentes, vel ligãtes. Hic autem modus optimè comprehendit & conualescit: sed fieri non potest nisi mense Martio vel Aprili, cùm iam potest lignum à cortice separari. Sed nec fieri potest nisi in crasso trunco vel mediocri: & in his arboribus quæ crassum habent corticem & pinguem: vt ficus, pyrus, malus, & similes. Conualescit autem optimè iuxta terram huiusmodi facta incisio, & etiam in quacunq; parte stipitis & crassorum ramorum satis cõgruè prouenit: sed omnis surculus duobus adminiculis ad minus, propter ventorum rabiem indiget. Modus autem secundus qui scisso fit stipite hoc modo aggrediendus est. Resecetur truncus & desuper poliatur, vt dictum est superius: deinde scindatur in ea parte quæ magis succosa videtur, & quæ corticem ibidem planum & adæquationi surculi congruum cernatur habere, quod maximè inuenis vbi maius est spatium inter corticem & medullam propter abundantiam nutrimenti quod ad partem illam accesit. Si antequã scindas, vinculum prope summum truncum stipitis ligaueris, cum minima scissura longitudinis defendet: deinde cuneum duobus digitis vel quid minus, longũ formabis: & aperta scissura eo, sublatáque omni la-

nugine de ipsius scissuræ labijs, surculum ab vtraque parte decisum immerges: taliter quòd cortex cortici adæquetur in parte exteriore, & lignum ligno interius, vt succus inter cortices & ligna possit liberiùs pertransire. In scissura etiã surculus optimè trũco nouæ matris adhæreat: deinde subducto cuneo, surculus in trunco spontè immissus constringatur. Super rimulas coniungendas et cortices, aliquid corticis huius arboris vel panni linei cerati ponatur, & cum iunco strictè ligetur. Deinde (vt ait Cato) subtili puluere in superiorem scissurã immisso, creta plurimùm comprehensa cum pauca arena & fimo bubulo, vel cum cera, super truncum & ligaturam ad defensionem caloris, venti & pluuiæ congruè disponatur, & pecia fascietur. Ego autem plusquã millesies probaui & semper inueni sufficere solam cretam bene compressam sine fimo & arena, vel cera & puluere. Hęc etiam in scissura proderunt, si vapor à radice ascendens ad nouum alendum surculum foras egrediens denegetur. Notandum tamen quòd istiusmodi & actus & operatio diuersificatur secũdum diuersitatem crassitudinis & tenuitatis stipitis inserẽdi, & cunei surculi incidendi. Nam inserendus stipes, surculo crassior est paulò, aut multò. Si multò, duobus potest scindi modis. Vno, vt ab vna parte stipitis vsque ad medullã tantùm cum congruo ad hoc scalpro scindatur, vbi vnus tantùm surculus infigatur. Altero, vt ab vna parte stipitis ad aliam scissurã pertranseat: ibique duo surculi, scilicet vnus à qualibet parte ponatur, vel vnus tantũ si placuerit ab vna parte, altera vacua remanente. Si verò stipes est paulò crassior surculo, necessariò per medium

mediũ ſcinditur, & vnum ſolũ recipit ſurculum. Vbicunque autem vnus tantummodo ſurculus ponẽdus eſt, debet cuneus eius formari vt in ſciſſura ex vtraq; parte facta, tertia cum cortice conueniẽti remaneat: in quarta verò quæ intra ſtipitẽ ſtare debet, nihil corticis & latitudinis videatur, aut modicũ eo modo melius quo ſurculus in cortice, quàm in ligni ſtipite exterius & interius adæquetur. Vbi autẽ duo ſurculi ſunt ponẽdi, fit ſciſſura cunei à duabus partibus propè medullã: quę etiam ad medullã & acumen accedat: ab alijs duabus partibus fit quaſi eiuſdem latitudinis: ita quòd pars paulò latior cum omni cortice permanẽs, extra cum cortice matris æquetur: pars verò ſtrictior, remota exteriori corticula verſus medullã ſtipitis interius diſponatur. Si aũt ſtipes eſt æqualis ſurculo qui inſeritur, formetur cuneus, vt ab vtraq; parte ſit cortex, et vtrarũq; fiat ęquatio, et cortice et peciola ſuper riuulas poſita, ſubtili vinculo ſciſſo, vel cordula cũ modica ſtrictura ligetur: & poſtmodũ cum creta, ſeu terra & peciola faſcietur. Et hic modus iuxta terrã & in altum, & in ſummitatibus optimè conualeſcit: ac omnes iſtæ formæ quæ fiũt ſciſſo trunco, poſſunt fieri cõuenienter menſe Februario et Martio, etiã menſe Aprili ſi ſurculus omni terra priuetur: & melius ſi colligantur antè quàm pullulẽt, & diu ſub terra in loco frigido vmbroſo ſeruẽtur, ſummitatibus non ſubuerſis. Et etiam menſe Ianuario cum calefactione ignis facta inſitio comprehendit, cùm eius auxilio agglutinans concurrat ſuccus: ſed tunc temporis erit inſitio cæteris melior, & melius conualeſcens cùm iam cortici ſe viridis ſuccus intulerit, & gemmæ incipiunt eſſe

ſuſpectæ. Ego etiam malorum inſitiones feci circa principium Auguſti de ſurculis illá æſtate maturatis, & ſatis congruè prouenerunt. Veruntamen talis inſitio facienda eſt ſub terra, vel modicum ſupra eam, vt tumulatione terræ à tanto æſtu inſita defenſetur: vel ſupra eam vas aliquod ſtillans ſuſpendatur, & eo auxilio poterit hoc tẽpore etiam in altum fieri. Fit etiam, vt ait Varro, hæc inſitio commodè in ſolſtitio æſtiuo & Caniculæ ſigno, ac præcipuè in fico. Poteſt etiã prædicta inſitio fieri ſub terra & circa terrã, ſeu modicum ſupra terram, vbi ſine dubio inſiti ramuſculi proueniunt omnibus alijs locis ad incremẽta maiora, quia ibi lignum & cortex maximè beneficio ſoli adhærẽtis humeſcit, quæ inſitio propriè arbuſculis conuenit. Si verò arbor mediocriter magna fuerit, commodiùs erit eandem locis altioribus inſerere, vbi cortex ſit viridis et ſuccoſus, quàm ipſam circa terram inſerere, quia ſic fructus ex ea pluribus annis tardius haberetur: veruntamen quantò magis inferiùs fiet, tantò magis domeſticabitur fructus. Si verò fuerit arbor magna plurimos habens ramos, nihil erit vtilius quàm ramos in locis nitidis reſecare, ibiq; quotcunque volueris ſurculos inſerere. Quòd ſi adeò vetuſta eſt arbor vt ramorum cortices nimiùm ſint rugoſi ac humore conſumpti, arbor eadem incidatur, & relinquatur inciſa vſque ad annum ſequentem, & tunc inſerãtur ſurculi qui in ea nati fuerint lætiores, & in cõmodiore parte locati, circumciſis cæteris & abiectis, qui tot numero eſſe poterunt, quot inſerẽti placebit: quia omnem numerum ſurculorum ſufficienter nutriet talis arbor. Modus quidem inſerendi quem

Palla-

Palladius emplaſtrationem vocat, ſic ab eodem fieri affirmatur. Ex nouellis ramis inciſis & feracibus gemma quę bene apparebit ſine dubio proceſſura, duobus digitis quadratis circumſignetur vt ipſa ſtatuatur in medio, & ita ſubtiliter cortex leuetur acutiſſimo ſcalpro, ne gemma lædatur. Item ex ea arbore cui geſtimus inſerere, ſimiliter cum gemma tollatur emplaſtrum, nitido tamen atque vbere loco, tunc ibi conuenienter impreſſum circa gemmam vinculis cogitur cohærere ſine læſionis germinis, tunc luto ſuperlinis & liberam gemmam relinquis. Cui multùm proderit ſi peciola cum cera ſuper iuncturam & rimulas corticum apponatur, ad extrinſecorum nocumentorum defenſionem, & nutrientis ſucci ac vaporis viuifici retentionem. Ramos deinde ſuperiores huius arboris reſecabis, ne mater proprios volens nutrire ramos, alienum filium ſibi propter vtilitatem radicũ per eundem relinquatur. Deinde verò viginti diebus exactis aut pluribus, reſolutis vinculis reperies externi ſeminis gemmam mirè in arboris alienæ membra tranſfixam. Hic autem modus menſe Iunio fieri poſſe aſſeritur, licet & antè, & poſt modicum comprehendat, dummodo gemma conueniens habeatur. Eſt modus vulgariter ad buccellũ dictus, qui huic proximo eſt plurimùm affinis, fit hoc modo: Buccellus paruus craſſitudine pollicis lõgus, cum gemma in medio, de nouo ſurculo eleuetur eiuſdem craſſitudinis, ſuo cortice in tres vel quatuor partes ſciſſo & denudato ponatur, & tantùm inferius conſideratè comprimatur, quod ligno ſtipitis mediocriter ſtrictè adhæreat: & cortex appoſiti ſurculi non ſcindatur, & ſiue gem-

ma posita super locum gemmæ sublatæ ponatur, siue non, nihilominus sine aliquo ligaturæ vel alterius rei auxilio conualescit. Abscindenda tamẽ est omnis circundans soboles surculorum, ne insitæ surripiat nutrimentum, ei tamen magnum adminiculum præstabit, si cortex pendens taliter rescindatur, quòd remanẽti appositus buccellus subtiliter adæquetur: & propter dictam causam peciola, deinde creta super iuncturam & totum buccellum ponatur, libera gemma relicta, posteà ne cera cadat, linea pecia fascietur. Fiat autem hic modus mense Martio, dum cortex separatur à ligno, & mense Aprili & Maio. Surculi antequam gemment collecti seruãtur in loco frigido & vmbroso ne pullulent, sub terra pro parte submersi. Item expertum est in mense Iunio circa finem, & Iulio, buccellum paruum cum gemma de nouissimo surculo eleuatum, & in nouissimo surculo positum eiusdem crassitudinis, siue gemmæ adæquentur, siue non, sine aliquo auxilio ligaturæ vel alterius rei, optimè conualere. Et tam hic modus, quàm superior qui emplastratio dicitur, locum habet in his solis arboribus quibus succus pinguis est in cortice, vt ficis, oleis, castaneis, & similibus. Potest etiam sine abscissione inserendi surculi eleuari buccellus, & domesticus eiusdem crassitudinis ab vna parte scissus ibidem apponi, & cum filo ligari ac præparari, vt dictum est supra: & vbi comprehendisse videbitur supra buccellum abseinde, relicta enim summitas succum ad buccellum fortiùs attrahit quã abscissa, & hoc modo possunt plures eiusdem speciei & diuersarum in vna virga formari. Modus qui fit in salicis pertica fit hoc modo: Pertica & baculus

culus dictorum lignorum perforetur subtili terebra & acuta, ita quod inter vnum foramen & alterum sit spatium semipedis, & surculus modicum raso cortice intromissus iungatur in scrobe surculis eleuatis, ita tamen quòd perticæ saltem salicis, summitas remaneat supra terram: hinc verò post annum materia totaliter eleuata, & inter surculos incisa, plãtam quamlibet radicibus plurimis decoratam in ordinata scrobe depone, cui forsan proderit si creta, vel cera, foramina & eorum scissuræ vndique optimè obturentur. Quidam autem mihi asseruit se expertum fuisse hanc insitionem in palo salicis viridi perforato vsque ad medullam solummodo, & infixisse surculos æqualis crassitudinis remoto cortice, quatenus intrarent in foramen, vt cortex surculi æquaretur cortici pali, & cum cera omnem rimulã obturasse, & posuisse palum sub terra, quatuor digitis iacentem in loco aquoso, ita quòd de palo nihil apparuit, sed solum surculi supra terrã, & comprehendisse optimè omnes, & resecato inter surculos trunco plãtasse & bene conualuisse. Alium modum inserendi retulit Columella, dicens, Gallica terebra vsque ad medullam arborẽ perforandã, plaga interiùs leniter inclinata, vbi deducto omni fragmine, vitem, vel ramũ admodũ foraminis delibratum, succidum tamẽ & humidum strictim imprimi iubet, vna vel duobus gẽmis foris relictis, & tunc argilla & musco locum diligenter operiri, & ita vites in vlmo inseri posse dicit. Prædicti autem duo modi fieri possunt in mense Martio, vel principio Aprilis: aut cùm viridis & nouus succus calore aëris dissolutus mouetur in cortice. Item scribit Varro aliũ modum

dum inſerendi ſuo tempore inuentum in propin quis arboribus, hoc modo: De arbore ex qua vult habere ſurculum in eam quam inſerere vult ramulum traducit: & in eius ramo præciſo ac defixo implicat in locum, quod contingit ex vtraque parte quod intus eſt falce extenuatum, ita quod ex vna parte qua cœlum viſurum eſt, corticem cum cortice æquatum habeat eius ramuli quem inſeret, cacumen vt directum ſit ad cœlum poſtero curet anno: dum compræhenderit, vnũ propagatum ab altera arbore procedit. Ex prædictis igitur patet, quòd licet inſitio in ſimilia ſit melior, tamen in diſſimilia plurimùm cõualeſcit & infinita mirabilia facit, quæ apparent his qui experiri deſiderant, & in talibus exercitantur.

HACTENVS Petrus Creſcentius, qui inſitionum hiſtoriam confuſam & impeditam nobis reliquit, vt legenti facilè erit iudicare. In qua nihil immutare viſum fuit, ſiue ſententiam ſpectes, ſiue dictionem, quæ multis locis inepta eſt ac ridicula, ſed ornari res iſta negat, contenta docêri. Multa ſanè occurrent, quæ non Dauum, ſed Oedipum deſiderabunt, quod corruptiſſimo exemplari, ex quo hæc verbum è verbo tranſcripſimus, acceptum ferre licebit.

De inſitione, ex libro Iouiani Pontani de hortis Heſperidum. Cap. IX.

IAm reliqua inſitio eſt, hominúmq; induſtria: nunc tu
Huc aduerte animum, & veterum cape dicta virorum.

Impri-

Inprimis ramos libro demitte ſub vdo
Artifici dextra, fiſſo nunc inijce ligno,
Atque altè impacto cuneo inſerito : alteriúſue
Corticibus iunge, & cera mox illine adacta,
Vlmeáque obſeptis conſtringito vincula plagis:
Ac pluuiam arceto coniecti ceſpitis herba.
Nunc & creſcentem vicino è margine virgam
Admoue, & inciſo leui ſub vulnere libro
Sic fige, vt lento non deſint cingula nodo.
Aut & eam tranſmitte forato ad viſcera trunco:
Mirantem latebráſque cauas, & operta viarum,
Néue excide illam: ſinito de matre propinqua
Hauriat vt ſuccos ſolitos, ſolita vbera lactet:
Donec eam grandem natu, longéque valentem.
Atque nouercales ſtringentem enixiùs vlnas
Videris & proprio meditantem viuere ſucco:
Tunc abrumpe manu, materna & ſtirpe reuelle:
Creſcet, & immenſum ducet latè aucta cacumen.
Interea læto ſurgit dum ſurculus auctu,
Sæpè riga, ſæpè eductas de ſtipite gemmas
Euelle, & duris inuerte ligonibus arua,
Ac matri blandire ſua dum prole repulſa
Cogitur indignans alienos paſcere fœtus.
Quin & ſurgentem ſobolem defende ſub vmbra
Frondentis rami, dum Sol furit, & furit æſtas
Victa ſiti: idem ipſe in glacie tege, tecta supernè
Inſternens craſſa è ſtipula, cannáue paluſtri,
Vrat ne teneras rabies aquilonia thyrſos
Cum primis valida nitatur ſurculus haſta,
A vento tutus, longéq; vrgente procella :
Et nunc ſcalpello tenui, nunc molliter vngui
Detondens, prima luxum compeſce iuuenta.
Vtendum parcè ferro, ſed nec tamen ipſa
Luxuries toleranda venit, quæ fœtibus obſtat.

Atque

Atque equidẽ memini (tantùm se industria promit)
Qui diuersa quidem, parua sed semina in vrna
Condat: & educens collo breuiore stolones
Subducatq́ꝫ, arctetq́ꝫ manu, ac sub vincula cogat
Crescenteis, hi tandem vno se stipite miscent,
Atque vno obducunt se cortice néue flagella
Dilabi sinito: neu summa cacumina ventus
Diuellat, cera linito, aut diducat adulta,
Vnguine dum proprio corpus iunguntur in vnũ:
Atqꝫ operit lentum sub eodem codice gluten.
Postquã alta steterit radice infossa, & opimum
Raptarit stirpes succum, mirabere poma
Plenaqꝫ grataq́ꝫ: non vno tamen vna sapore.
Sunt qui diuersos ramos, sed cortice raso
Coniungant, stringantq́ꝫ simul quo glutine misto
Increscant ęquè, & fisso mox stipite iunctos
Insigant pariter, tum vulnus ritè coronent,
Et fallax opus admota tueantur ab arte,
Quo ramo ex vno, atqꝫ vno de palmite fructus
Non vni veniant, sit honos & gloria ruri:
Gaudet enim insolito natura adiuta fauore.
Porró non desunt, qui scisso codice adacto
Dilatent vulnus cuneo: mox vulnere crudo
Includunt gemmas alienæ stirpis alumnas:
Ac tenui obstringunt vitta: non fit mora, longos
Emittunt ramos, & latè brachia fundunt:
Sic dorso alterius (mirum) noua pullulat arbor
Quin etiam alterius nudato cortice, plantem
Vidimus alterius, frondente cacumine, ramos
Erigere: ingentem & tunica sobolescere syluam,
Et stirpem informem nemora in generosa nouari
Ergo castanea è molli, è præstante sagitta
Laudatæ genitricis, adulto & germine, virgam
Exuito,

Exuito, exuuias gemmisq;, oculisq; nitenteis
Seligito, his ſterili ſpoliatum cortice truncum
Degenerem induito, vincloq; vrgente ligato:
Quo ſeſe & pluuiæ, & Solis tueatur ab æſtu:
Nec te blanda manus ſinito fruſtretur inertem,
Aut ludat tunica vitioſum arente flagellum.
Iam videas docili è planta pubeſcere prolem
Frugiferam tunc carpe manu, tunc erue ferro
Quod ſuperat matre è ſterili, & blandiri nouellis
Mira fides nitidis palmes ſe tollet alumnis.
Sic quæ olim ſterilis fuit arbor & horrida cultu,
Sponte ſua, nulliſq; hominũ ante obnoxia curis,
Mutabit genium, vertetq; ad munera frugum.

Ex eodem.

Quando & inexpertum nihil ars ſinit, hoc quoq; & hortis
Accedat, vel dictu etiam mirabile: de quo
Quãuis longe audax, quanquã ſibi cõſcius vſus
Addubitet. Ramum fœcunda è matre reuulſum
Decutiens capito: cæſum mox vndiq; librum
Aequatis ferro ſpatijs, dextraq; volentem
Exuito: inde pari confoſſum vulnere dorſum
Stipitis alterius nudato, & veſte recenti
Induito: vt coëant extremis partibus oræ
Veſtis, & è lento molleſcant vulnera limbo.
Vlmea dein teneris indantur cingula plagis:
Vincula quæ ingentis committunt vulneris ora,
Veſtiat & frondens truncũ toga: pellat vt imbres
Arceat vt Soles, & ſæuæ vredinis iram.
Dij facinus mirandum hærenti è cortice, cortex
Ipſe nouus victum medius rapit: atque supernis
Inſtillat ramis: quæque in ſua pabula traxit
Eſuriens alimenta, ſuo & de fonte refuſa
Ipſe ſuis infundit alumnis, ipſe & amicum

Irro-

Irrorat lac, vt sensim in sua nomina vertat:
Ramosq́ frondesq́, & eodem semina fœtu:
Antè quater nidum in tignis quàm figat hirũdo,
Et quater extincti renouet quàm funera nati,
Tantùm ars ipsa valet, tãtumq́ industria pollet:
Et tantúm insitio fœcundos adiuuat hortos:
Cui fauet impatiens ocij languentis egestas.

Hactenus Iouianus Pontanus, qui sub citriorum & limoniorum insitione, quasuis alias docto & erudito carmine per occasionem complexus est. Vir sanè admirabilis & summa laude dignus: qui rem tam impeditam & difficilem, tam eleganti carmine facilem ac familiarem reddiderit.

Insitionis ope & artificio multa ad stuporem vsque miranda fieri. CAP. X.

MVlta sunt in numeroso illo rerum mundi theatro, miraculi loco habita, quæ vel fortuitus edidit casus, vel ingeniosa hominum effinxit industria, comite labore, & experientia duce. Ex quo rectè scripsisse mihi videtur poëta,

Ipsa nouas arteis, varia experientia rerum,
Et labor ostendit miseris, vsusq́ magister.

Causa cùm plerosque lateat, illis tãtùm miraculi & stuporis ingerit, vt præter naturã, talia euenire censeant. Res ea cùm in alijs multis, tum in arborũ insitionibus locũ habere maximè solet. Quarum ope & ingenioso artificio, fieri plerunque videmus, vt vna arbor adeò prodigioso spectaculo, diuersi generis varijque gustus, odoris, coloris, &

ris, & facultatis poma, nuces, vuas, flores, & alia ab vno & eodem trunco emergentia, proferat: vt oculis intuentium nihil admirabilius occurrere possit. Quod vt demōstrem, & exemplis, cùm veterum, tum recentiorum confirmē, producā oculatos testes duos: Pliniū imprimis, virū omni exceptione maiorem. Vidimus, inquit insitam arborem iuxta Tiburtes Tullias, omni genere pomorum onustam: alio ramo nucibus, alio baccis, aliunde vite, ficis, pyris, punicis, malorumq; generibus. sed huic breuis fuit vita. Producam præterea Ioannem Baptistam à porta Neapolitanum, lib. 2. suæ Magiæ naturalis hunc in modum scribentem: Vnam nouimus arborem, delitias horti nuncupatam, crassitudinis & proceritatis non ingratæ: quæ præpingui, riguo & superfœtante solo consita erat: vt tum vigore, tum humi vbertate, insitis alimentum suppeditaret. Erat trifurca: in vno ramo vuam vnam, & item alteram vinaceis vacuam, discolorem & medicatam gerens: quarum altera soporem, altera alui deiectionem moliebatur. Secundus ramus persicum adferebat ex persico & nuci-persico interuallis pluribus æquè distinctum, absque vllo osse. Quòd si cui inerat, nucleum dulcem vti amygdala dabat: & nūc hominum, nunc animalium faciem ementiebatur pomum, diuersaq; lineamenta demonstrabat. Tertius cerasia exossa, acida, ac dulcia emittebat: adhæc mala aurea. Cortex floribus rosisq; consitus erat: fructusq; ipsi debitam magnitudinem superabāt, & alijs dulciores ac odoratiores erāt. Verno tempore efflorescebat arbor, & vltra debitum tempus suos fœtus producebat, qui diu in arbore morabantur, & continuæ fœcunditatis

orbem toto anno miniſtrabant. Nam per quoſdã gradus poma ſibi ſuccedebant, & fœtura interpolabatur. Brachia ponderibus inclinata procumbebant: denique ſic cœlum fauebat, vt pulchriorem arborem non conſpexerim. Hactenus ille, ex quo hiſtoriam tam raræ & pulchræ arboris huc proferre voluimus, vt intelligeres,

Quantùm ars ipſa valet, quantumq́ industria pollet:
Et quantùm inſitio fœcundos adiuuat hortos:
Cui fauet impatiens ocij labor, optimus artis
Cuiuſcunque dator.

Hæc ſunt quæ de inſitionibus ex Græcis & Latinis rerum agri doctoribus eximijs in præſentiarum adferre poſſum. Quæ ſi parùm accuratè curata quis dicet, curioſiús ſi curabit, curam ſibi procurabit, & amicitiam noſtram conciliabit.

FINIS OPVSCVLI INSITIONVM, ANTONII MIZALDI ſtudio & diligentia concinnati.

ANTONII MIZALDI MONLVCIENSIS MEDICI, DENdranatome: *seu, Exploratio & dissectio corporis arborei in sua sigillatim membra & parteis. Vbi de earum officijs, nutritione, succis, humoribus, & alijs.*

APVD omneîs omniũ gentium & linguarum Philosophos pro concesso & confesso habetur, Deum Opt. Maxi. ancillantemq́; ei Naturam, nihil vnquam frustra fecisse: dedisseque rebus omnibus parteîs & membra, quę illis ad vsum essent necessaria. Hinc stirpium generi vniuerso radices, velut fundamenta quædam, iecit: vt ijs quasi pedibus (sic enim loquitur Plinius) subsisterent ac firmarentur. Quibus caudicem, vel, si mauis, truncum superposuit: ramisq́; quasi brachijs rursus illum diffudit: & ex his caules ac surculos elicuit, veluti manus & digitos: eorumque alios fructu donauit, alios fronde sola & folijs vestiuit: quibusdam genitalia membra dedit conceptu & fœtu suo tempore grauida: plerisque verò alijs, vmbracula duntaxat & tegmina præscripsit ad tutandos, protegendosque partus: & ob id fructibus priuauit. Arboreis itaque surculis & cauliculis genitalis sedes assignatur. Quòd si nonnun-

Arboribus datas esse radices pro pedibus

Truncus.

Rami.

Surculi.

quam à partu cessent, non tamen vt orbi & steriles à fertilium choro sunt explodendi. His omnibus corticem, ceu cutem quandam apposuit: cui humor subest, qui sanguis intelligi debet, omnia alens, vegetans & sustinens, vnde etiam arboris caro coalescit, cortici proxima: cui venæ insunt per caules & surculos ad folia vsque perreptantes. Subest itaque humor quidam nutritius, ceu sanguis quispiam & saliua, non solùm arborum cortici, verumetiam partibus reliquis: sed non idem omnibus: lacteus etenim ficis inest, ad coagulandos caseos non inutilis cerasis: gummosus: vlmis saliuosus: malis lentus ac pinguis: vitibus, pyris, aquosus: & ita de alijs: sed viuaciores sunt arbores quibus lentior subest humor. Insunt & succis arborũ quarundã adipes: qui à colore albo Alburnum vocantur: mollis ac pessima pars arboreæ carnis: nam facile putrescit, & teredinibus obnoxia esse solet. Ex quo velut marcori patens, in lignis ad ædificandũ repositis excludi & reseca ri debet, ne pars sincera trahatur in vitium & cor ruptelam. Arboribus nonnullis pulpa tenui constat stamine, absq; venis: & huiusmodi arbores fissiles maximè traduntur: quibus nõ adest, frangi, quàm scindi aptiores sunt: vt in olea & vite experimur. Quæ recto neruorũ stamine seu filamento coaluerunt, quòd frangentẽ præ cęteris violentiam respuant, vinculis fascium dicari solent. Hinc nimirum, genistæ, coryli, vlmi, betulæ, & populi rami, aliarumque arborum quarundam, ad id præcipua dos. Subtument & glandia, nonnullarum arborum carni, perinde atq; in corporibus humanis, quodam callo carnis in se conuoluto. Nunc de medulla paucis agendum, quæ latet in singu-

Cortex, Humor. Caro. Venę. Arborũ humores varij. Alburnum velut adeps. Pulpa. Nerui. Glandia. Medulla.

ſingularum arboris partium meditullio, vt in ſolidis animantium partibus. Sed inter ſe diſcrepāt arbores in hac medulla: quibuſdam enim carnoſa ſubeſt, vt fico, ſambuco, & alijs: quæ ob id fungoſi generis exiſtimantur: Alijs, lignoſa ſentitur, vt larici, abieti, pino & ſimilibus. His vtcumque elucidatis, nunc demum ad nutritionem calamū in hunc conuerto modum. Si omne quod adoleſcit, augeturque, alimētum capit, & illud caloris attrahentis & concoquentis beneficio ſibi comparat, neceſſum eſt, arbores caloris principium aliquod habere: quo ſuis radicibus alimentum ex nutritio terræ ſinu, ceu ab altricis vberibus confectum, ſugant & hauriant. Nam terra perinde atque vbere vtuntur: vnde ſuccus alendis partibus diſpenſatur, qui ſeminibus ad educandam nouam ſobolem conſpirat. Sic autem procedit educatio. Radices maiores & craſsiores proximo & illibato terræ ſucco primùm aluntur: tum demum minores, ceu capillares quædam venæ ex maioribus obortæ: dein, reſiduum ad truncum & illius parteîs excurrit ac tranſmittitur, donec ad ſummum & vltimum vſque ſurculum ac folium iugi tranſmeatione & miniſtratione peruentum ſit. Naturali enim vi ac facultate nutrimentum per trunci medullam, ceu per canalem & ſyphunculum, cæcis quibuſdam meatibus, ad ſummum vſque & extremum germen, floſculum, fructum, ramulum & foliolum vndiquaque diſtribuitur. Quò cùm peruenerit, ibi conſiſtit & abſumitur: vnde tam multa in ramorum capitibus germina. Quòd ſi veluti redundans ad crura radicibus vicina reflectatur & remigret alimentum ipſum, multos ibidem ſtolones edit: humo

Arborū calor ingenitus.

Modus educationis arborum.

Germina.

Stolones.

re nutritio illuc conuerſo, & à partibus ſuperioribus remiſſo. In his paucis, præcipua conſiſtit arborei corporis anatome, & explicata in ſuas parteis diſſectio à capite ad calcem: vel ſi mauis, à cacumine ſummo, ad imas radices, tam maiores quàm minores. Quarum ſtatum & implantationem quoties de aſpectu, vel cogitatione mihi propono, toties beneficentiſſimi Dei bonitatem inenarrabilem, & ſapientiam incomparabilem demiror ac ſuſpicio: qui tantam radicibus illis, & his infixis capillamentis ac fibris facultatem elargitur, vt citra vllum auxilium, prodigioſam lignorum molem (cui vehendæ vel centum quãdoque inſtructiſſima plauſtra vix ſuſficiãt) tamque numeroſam fructuum multitudinem (quæ vel nauiculam alicubi onerare poſſit) non dicam ſuſtineant, ſed aſſidua elementi ſubminiſtratione, etiam in arido plerunque cœlo & ſolo, pluribus ſeculis atque ætatibus alant: ac tam vberem, vt diximus, ligni & fructuum copiam ſuppeditent, vt non ſolùm ad hominum vſum multiplicem, vel annis quamplurimis ſufficiat: quin imò multorum quoque animalium & volucrũ pabulum etiam ptoferat. In quam rem, ne per varias arborum claſſeis inſolenter noſtra vagetur oratio, Nucem arborem, vel Quercum de multis pro ex emplo adferam. Quæ in tantam altitudinem, & vſqueadeò vaſtam, vmbriferamque amplitudinem, quandoque ſpaciatur, excreſcit, & dilatatur, vt ſub ea, vel Alexander ille Magnus, gentium terror quondam nuncupatus, cũ numeroſo exercitu ſuo, facilè caſtrametari poſſit. Quam vaſtitatem & ſummè admirandam molem, fructuumq; inexplicabilem copiam, quis

alit?

Dei ſapientiam & bonitatem in rebus omnibus elucere.

Pulchra philoſophia.

De Nuce & Quercu notanda.

alit? quis immensum illud corpus sustinet? quis radices fulcit ac firmat aduersus violentissimam ventorum rabiem & horrifica fulmina, quæ vel prodigiosas turres funditus euertunt, & solo adæquant? vnus sanè est Deus Optimus Maximus, qui mirabilia facit solus, quæcunque sunt in cœlo, aëre, terra, mari, & profundis abyssi: cui honor, & gloria in omne æuum.

Deũ om- firmare & sustinere.

DE HOMINIS SYMMETRIA, PROPORTIONE ET COMmensuratione.

ANTONIVS MIZALDVS LECTORI.

NE hîc paginas aliquot inanes & suo fructu viduas ac steriles, ceu Prętoris album, videres, pretium operæ facturum me putaui, si eas, absolutis Hortensibus, alia memorabili doctrina quapiam replerem, & in tuam gratiam illustrarem. Ea itaque esto de Hominis symmetria & mensura admirabili: vt noscat vnusquisque suum corpus aliud nihil esse, quàm Harmonicum quoddam instrumentum omnibus suis numeris absolutissimum.

Imprimis itaque cogitandum tibi proponimus,

mus, quod ſolers Natura ita hominẽ formauit, vt eius faciem ſummo loco ſpectandam proponeret, quò cæteræ totius corporis partes ſuum commenſum & dimenſionem inde ſuſciperent. Conſtet autem ea tribus dimenſionibus. Vna, à ſummo frontis qua capilli naſcuntur ad intercilia: Altera, hinc ad imas nareis. Vltima, à naribus ad mentum. Hę autem per ſe multiplicatæ, vt volunt, integram, quanta erit, humani corporis ſtaturam reddent in nouem portiones diſtributam.

Faciei dimẽſiones tres.

Prima erit facies ipſa: Secundam conſtituet pectus, à clauiculis ad ſternum, ſeu ſummum ſtomachum. Tertia erit ab hoc ad vmbilicum. Quarta, ab vmbilico ad femur ſummum. Quintam & ſextam, coxendices ad poplitem complebunt. Septimam & octauam, à poplite ad talos. Nonam, ab his ad extremos pedum articulos. Conſtabit itaq; humani corporis longitudo, vt dictum eſt, partibus nouem: quanquam alij octo, alij, quod rarius eſt, ſeptem fecerint. Quod de adulto viro hîc intelligendum cenſemus: non de infantibus: quorum in longitudinem menſura omnis, quatuor conſtare faciebus perhibetur.

Staturæ humanæ portiones nouem.

Conſideranda & ipſa inter ſe partium ἀναλογία, quam alibi proportionem, hîc, ni fallor, commẽſum propriè dixerimus.

Analogia ſingulorum mẽbrorum corporis in longitudinẽ.

Quanta eſt longitudo ab intercilijs ad ſummas nares, tanta erit productio menti à iugulo. Quanta à ſummis naribus ad mentum, tanta à iugulo ad imam gulam: hoc eſt ſemiportione. Quantum eſt ſuperioris labri interuallum ab ore hinc ad nareis imas, tantũdem erit ſummarum narium prominentia à labro: tandundemq; & oculorũ ab intercilijs cõcauitas ad interiores angulos. Preterea in ma-

in manibus quod eſt extrinſecus à ſummo vngue indicis, ad iuncturam hinc imam, continebitur ſemiportione. Ac rurſus hinc ad eã quæ brachio colligatur manus, alia. Sic & intrinſecus à ſummo vngue medio. Primus autem indicis articulus maior, fronti correſpondebit. Secundus ad extremum vnguis, naſo. Primus item medij, huic quod eſt à naribus ad mentum. Eiuſdem ſecundus, huic quod eſt ab imo mento ad inferioris labij ſupremum: & rurſus vngularis eiuſdem articulus, huic quod eſt ab ore ad inferiora narium. Et indicis eodem, à ſupremo labri ſuperioris. Maior pollicis articulus coæquabitur huic quod eſt à mento ad ſummum labij inferioris. Minor huic quod eſt à nare, ad idem. Vnguium autem articulorum omnium, dimidiatam ſibi partem occupabunt vngues ipſi.

Commenſuratio ſingulorum membrorum corporis in latitudinem.

Frons in latitudinem à media linea quã diſcriminatricem appellant, hinc inde ad prima tempora ſua bis definietur longitudine. Ab intercilijs ad extremos oculorum angulos, atq; hinc ad primas aureis, harumq; longitudo tãtundem. Id verò ſpatium quod eſt inter vtramq; extremitatem oculorum, ex duabus ijſdem dimenſionibus in tres partes diſtinctum, duas oculi, vnam ſibi intermedius naſus vendicabit. Oris latitudo, ſi per ſummum labij metiatur, reſpondebit fronti, naſóve: ſin circino, illi ſpatio quod eſt pollicis articulo maiore definitum, à labro ſuperiore ad mentum. Pectoris latitudo faciebus continetur duabus: Palmaris autem, plantariſq; latitudo, definiri ſemper inuenietur ſemiportione. Spatium inter vtramq; mammillam vna facie continetur: carúmque certus ſitus ab inferiore gula, eodem

dimensus circino deprehendetur.

Mẽsura singularũ corporis partiũ in altitudinem.

In altitudinem verò mensura qua sola circunlatione comprehẽditur, ex supra dictis hoc modo capietur. Capitis per mediam frontem altitudo, portionum est trium: item & summæ coxendicis. Per occipitium à summa fronte ad ceruicẽ, duarum: itemq́ue et infimæ coxendicis. Colli duarum: Pectoris per alas ad tergum, quinque: Ventris per medium, quatuor. Lacertorũ, coxarum, crurum, pollicis, cæterorumq́ue articulorum summa circunferentia, nunquã plus longitudine eorundem membrorum continet. Extremum brachij propter iuncturas manuum, portione, propter nodum tibiæ, etiam quarta. Altitudo autem hæc quæ est ab imo talorum ad summum pedis, respondebit longitudini, quæ est isthinc à summo pedis ad extremum vnguem. Colli circulatio ei parti respondet portione, quæ est à summo pede ad vmbilicum. Sed de his satis. Quæ ex Pomponio Gaurico, ferè ad verbum tibi trãscripsimus: obscura sic satis: fruere, si potes, & fœliciter vale.

FINIS.

DIO-

DIOCLIS CARYSTII MEDICI, AB HIPPOCRATE *FAMA ET AETATE SECVNDI,* aurea ad Antigonum Regem Epiſtola, de morborum præſagijs, & eorundem extemporaneis remedijs, per Hortenſia.

ADHAEC,

ARNALDI A VILLA NOVA MEDICI præſtantiſsimi Conſilium ad Regem Aragonum, de ſalubri hortenſium vſu.

ANTONII MIZALDI MONLVCIANI, Medici, cura & diligentia.

PRVDENTISSIMO ET INTEGERRIMO VIRO PETRO SEGVIER in Pariſienſi principe Galliarum Senatu Præſidi ANT. MIZALDVS. S.

LAudabile equidem & præclarum ſemper exiſtimaui, Præſes ornatiſsime, mortales rebus ad vitæ cultum, vſum & mores pertinentibus adiuuare, & iure iuſtitiaq; eoſdem prudēter regere, vt cuique quod ſuum eſt ex æquo & bono, tribuatur: Sed non minus etiā laudabile ac præclarū eſſe duxi, adfuturos morbos mortalibus præſagire, inſtantes præcauere, præſentes circunſpectè curare, & ſanitatis cōſeruationem [qua abſente lan-

languent omnia] salubriter docere. Cùm itaq; in his tribus & apertè, & breuiter, Hippocratico more, versari animaduerterem, in hac ad Antigonum Asiæ Regem aurea Epistola, Dioclem Carystium, fama & ętate, vt scribit Plinius, ab Hippocrate secundum, & toties à Claudio Galeno in testimonium accersitum, ac magnificè laudatum: precium operæ factur ũ me putaui, si eum è Græcia in Latium haud ita pridem deportatum, publicæ vtilitati proponerem, vt cariosæ vetustatis manus effugeret: quod temerè factum esse nemo, opinor, iudicabit. Nam quid, per Deos immortales, præstantius esse potest in hoc vitæ & temporis lubrico & præcipiti curriculo, quàm priscorum inuenta, multo sudore, labore & vigilijs parta, candidè posteritati impertire? ne, vt diximus, rerum edax tempus, & inuidia pretiosorum operum rapacissima, obliuioque infida memorię nouerca, & artium, scientiarumq; deprædatrix insidiosa, illa eripiat, aboleat & miserè sepeliat. Ne itaq; in tantum discrimen veniret Diocles Carystius, illum è tenebris in apertá lucem deducere, & à somno plus quàm Epimenidis longo, nimirum huc vsq; 1882. annorũ, vel circiter, excitare non sum cunctatus, magno, mehercule, sanorum & ęgrorum commodo. Nam præter quàm quòd morborum partium corporis principum præsagia & signa breuiter proponit, vnà cum illorum curatione, mira etiam auxilia non solùm inuentu, sed & absq; impendio paratu facilia, ibidem præscribit. Quæ, ecquid aliud, amabò, ob oculos ponunt, quàm priscam illam, & omnium primam, cùm Græcorum tum Latinorum, medicinã & medendi artem? Quæ, vt simplex erat, quia hortensis & campestris [ne longiùs eundum esset] ita absque vllo fuco, vlla arte, nausea & tędio, suauis habebatur, & vrbanis ęquè ac rusticis admodum grata & vtilis. Cuius rei si quis à me antiquissimum testem exigit, ego statim de multis illi producam Marcum illum Catonem, triumpho, censura, & literarum claritate insignem. Qui, vt Plinius tradit, herbis quas plantauerat, & maximè hortensi brassica, se, coniugem, filium, necnõ libertos ad longæuã sene-

senectutem incolumes perduxit. Fuit igitur olim, vel amplissimo Senecæ testimonio, medicina paucarum herbarum scientia. Sed posteà fraudes hominum, vt ille idem scribit Plinius, & ingeniorum capturæ officinas inuenere istas, in quibus sua cuique homini venalis promittitur vita, & compositiones ac misturæ inexplicabiles decantantur, quæ solis hominum ingenijs constant. Non enim fecit cerata, malagmata, emplastra, collyria, antidota, vt verbis vtar Plinij, parens illa, ac diuina rerum artifex Natura: officinarum hæc, imò verò auaritiæ, commēta sunt.

Sed de istis paucula hæc satis erunt, ne cum Plinio benè dicendo, apud multos cum Plinio malè audiam: nā vt obsequium amicos, ita veritas odium sæpenumero parit. Ad te itaque, Præses integerrime, nostra se cōuertet oratio: à quo supplex peto, vt, exporrecta fronte, & pro solito candore tuo, placide, præstantissimum & antiquissimum hunc Dioclem medicum, vnà cum suo collega Arnaldo à Villa noua, medico itidē clarissimo [quem paulò tersiùs loqui facimus, quàm illius ferebant tempora] hospitio tuo excipere digneris: id nequaquam gratis facturus. Nā hic sanitatem tuam salubri hortensium vsu prosperè tuebitur: ille, morbos ingruentes, certis signis & præsagijs, ceu digito, indicabit, & si aderunt, suauibus remedijs & paratu facillimis, citò, tutò, ac iucūdè propulsabit. Vterque suum Opusculum Regibus scripsit & deuouit: ego meam in vtroque operam, tibi summo viro & Præsidi inculpatissimo, qui mihi Regis instar haberis [si quidem verum id est quod Homerus scripsit,

Qui rectè faciet, non qui dominatur, erit rex)

officiosissimè offero, & ex animo deuoueo: Eia itaque, vbi à grauibus Senatus occupationibus, & priuatis negotijs tibi respirare dabitur,

Sesquihoram scriptis illorum impende, sed hora
Sufficit: hoc nimium? subtrahe dimidium.

Verùm enimuerò, hic ingens pectus meum subit cura, ne ea quæ tibi dicamus præclaro tuo nomini parum respon-

deant:

deant: Sed me in eo solatur, audacioremque reddit Plinius, tradens multas gentes Dijs lacte sacrificare: ad hæc, mola salsa litare qui thura non habent.

Addo quòd & Diuis supremos inter honores,
Cespes, & exigui placuerunt farra coloni.

quemadmodum scribit Statius. Malè præterea me torquet, quòd tam vili munusculo, sublimitatem tuam salutem: Sed rursus hunc mihi scrupulum adimit magni Artaxersis Persarum Regis, præclarus & solennis modus, quo animos sibi donantium munera, quátumuis exigua, potiùs expendebat, quàm munera ipsa. Quæ magnitudine & corporis mole non semper æstimanda esse,

Certò adamas, gemmæquе docent: nam corpore paruo
Oblectant Reges, diuitibusq; placent.

Verùm hæc satis, vel fortasse plura quàm oportuerit, præsertim apud occupatißimum Præsidem: Cuius laudes, pro mea tenuitate, sanè quam libenter hîc percurrerem, nisi re vera scirem, laudanda alacriùs facere, quàm facta audire. Cùm itaque id mihi tua modestia negatum sit, Præses prudentißime, ego interim Deum Opt. Max. qua potero sedulitate supplex precabor, vt & te, & præstantißimum Parisiensium Proprætorem filium tuum, Reipublicæ imprimis, deinde literis & literatis omnibus incolumes diu custodire dignetur. Lutetiæ, Idibus Septembris, 1572.

DIOCLIS CARYSTII MEDICI AB HIPPOCRATE FAMA ET ætate ſecundi, aurea ad Antigonum Aſiæ Regem Epiſtola, è Græco Latinè reddita, de morborum præſagijs, & eorundem extemporaneis auxilijs per hortenſia, ANTONII MIZALDI medici diligentia.

DIOCLES ANTIGONO REGI BENE AGERE.

QVONIAM ſumma tibi inter omnes Reges, ANTIGONE, *cõparata eſt eruditio, & iam ſenilis procedit ætas, vniuerſæq́ philoſophiæ ac mathematicarum nõ vulgaris tribuitur cognitio, quibus ſingulis clariſsimus haberis, & palmã alijs longè præripis: Ego regiam quoque & familiarem tibi eſſe debere exiſtimans, eam philoſophiæ partem quæ ad tuẽdam ſanitatem pertinet, idcirco tuæ Maieſtati hac noſtra Epiſtola paucis complecti volui, vnde nam infirmitates hominibus contingant: & quibus indicijs præcedentibus augurentur, quibúſue præſidijs opportunè eis proſpiciatur. Quemadmodum enim ſigna quædam minimè obſcura, cœli tempeſtatem ferè ſemper præueniunt, quibus nautæ, & alij rerum naturæ periti, quid faciendum ſit vt tutiores euadant facilè colligunt: ſic nullus præter natu-*

Antigoni Regis eruditio non vulgaris.

Similitudo ſanè quàm appoſita.

naturam affectus homines corripit, nisi certis præcurrentibus signis ille indicatus fuerit. Tu itaque nostris ea de re præceptiunculis admonitus, illas obuijs vlnis excipere & ad vnguem obseruare minimè dedignaberis.

Corporis partes quatuor.

Distribuimus humanum corpus in partes quatuor, Caput, Thoracem, Ventrem, & Vesicam.

CAPVT I.

Præsagia instantiũ morborum capitis.

Remedia morborum capitis.

Semisextarius vnciæ decem.

Cautela notatu digna.

Accidentia ex neglectis remedijs capitis.

CVM itaque morbus quispiam caput præhensurus est, certa præsagia & signa illum magna ex parte solẽt prædicere. Cuiusmodi sunt capitis ad supercilia vsq; grauitas, aurium murmurans sonitus, & temporum pulsatio. Manè lachrimantur oculi & caligant: hebetatur odoratus, ac gingiuæ intumescunt. Itaque dum eiusmodi præsagiorum & signorum quidpiam animaduerteris, caput confestim repurgandum esse iudicato: nullis, inquam, phramacorum præsidijs, verùm, sumptis hyssopi, vel origani summitatibus tritis, & in ollula ebullitis cum passo, vel iuris semisextario, quibus os ieiunum collues, & quoad pituita educatur gargarizabis. Hoc sanè morborum capitis facillimum est remedium. Saluberrimum quoque fuerit, decocto sinapi, in aqua mulsa & calente præmacerati, ieiunum os itidem colluere, & gargarizando humorem è capite deducere. Oportet autem caput ipsum antea perblandè fricare, & tegumẽto quopiam calfacere: vt liquefacta pituita sublato obstaculo, meliùs fluere posſit. Quisquis præuisa signa & posita remedia neglexerit, se morbis istis opportunũ fore certò sciat: nempe ophthalmiæ, glau-

glaucomati, aurium dolori, ſtrumis in ceruice, tabi cerebri & σφακελισμῷ, coryzæ, raucedini, anginæ nocturnę, lapſui vuulę, capillorum defluuio, vlcuſculis capitis & dentium cruciatui.

THORAX.

QVando verò mali quidpiam thorax paſſurus eſt, his præſagitur & pręſignificatur notis. Sudor quidam per corpus vndique diffluit: ſed omnium maximè ad thoracis regionẽ. Lingua craſſeſcit, & ſalſa, amara, aut bilioſa exſpuuntur: ſpontanei dolores in lateribus & ſcapulis citra manifeſtam cauſam oboriuntur: oſcitationes crebræ fiunt, vigiliæ fatigant, vrgent ſuffocationes, ſitis adeſt, & ex ſomno labor & animi anxietas, infeſtant pectoris anguſtiæ, & brachiorum laſsitudo, ac manuũ tremula affectio. Quibus nec malè, nec imprudenter ad hunc ſuccurritur modum. Imprimis vomitus haudquaquam crapuloſus, à cœna, quoad eius fieri poteſt, proritandus eſt ac mouendus: ſed abſque medicamento. Proſunt etiam vomitus ante paſtum matutini, & ieiuni, à Græcis συρμαισμοὶ nuncupati. Quibus igitur hoc pacto vomere placuerit, radiculas tenues, ſeu raphanos, naſturtium, erucam, ſinapi, aut portulacam deuoret, deinde aqua tepida affatim hauſta vomat. Qui dicta præſagia & præſidia negligendo prætermiſerint, hos metuant affectus, pleuritidem, peripneumoniam, melancholiam, febres acutas, phrenetidẽ, veternum, & cum ſingultu faucium ardorem & phlegmonem.

Signa morborum thoraci impendentium.

Remedia morborum thoracis.

Vomitoriũ paratu facillimum.

Incommoda ex neglectis præſidijs thoracis.

VENTER.

Indicia futurorũ ventris morborum.

SI quis autem morbus ventrem inuasurus est, his detegitur indicijs. Venter in primis conuoluitur, obmurmurat & perturbatur: esculenta cum poculentis amarorem præ se ferunt: genuum adest grauitas, spinæ & lumborum rigor inflexibilis, cum vniuersi corporis lassitudine, citra manifestã causam. Vbi hæc signa obseruas, venter, nullo quidẽ medicamento, sed victus ratione emolliendus ac lubricãdus est. Nam & meliùs & longè tutiùs est ijs vti, quibus non facilè potest delinqui. Ex horum classe & numero sunt beta aqua mulsa incocta, allia elixa, malua, rumex, mercurialis, & omnia melle condîta: cuncta enim hæc alui excrementa clementer ac benignè deijciunt. Quòd si præsagiorum quodpiam magis atq; magis intẽdatur, cnici seu cartami liquorem omnibus decoctis infundes: nã is & suauior & tutior est. Vtilis etiam fuerit læuis brassica, multa aqua elixata. Huius etenim iusculum heminæ dimidiæ seu vnciarum quinq; mẽsura cum melle & sale haustum, summè iuuabit: perinde atque cicerum decoctum ieiuno stomacho eadẽ mensura potum: nam eundem habet effectum. Hæc signa & auxilia paruipendentibus affectiones istæ sæpenumerò succedere solent: diarrhœa, disenteria, lienteria, voluulus, coxarius morbus seu ischias, tertiana febris, podagra, apoplexia, hæmorrhoides, & articularis cruciatus.

Remedia morborum ventris per illius lubricationem.

Aluum blãdè & facile soluentia.

Quæ sequũtur neglectã ventris curationem.

VESICA.

Signa morborum vesi-

QVando autem vesicæ mali aliquid imminet, his indicijs dignoscitur. Post exiguũ cibum plenitudo infestare deprehenditur: oboriun-

riũtur flatus & inflationes, ructus & pallor vniuersi corporis. Somni adsunt graues, vrinæ tenues, aquosæ & ægerrimè stillantes, necnon circa pudenda bubones, vel œdemata. Vbi sese proferent eiusmodi signa & presagia, auxilijs lotia impellentibus & promouentibus, opportunè succurrendum erit. Id quod sine periculo præstabũt apij & fœniculi radices, in vino albo, tenui & odorato, maceratæ & decoctæ: modò cyathi duo iusculi, seu vnciæ tres, quotidie exhibeãtur: manè nimirum & vesperi, cum aqua dauci, smirnij, vel enulæ campanæ: quodcunq; horum ad manũ fuerit, nam æquè singula prosunt. Cicerum quoque præmaceratorum & coctorum aquam, si cũ vino biberit ægrotans, idem prorsus consequetur. Qui verò scripta signa & auxilia imprudenter neglexerit, à sequentibus morbis sibi metuat: nimirum ab hydrope, lienis tumore, hepatis dolore, lithiasi, nephritide, stranguria, colico cruciatu, & torminibus. Cæterùm, in omnibus signis & malis quæ hactenus proposuimus, infantibus quidem & iunioribus, clementiora medicamenta, grandioribus verò, & natu maioribus, validiora ac efficaciora exhibere conueniet.

cæ propinquantium.

Auxilia affectuũ vesicæ.

Incommoda sequẽtia neglectam curationẽ vesicæ affectæ.

Aduertenda & notanda.

ADMONITIO.

Svnt in Græco exemplari (cuius paraphrastem veriùs quàm interpretẽ me præstiti) alia aliquot hîc omissa, de seruãda victus ratione per quatuor anni cardines & tempestates. Quæ, quia parũ congruere nouimus ad hanc septentrionalis cœli & soli nostri inclinationem & clima, idcirco hîc omittere nobis visum fuit.

Cur autor ad finẽ græci exemplaris scripta quædam consultò omiserit.

DE SYRMAISMO, ET RATIONE purgandi per vomitum, ex Aegyptiorum inuento & formula.

QVia in ſuperiore Epiſtola ad Antigonum Regẽ, Diocles medicus doctrina & antiquitate celebris, Syrmaiſmi mentionẽ facit in morbis thoracis, quædam ex Ioanne Langio medico & philoſopho præſtantiſsimo in medium de Syrmaiſmo producam.

PLutarchus autor grauiſsimus, in Dialogo cui titulus, Quòd bruta ratione vtantur, Gryllum quẽdam ad hunc modũ loquentem introducit, τοὺς μὲν γὰρ Αἰγυπτίους πάντας ἰατροὺς ἀκούομεν εἶναι. quod eſt, Audimus quidẽ Aegyptios omnes medicos eſſe: Nempe qui in omni philoſophia & magiæ naturalis ſapiẽtia & vetuſtate omnes vniuerſi orbis incolas longè ſuperarunt. Qua primi non herbarum modò & radicum, gemmarum, aſtrorum, &, vt verbo dicam, omnium terræ naſcentium vires, ſed etiam rerum cœleſtium, diuinarumq́ꝫ cauſas, & præcipuè morborum, omni ſolertia ſcrutati ſunt. Nec temerè, quid enim prodeſt ægrotis medicus, vt tradit Polybius, qui effectuum corporis cauſas ignorat? nihil ſanè. Proinde cùm Ariſtoteles graui morbo decumberet, medico ſuo multa vetanti, & nõ pauca citra morbi cauſam edicenti, ſcitè, atq́ꝫ eleganter fertur reſpõdiſſe: Ne me cures vt bubulcum, vel foſſorẽ, ſed priùs morbi cauſam ediſſere, ſic me pręceptis tuis morigerũ facilè reddideris. Sed, vt ad Aegyptios redeamus, illi, Diodoro Siculo autore, aſſerunt ex cibariorum luxu & crapula omnes oriri

Vide Platonem in Timæo, & Euſebium de præparatione euangelica.

Polybius libro ſecundo & tertio hiſtoriæ. Et Aelianus lib. 9. cap. 23.

Lib. 2. ſuę Bibliyothecæ.

oriri morbos. Eos igitur ieiunio, aut vomitu, idq; quotidie, vel tribus aut quatuor interiectis diebus, inanitione, vt Hippocrates quoq; edixit, curare oportere. Id quod Herodotus quoque in Euterpe affirmat: apud Aegyptios, inquit, adeò erat frequens vſus clyſterum, vt quouis menſe triduò ſe purgarent vomendo, & inteſtina ſanitatis ergo clyſmate eluendo. Quod ab Ibide volucri Ciconiæ ſimillima, et à canibus didicerant: qui vt Claudius Aelianus tradit, dum lumbricis infeſtantur, ſegetem herbeſcentem depaſti eos egerunt: cùm verò alterum vẽtrem exonerare volunt, herbam quandam gramini canario ſimilem arrodere dicũtur: cuius viribus partim vomendo, partim per aluum bilem ęruginoſam et quicquid in vtroque eorum ventre redundat exonerant maximo eorum commodo. Vnde etiam Aegyptios Syrmaiſmum, quo canes vtrumq; ventrem expurgant, didiciſſe, idem Aelianus refert: & ob id beneficium, Canes ſub Anubis nomine adorarunt. Cùm igitur Aegyptus non tantùm nili effluuio, ſed præclaris etiam philoſophorũ, quos magos dicunt, & medicorum quoque ingenijs fœcunda, per totum terrarum orbem celebraretur, ad illius arcana doctrinæ & ſapientiæ præcepta capeſſenda, Democritus Abderita, Pythagoras & Plato in Aegyptum appulerunt, & Aegyptiorum dogmata in Latium, aut, ſi mauis veterem Græciam attulerunt. At Democritus Chaldæos etiam inuiſit, & Babylonem ingreſſus magos, & poſtea Indorum gymnoſophiſtas ſalutauit: A quibus ſapientiæ, medicinæ, & rerum occultarum theſauris onuſtus, tandem in Græciam redijt, & Hippocratẽ, cum quo diu familia-

Aphoriſmo 22. ſectionis ſecundę.

Aelianus libro 5. cap. 46. & lib. 8. cap. 9. de animalibus.

Vide Herodotum & Diodorum.

Lege Euſebium lib. 10. cap. 2. & Cic. li. 5. de finib.

riter vixit, præter alia multa, Syrmaiſmũ Aegyptiorum, vt par eſt credere, docuit. Cuius vſum ille idem Hippocrates in curatione fracturæ aurium his verbis comprobat, ἢν δὲ καὶ εὐήμετος ᾖ, ἐμέειν ἀπὸ συρμαισμοῦ, id eſt. Si patiens ad vomendum pronus fuerit, vomere illũ â ſyrmaiſmo finito: taliter enim, inquit Galenus, leues & mediocres alui deiectiones, vel euacuationes per vomitum veteres appellarunt: quas varijs proritabãt pharmacis: Nẽpe melle affatim deglutito, aqua mulſa meraciore, ſucco ptiſanæ ex aqua per ſe, vel cum melle decocto: & ijs efficacioribus, ſurculis veratri albi in raphanũ defixis: vel raphanis ſolis poſtero die ex aceto mulſo comeſtis: nec verò tantũ lentoris habet, quãtùm raphani ſuccus, aut bulborum narciſsi, qui vomitũ quoq; prolicit. Non temerè igitur Diocles Antigonum regem admonet, vt ægritudines thoracis imminentes, ſyrmaiſmo præueniat. Quod attinet ad ſyrmaiſmi etymum, ἀπὸ τοῦ συρμαΐζειν deduci videtur, quod, autore Suida, purgare per vomitum & aluum ſignificat, & pharmacum, quod id operatur, συρμαίαν dixerunt. Sed de ſyrmaiſmo, & purgatione per vomitum hæc in præſentiarum ſatis erunt.

Hippocrates lib. 2. de articul. & Galenus ibidem.

Vide Comment. Gal. de fract. oſſiũ, & Paul. Aegi.

Lege in Lexico Suidæ & Phauorini.

ARNAL-

ARNALDI A VILLA-NOVA, MEDICI PRAESTANTISSIMI, Consilium ad Regem Aragonum de salubri hortensium vsu.

De salubri vsu Olerum.

OLeris nomine hîc intelligimus, plãtas eas, quę in vsum coquinæ veniunt, vt ex illis parentur iuscula, fercula, cõdimenta & similia, siue sint herbæ, vt caules, lactucæ, spinacea, betę, & alię: siue fructus plãtarum, vt cucurbitæ, cucumeres, cinaræ, melones, et huius plumæ alij: siue radices esculentæ, vt cepę, porra, raphania, llia, et similes. Imprimis itaque moneberis, quòd temperato corpori & euchyno oleribus vesci non expedit, præsertim crudis, lactuca & portulaca exceptis. Quibus per æstus & calores immodicos, mediocriter vti conceditur, ad placandum & temperandum sanguinis, ventriculi & hepatis incendium. Quo tempore, ante alia fercula, ex pauco aceto rosacea aqua defracto, sumi possunt. Sed amaræ lactucæ ijs maximè vitari debent, quorum corpora calido temperamento sunt prædita. Borrago & buglossum domesticum, omni tempore congruunt, propter temperatam eorum facultatem:

Quid hîc per olus intelligẽdum.

Cruda olera corporibus temperatis noxia.

Borrago & buglossum quibus congruant.

ſed his imprimis quorum aluus pigra eſſe ſolet. Nec ineptè fiet, ſi ad tollendam illorum aſperitatem, nonnihil tenerrimorum ſpinaceorum, vel blitorum, ſed nequaquam rubeſcentium, vnà decoxeris : & ſi æſtas aderit, lactucam adieceris, vel portulacam, aut atriplicem, vel betam: Si verò hyems vigebit, naſturtium, petroſelinum, vel pauca menthæ folia aut alborũ caulium cymas & oculos. Spinacea & bliti, quia temperamento inuicẽ propinquant, mixtim vel ſeparatim ſumi poſſunt, qualibet anni parte, modò quæ tempori congruent, illis adiungantur: vt æſtate, lactuca dulcis, portulaca, atriplex, & cucurbita: hyeme, naſturtium, vrtica tenera, petroſelinum, caules rubri, aut criſpi virides. Albi caules quorum latæ ſunt coſtæ & brachia cum leni folio, vtiliter ſumuntur æſtate & autumno, ſi in arido ſolo & vmbroſo loco educati fuerint: ſed omnium maximè eorum ſummitates & tenerrima capitula probantur, abiectis magnis & latis folijs. Aſparagorum teneritas præbullita verno tempore locum habere poteſt. Verumenimuerò, in horum omnium vſu tria obſeruare conuenit. Primùm, vt reijciantur quæuis olera, dum ad florem feſtinant. Alterum, ne cum lacte animalium condiantur: nam ita immodico vapore, calida corpora & temperata offendunt. Itaque in carnium, & omnium maximè gallinacearũ iuſculo, vel cum amygdalino lacte, aut oleo dulci & recenti, perappoſitè ac ſalubriter condientur. Quod attinet ad cucurbitas, ſatagendũ erit, vt pro animaliũ lacte, amygdalinũ illis adhibeas, ne renibus & veſicæ noceant. Nec inſalubre erit, comites eis etiam dare albas & rotundas cepas, ne inteſtinis quidpiam

Spinacea & Bliti, cum illorum vſu.

Caules albi.

Aſparagi.

Tria ſummè obſeruanda in olerũ vſu.

Cucurbitæ.

piam

piam detrimenti adferant: adhæc pulueri cinnamomi conspergere, ne ventriculo officiant. Tertium in vsu olerum obseruandum id esto, vt ante alia fercula sumantur, exceptis caulibus, qui sub finem mensæ locum habere possunt, ob quandam stipticitatem, vt ita dicam, & nitrositatem, qua sunt præditi, maximè crispi, virides, ac rubri. Si autem exclusa eorum substantia, solum iusculũ haurire perplacuerit, omnium primũ, hoc est paulò ante cibos alios, agendum id erit: ob manifestam laxandi & aperiendi facultatem qua pollet. Quod si vtrumque vnà sumere visum fuerit, nimirum & iusculum & caulium carnem, sedulò obseruabis, ne ventriculo negocium facessas, & ciborum coctionem præpedias, ob contrarias facultates. Expedit itaque ad id incommodi depulsionem, vt ante præscriptam eorum condituram & coctionem præbulliant: aut aqua feruens ante cocturam illis aliquoties superfundatur: vel ex ijs iusculum initio pastus hauriatur, & in fine herbacea substantia.

Caules sub finẽ mensæ locũ habere.

De vsu cauli um pulchra & notatu digna.

De salubri vsu Radicum Hortensium esculentarum.

RAdices hortẽses quibus solemus vesci, sunt porri (aut si mauis porra) cepæ, allia, raphani, rapa, napi, pastinacæ, & sisera. A primis quatutuor debent prorsus abstinere qui calido sunt temperamento, maximè si cruda fuerint. Sed hyemali tempore, in iusculis & cibario vsu nequaquam prohibentur: præterquam his qui fluxui pulsantium hæmorrhoidum sunt obnoxij, vel

Hortorũ radices esculentæ.

Porrorũ, cepарũ & alliorum vsus.

extemporaneæ inſperatæque illarum eruptioni. Quanquam minùs periculi ingruere ſolet ab albis cepis, modo præbullitæ fuerint, & ex eis factum ſit, vt vocant, Cepulatum, cum optimis carnibus, aut dulci oleo: in quibus prætermittere nunquam licet, amygdalinum lac. Verumenimuerò quia tale ferculum ventrem ſolet ſoluere, idcirco principio menſæ & ante alios cibos ſumi debet. Oblongæ cepæ, rubentes ac rotundæ, nullum in his locum agnoſcunt. Rapa dulcia, & napi tenerrimi, cum carnibus, abſque melle, pipere, & cimini aut carui ſemine decocta, ſic ſatis probantur, etiam ſi nullo condiantur ſapore. Quòd ſi aliquo oblecteris, abundè erit cariophylum addere vtcumque tuſum, vel Zinziber, cinnamomúmue aut crocum: Sic enim meatus vrinales aperient, aluum remollient, & viſui proderunt. Paſtinacæ, præſertim albæ, ſub feruentibus cineribus aut in iuſculo cum carnibus elixatæ, ſalubriter ſumi quandoque poſſunt: nam & ventri, & vijs vrinarijs eadem præſtant auxilia cum præcedentibus: modò prima menſa, vt antea ſcriptum fuit, exhibeantur. Siſera nobis vulgò, *Cheruis*, dicta, hyeme & vere corporibus euchymis impunè ſumi poſſunt frixa, & vt par eſt, condita. Sed ſi caput, thorax, aut pulmo defluxione, vel rheumatiſmo tentarentur, illis abſtinendum eſſet: quoniam humido capiti & pulmoni ſummè nocent.

Cepulatum.

Rapa & Napi.

Paſtinacæ.

Siſera quibus proſint.

De ſalubri vſu Leguminum.

LEgumina euchymis & temperatis corporibus non congruunt, quandiu integra fruuntur

tur ſanitate. Quapropter vitanda eſt eorum ſubſtantia, & maximè ſiccorum. Si tamen viridium & recentium vſus cuipiam expeteretur, conſentaneum erit vt cum Zinzibere & croco exſiliquata decoquantur, & ſub finem lacte amygdalarum dulcium condiantur: niſi ſatius eſſe duxeris fieri id cum iuſculo pinguium carnium, excluſo lacte amygdalino. Fabæ, piſa & cicera, de omnibus leguminibus minus noxia habentur euchymis corporibus: omniumque minimum piſa, quæ albo & rotundulo ſunt corpore. In ſumma, quæcunque ex Leguminibus ſicca erunt, abſq; carnibus parari debent, addita cera alba & rotunda, minutim conciſa: tum demum in oleo dulci, vt decet, frigi, & amygdalino lacte condiri: præcipuè ſi ex freſa faba ferculum parari debeat. Legumina quæ cum animalium lacte in vſum veniunt, prorſus fugienda ſunt. Verùm per eſuriales illas & longas ferias (vulgus Quadrageſimam vocat) in quibus obſtruentium alimentorum & ſaburrantium quamplurimi larga copia vti ſolent, vt piſcium, polentarum, & ſimilium, tunc temporis precium operæ fuerit ad tuendam valetudinem, prima menſa interdum haurire iuſculum piſorum, aut cicerum depuratorum, quod populares Puretam nuncupant. Quæ nihil aliud eſt, quàm decoctum id, quod priſci medici ſummoperè laudarunt, & ad hunc apparauerunt modum. Macerantur per noctem piſa vel cicera in aqua dulci: poſtridie ebullationibus aliquot blandè feruent: colatura mundo vaſe excepta, appetente hora paſtus cum vini albi tantillo, & pauco ſpicę nardi puluere, nec non mediocri ſale & croco,

Viridium leguminum vſus & conditura.

Fabæ, piſa & cicera.

Legumina cum animalium lacte cocta, fugienda

Iuſculum piſorũ ſeu pureta, quo modo antiquis parabatur.

vnica ebullitione rursus feruet, ac tum demum prima mensa hauritur. Iusculum id aperit ac deterget capillares venulas hepatis, & vrinæ vias emundat, vnde corpora à calculo & arenulis eximiè tuetur & præseruat, maximè si præmollita fuerint pisa, aut cicera, in aqua decoctionis radicum petroselini, & ibi, quo dictum est modo, per cocta. Populares falluntur in eo, quòd sibi persuadent idem commodi esse in iusculo cicerum maceratorum & remollitorum in lixiuio. Nam sic tota substantiæ tenuitas & subtilitas ab illis separatur.

Pro calculo & arenulis.

De salubri vsu fructuum, tam arboreorum, quàm herbaceorum.

FRuctuum vsus non conuenit euchymo corpori & tẽperato ratione cibi, sed potius medicamenti: fructibus itaq; moderatè vti cõuenit, obseruato semp cõmodo & incõmodo, quod ex eorũ vsu pendet. Nã ad voluptatẽ non sunt sumẽdi, quin potius ad vtilitatem & salubritatem. Itaque, qui illis pro alimento vtuntur, debent quali bet anni parte consideratè prospicere, in quæ detrimenta possint incidere, cùm ex ea cœli & aëris constitutione quæ tunc sese offeret, tum ex alimẽtis & rebus quæ in aëre, qualisqualis erit, educabuntur & vigebunt. Cæterùm, quia æstiuo tempore & calido sanguis facilè incenditur, autumno verò siccescit, idcirco per ea tempora liberum est frigidis & humidis fructibus vti, ad contemperandum sanguinem. Insuper quia per calores membra corporis rarescunt, & hinc reseratis eorum

Fructibus prudenter ac moderatè vtendum.

Frigidis & humidis fructibus quãdo vtendum.

rum ſpiraculis facilè effluit natiuus calor vnà cũ ſuo ſpiritu, ob id tunc temporis vti conceditur fructibus moderate adſtringentibus: quales ſunt ſubacerbi, auſteri, & ſtiptici vulgò nuncupati. Quo etiam caſu congruit acidorum vſus, ad internum æſtum frangendum, aut ſaltem leniendũ. Adde quòd aeris ſiccitas ſæpenumerò aluum reſiccare ſolet: quò fit, vt æſtate humectanda ſit vſu fructuum dulcium & humidorum. Quorũ præſidio conciliari etiam poterit ſomnus, qui plærunque à ſiccitate præpediri conſueuit. Iuuabit denique eorundem vſus, ac ſummè proderit ad ſitim placandam, & hepatis, cordis, nec non oris ventriculi æſtum per ea tempora leuandum.

Quãdo vtẽdũ fructibus acidis, aſtringẽtibus, humidis ac dulcibus.

His diligenter animaduerſis, facilè, vt opinor, colliges vſum fructuum, quo dictũ eſt modo ſelectorum, ęſtate feruida, & ſicco autumno nequaquam prohiberi. Quod ad ſanitatis conſeruationem attinet, pro canone, ceu rata ſententia habeto, fructibus nunquam eſſe vtendum, ſiue crudi, ſiue cocti erunt, donec in ſua arbore perfectam aſſecuti fuerint coctionem & maturitatem, ſi quidem id fieri poteſt. In his mora excipiuntur, quorum vſus probatur antè quàm ex integra maturitate nigreſcant. Nam tum ſanguinem inficiunt, & ad putredinem viam ſternunt, excitántque bubones, carbunculos & antraces. Ob id in regionibus calidis & humidis, eo anno quo talium mororum frequens eſt vſus, epidemici morbi, populares & peſtiferi, maximè vigere ſolent: niſi fluxionibus alui impediantur. Abſtinendum eſt à fructibus, quoties in illis vermes cumulatim gignũtur, aut fructus ipſi internè tabeſcunt. Quod inde cognoſcitur, quia parte interiore natiuum colorem

Fructibus ante perfectam maturitatem nunquá vtẽdum.

Mora.

Vermiculoſi fructus fugiendi.

rem deponunt, & genuinam pulpam nequaquam præ se ferunt. Quo fit, vt tales fructus, quotidianas febres, & continuas ac putridas, comites plerumque habeant, & frequenter generent: nisi fortè illorum cruditas & corruptela, soluta, aluo pessum eat, aut copiosis ex sudore laboribus, vel aliter, à corpore excludatur, aut per vrinas opportunè eluatur & effluat. Obseruandum insuper erit, ne simul diuersi fructus sumantur: quantumque fuerint in suis naturis & qualitatibus propinqui. Vt si contingat prunis vesci dulcibus ad mouendam aluum non expediet vna cum illis vti cerasijs: quin potius his, aut illis, simpliciter, prima mẽsa, & pauco ante alia fercula tempore. Sic in ficuum & vuarum prouentu, non licet vtrisque simul vti, quamuis valde prosint excretioni alui, sed alteris duntaxat seorsum & particulariter: veluti recentibus ac maturis ficubus, quo dictum est modo, tempore, & loco. Quæ vt efficaciter prosint, & aluum optimè subducant, iusculum desuper hauriendum erit, vel alius quispiam liquor idoneus. Verùm, biliosis omnibus, nec non ijs quibus hepar cum ventriculo calidum habetur, tutius erit frigidam superbibere: reliquis verò vinum adprimè dilutum. Quòd si illosmet effectus vna sumi debuerit, sedulò cauendum erit, ne id fiat inter epulas, sed longè antè: præsertim si recens & exactè matura fuerit. Nam sic flatus, & ventosa tormina non solùm promoueret, sed etiam ebullitionem, & nescio quam ciborum fermentationem, vnà cùm ventriculi subuersione, perturbatione & coctionis impedimento, moliretur. His accedat, quòd vuis

Diuersos eadẽ mẽsa fructus non debere sumi.

Vt ficus prosint & aluũ subducant.

De vuis & earum vsu salubri.

vuis ſumptis, vinũ deſuper nullo modo eſt hauriendum: quin potius iuſculum, aut aqua frigida. Si tamen inter fercula liberet vuam manducare, ſit illa dies aliquot antè decerpta & adſeruata. Id quod fieri ſi minus poſſit, in feruentem aquam demittatur, & tum demum ſuperfuſa frigida, menſæ apponatur. De perſicis, anteperſicis, & ſimilibus molli cute & carne præditis fructibus, idem ferè ſentiendũ erit. Nam Perſica ſumũtur initio menſæ & primo eius veſtibulo, ad mouendam aluũ, & ducendas deorſum fæces: ijs maximè quibus calidũ & ſiccũ eſt hepar: ſed tunc nõ expedit ficus ſumere, quæ magna ſcatent humiditate. Nocẽt verò, vt etiã aquoſi & frigidi fructus omnes, ijs quorum viſcera frigida habẽtur & humida. Si tamen & his & illis vti viſum fuerit, aliquantiſper præmacerari debẽt in vino aliquo generoſo, ſi eadẽ die ex ſua arbore decerpta fuerint. Quæ biduò, vel triduò poſt collectionem, Soli exponentur, longè ſapidiores ac ſalubriores guſtu eſſe deprehendentur. Cæterum, ſi cui calida habenti viſcera, notabili quantitate ficus edere viſum erit, ei ſanè quàm optimum fuerit durioris carnis perſica, vel anteperſica, aut odorata & permatura mala antè manducare: æſtate cruda, hyeme verò cocta. Ex ficubus præſtantiſſimæ habentur, quibus rubicunda eſt pulpa, & ſapor ſubacris, cenſenturq́ vtiles eſſe iuuenibus, & calido temperamento præditis corporibus.

Pulchra de vuis & obſeruatu digna.

De Perſicis & eorũ vſu.

De ficubus pulchra & notatu digna.

Quæ hactenus ſcripta ſunt, ad eos quoque fructus referri poſſunt, qui ad temperandũ ſanguinis æſtum & feruorem ſumuntur, cuiuſmodi ſunt cucumeres & melones: præterea qui ad placandum bilis acrimoniam & eius incendium reſtin-

Admonitio.

stinguendum offeruntur, vt facere solent acidi fructus & frigidi. Sed hîc nequaquam est omittẽdum, nec item obliuiscendum, quòd cucumeres, melones & citruli vna sumi non debent. Qui si fortè ad mensam apponentur, parum ex eorum pulpamento licebit degustare, idq; ante cibos alios. Quod iuuenibus & his quibus calida sunt viscera, præceptum erit. Quanquam, æstiuis caloribus, & per κυνοκαύματα non incongruè, nec insalubriter sub finem cœnæ ab ijsdem sumi etiam poterunt: vt diaphragmati & superioribus corporis partibus, ob præcedentem diei feruorem æstuantibus, perfrigerium aliquod accersatur: maximè vbi somnus paulò pòst sequi debet. Hinc nimirum facilè potes colligere, cur persica, vel vt legunt alij, citria, sub finem cœnę sumpta, plus prosint, quàm initio eiusdem, licet aquosi & humidi sint fructus, nimirum quòd squallorem, & partium corporis superiorum æstum mitigent, & suauem sumnum procurent, grauesq; halitus & fumos à præsumptis cibis elixis, vel assatis, & acribus eorum condituris excitatos, dum ex ventriculo & hepate sursum volare, & cerebrum petere satagunt, deorsum redire, & veluti posito desuper operculo, intra proprios cancellos sese cõtinere cogantur. Vtilius nihilominus esset, ad æstum sanguinis leuandum, cucumerum quo decet modo apparatorum, aut peponũ, melonumue pulpam & subcutaneam carnem longè ante cœnam sumere: in fine verò, persica, vel potius citria, vt anteà diximus, aut granata, selectàue poma cruda, cum tantillo panis: vel candentibus cineribus priùs exposita, & perfrigerata. Acidi fructus & subausteri qui ad extinguendum, vel obtun-

Melones citruli & cucumeres.

Obseruata & notatu digna

Cur humidi fructus, subacerbi & acidi mẽsas claudere debeát.

Pulchra & notatu digna

Acidi fructus & subacerbi

obtundendum flauæ bilis incendinm, ad proritandamue & excitandam ciborum appetentiam sumuntur, longè antè prandium exhiberi debẽt: cuiusmodi sunt cerasa subacida, aut mora semimatura. Sed siue initio mensæ præsumantur, siue longè antè exhibeantur, nihil est superbibẽdum. Nisi fortè metueres ne ab eorum aciditate, vel acerbitate offenderetur guttur, aut stomachus, vel spiritalium membrorum quodpiam: Tunc enim consultum esset, nonnihil iusculi, vel vini aqua refracti, aut sacchari optimi, ilico pòst sumere. Monendi itaque sunt qui ieiuno ventriculo citria mala, aut limonia, vel granata acida, vel quid tale accipiunt, vt id nunquàm tentent, quin prius illis ad manum sit præstantiss. saccharum. Quòd attinet ad comprimentes & adstringentes fructus, plurimi sunt ex eis qui attingi minimè debent. Vnde sumptis pyris abstinendum est à cotoneis, & cotoneis acceptis, longè ableganda sunt sorba, vel mespila, & contra. Verumenimuerò, inter comprimentes & astringentes fructus non paruum est discrimen. Nam quidam comprimunt sola substantiæ grauitate & pondere, vt crudę auellanæ: alij verò propria facultate quam habent constringendi. Rursus adstringentium & comprimentium nonnulli debiliter astringunt, & austeri dicuntur, qualia sunt pyra multa: alij fortiter, vt sunt cotonea, sorba, mespila, & de gustu similes fructus alij.

quando vtiles.

Admonitio nequaquam negligenda.

De fructibus astringentibus & acerbis.

Fructuum astringentiũ varietas.

Sunt præterea ex his quidam odorati & aromatici, alij nequaquam: quidam dulces, alij minimè. De astringentibus id in summa habeto præceptum. Si sola grauitate comprimant, & non propria facultate aggregandi comprimendíue partes

membrorum quibus obuiant, nec odorati sunt aut dulces, nequaquam sumi debent, maximè ab ijs qui temperato sunt corpore & calore. Ob id recentes auellanæ vitandæ sunt, licet assumptum cibum cogant descendere. Nam dulcedine carent, stomacho sanè quàm grata: nec odoratum habent quidpiam ad fouendos & recreandos spiritus: nec apertam adstrictionem, qua roborent partes ventriculi. Quo fit vt ei censeantur infestæ auallanæ recentes. Siccæ minùs nocēt, quia minùs frigidæ. Quæ si vel tantillum torreantur, multò minùs officient: sic enim & dulcorem, & adstrictionem quantulamcunque induunt, quâ prodesse possunt, perinde atque castaneæ, quando probè assatæ exhibentur in cibum. Hinc nimirum fit, vt postremæ sumptæ, mensas claudendo, ventriculi orificium bellè firment ac roborent: præsertim si in præstanti vino prius demersæ fuerint. De fructibus acidis & astringentibus hæc rursus particularia habeto. Si dapes inchoent & mensas aperiant, aluum compriment: si verò postrema mensa, hoc est omnium vltimi exhibeantur, laxabunt & soluent: Nam vbi illi fercula alia præcedunt, inferiores partes, quas obuias habent, stringunt & comprimunt. Quo fit, vt cibariorum fæces & excrementa per restrictos meatus & tubulos ægrius descendant, ac difficilius extrudantur. Dum verō cibum sequuntur, contrarium moliuntur: nam supra fæces vias stringunt, & cō primendo cogunt illas deorsum properare. Adstringentia, pontica & acerba nunquam sumenda sunt cruda, nisi fuerint condita, vel diuturna in

Cur recentes auellanæ sint stomacho infestæ.

Castaneæ & earum vsus.

Fructus astringentes quando exhibendi.

ra in sua arbore mora, vel legitima adseruatione & repositione adstrictioné acerbitatéue deposue-rint. Omnia enim pontica, acerba & acida, grauiter offendunt thoracis membranas & musculos. Idcirco cydonia mala, & pyra, pomáue acerba, antè quam comedantur, debent ex pingui carniū iusculo coqui, vel vnà cum carnibus in pastillum componi: nisi satius tibi visum esset, illa in feruentibus prunis, vt moris est, assare, & depellata, ac saccharo, aniso, vel fœniculo conspersa, manducare. Poteris etiam in clibano torrere, quod multis gratissimum est: ne foculi cineribus, plærunque immundis, vitientur: aut fumi tetro vapore aliquo imbuantur. Sunt qui nobili vino incoquant: sed eo modo potentius astringunt, quàm si pingui carnium iusculo decoquerentur. Sorba & mespila, quæ raro in sua arbore maturescūt, longa post collectionem mora natiuam deponunt acerbitatem. Idcirco si quis vrgēte necessitate, vel imperante voluntate, mespilis vti cogatur, assari, aut mero incoqui debent, vt acerbitatem exuant. Alij fructus pontici dum condiuntur acerbitatem & acorem vtcunque deponunt: sicuti probare licet in acerbis & immaturis oliuis, dum in suo nataut iusculo, & ob id à Græcis, κολυμβάδες nuncupantur. Adhæc in nucibus iuglandibus, dum in suo condimento degunt. Nam eo pacto moderatè exacerbantur, & parum lędunt. Sed id minùs in oliuis, quàm tenellis iuglandibus apparet: quoniā absque melle, vel saccharo illæ cōdiuntur: ob id parcius ac rarius in cibum sumi debent. Astringentes fructus, humidi & succosi, plus congruunt siccis temporibus, vt æstate & autumno,

Sapores thoraci & eius partibus infesti.

Quomodo apparanda in cibum cydonia, pyra, & poma acerba vel acida.

Sorba & mespila.

Immaturæ oliuæ & nuces.

quàm hyeme. Sicci verò & humiditatis expertes, si quidem dulces erunt, hyeme & vere opportuni aderũt: cuiusmodi sunt dactyli & castaneæ: habẽt enim dactyli omnes nescio quid astringentis facultatis & saporis. Si autem cogeret necessitas, hyeme & vere vti fructibus, ad emolliendã aluũ, perappositè postrema mensa apponerẽtur dactyli, vel vuæ passæ cum suis vinaceis & granulis: modò nihil superbibatur. Idem fiet, si pastus initio siccæ ficus absque pane manducentur: in fine verò, dactyli vel oliuæ: post quas etiam vuæ aliquot passæ, excluso potu, non ineptè offerentur. Quod si succosi fructus tunc temporis cuipiam arriderent, qui inter eos nocentiores habentur, vitari debebunt: vt sunt brumales vuæ: nam renibus, vesicæ, & intestinis summè incommodãt. Deniq;, si liberet mensæ initio & præludio quidpiam succulentum præsumere, quod aluum ab incrementis expediat, sanequàm accommodum huic rei sese offeret dulce & odoratum pomum assatum, vel in vino coctum, & vbi refrixerit ex multo saccharo, eoque albissimo, commanducatum. Vtile insuper erit in eandem rem brumales vuas albas in feruẽtem aquam demersas, & mox frigida desuper affusa, exemptis vinaceis & seminibus internis commedere. Si verò succosis fructibus astringentibus & comprimentibus in fine pastus, vti visum esset, cuiusmodi sunt pyra q̃dam, sumenda erunt cum vetere caseo electo & friabili: vel candenti foculo assabuntur, & pelle exuta, vino immergentur, ac ita comedentur. Sed ab eis sollícité cauebunt, qui torminibus & articulorum cruciatibus sunt obnoxij. Quòd ad oleaginosos fructus attinet, vt sunt amygdalæ, nuces,

Fructus ad aluũ ducendã quando & quomodo sumendi.

Pulchra & notatu digna de subducentibus aluum.

Astringẽtes fructus quomodo in fine pastus sumèdi.

Amygdalæ nuces & pineoli nuclei.

nuces, auellanæ, pineoli nuclei, pistacia, & similes, si crudi & recentes edantur, ventriculum offendent. Sed amygdalæ, nuces & pistacia minùs lædunt recentia quàm siccata. Auellanæ verò & pineorum nuclei contrà: nam plus nocent recentes, quàm sicci. Vnde corporibus temperatis, & omnibus quorum natura ad caliditatem inclinat, crudis & recentibus huiuscemodi fructibus vti non expedit: quòd plus obesse, quàm prodesse queant. Possunt nihilominus tenellæ ac recētes amygdalæ, ventriculi æstum opportuno tempore vtcunque mitigare: vt siccæ, vini vapores ne sursum euolent & caput offendant præpedire, si mensas clauserint. Nuces recentes vt etiam siccæ, non solùm stomachum lædunt, sed etiam visum & caput grauiter tentant: Habent nihilominus id commodi, quòd à flatibus & piscium viscositate corpus egregiè tuentur. Auellanæ sua natura hepar sic satis roborant, sed stomacho & capiti officiunt. Pineorum nuclei, etsi de omnibus stomacho summè aduersantur, sunt tamen paralyticis valde vtiles, & omnium maximè pulmonarijs, quibus thoracis interiora à pituita prægrauantur, & ob id ægrè spirant, & molestè pituitosum mucum expectorant. Pistacia frigido hepati & stomacho efficaciter prosunt, minusque noxę, præ alijs iam positis, in corpore relinquunt: verum tamen capiti incommodant. Si antè dicti fructus, generoso melle, aut saccharo fuerint excepti & accuratè conditi, minùs negocium ventriculo facient, sed temperatis corporibus & euchymis nocebunt, quòd ad voluptatē potius quàm vtilitatem condiantur.

Amigdalæ recentes.

Nuces recentes & induratæ.

Auellanæ & pineorum nuclei.

Fructus adō voluptatē c diri, potiùs quam ad vtilitatem.

Hæc ab Arnaldo Villanouano accepta, & in tuum vſum velut paraphraſi quadam congeſta, ſed paulò terſius, (quod abſque calumnia, & iactantia dictum habe) ſi boni conſulueris, mea ad meliora tibi propediem ex vmbra in lucem proferenda, alacriter & perſtrenuè excitabis, ac promouebis.

ANTONIVS MIZALDVS LECTORI S. D.

Rogatus à Typographo, vt confeſtim, aut ſi mauis me Grecè dicere, ἐκ τοῦ παραχρῆμα, paginas aliquot vacuus, ſcripto quopiam ei replerem, ne fortè Prætoris albo, vt iactari ſolet, aſcriberentur: ego hoc ipſo præcipiti & momentaneo temporis articulo, ſummè, ſi aliàs vnquam, occupatus, ad externa præſidia, & auxiliarem operam confugere fui coactus. Mihi itaque, velut Deus quiſpiam ad machinas, præſto adfuit, & ſanè quàm libenter ſuccurrit doctiſsimus, & in omni parte medicinæ exercitatiſsimus vir, Ioannes Langius, illuſtriſsimorum Comitum Palatinorum Rheni medicus: cuius erudita confabulatione, vel vt planiùs loquar, lectione, tunc temporis periucundè fruebar. Ille itaque ex tempore medicam Epiſtolam, & Problema ſequens, De ſalubri vſu caſei (de quo tam varia eſt apud Medicos deceptatio) Typograpgo mittendum mihi candidè exhibuit. Cuius hæc eſt quæſtio.

AN CASEVS EDENDO sit salubris.

INdicta mihi erat per Cyrlerum nostrum cœna, inquit Lãgius, & quum iam secundæ mensæ bellaria apponerentur vnà cum caseo, tum, Philippe, honorifica certe tui ac famuli tui facta fuit mentio: qui tibi edenti caseum de manibus eripuisset. Aderant inter conuiuas, qui famuli audaciam admirabantur. Alij verò qui eius fidelitatem collaudabant: qui non passus fuisset, vt dominus suus ventriculum cibo praui alimenti, & ad coquendum contumaci, oneraret. Tum ego rogatus respondi: me suspicati famulum fuisse de vulgari illa medicorum hæresi, qui aliorum ventriculos suis viribus metiuntur, & medicamenta non Socrati, aut Philippo, sed vniuersali hominum in mente ideæ accommodarent: ignorantes naturam ventriculorum ita diuersimodè esse comparatam, vt hic natura incalescens, esculenta crassa & coctioni contumacia, exactè conficiat: tenera verò adurat, & in nidorulentam eructationem conuertat. Accedit ad hoc quòd esculentorum & potius concoctio non tantum caloris naturalis viribus, sed proprietate quadam bestijs hominibusque congenita (vt Galenus refert) perficiatur. Sic hac ratione Struthiocamelus volucris digerit & concoquit ferrum, & reliqua metalla igni inexpugnabilia, quæ Leo, Sthruthiocamelo longè calidior, concoquere non potest. Puella à rege Indorum Alexandro fraudi veriùs quàm muneri missa, napello impunè

Galenus lib. 2. de alimen. facult.

veſcebatur. Coturnices ſemine hyoſcyami & veratri pingueſcunt: Sturni cicuta aluntur, quæ homini, cæteriſque animantibus venena ſunt deleteria. Hac quoque ratione accidit, vt hominum ille nõ veſcatur caſeo, alter abſtemius viuat: Quo tamen caſeo, Zoroaſtes, artis magicæ inuentor, viginti annis in deſerto vixiſſe traditur, ita temperato vt vetuſtatem non ſentiret. Quod ſiccis dracontij folijs effici docuit Galenus: quibus recens implicitus à putredine immunis ſeruabatur. Proinde Hippocrates prudenter, vt cætera omnia, nos in libro de vetere medicina his verbis admonet: Non ſimpliciter, inquit, exiſtimare oportet, quòd malum edulium ſit caſeus: non enim omnes homines lædit, imò gracilibus mirabiliter conferre traditur. Nec obſtat quòd aliquí caſeum craſſi & viſcidi alimenti, quo epatis, renum, venularumque obturentur meatus, ac arenulæ in renibus ac veſica, veluti calce agglutinentur, vt in calculum coaleſcant, cauſantur, & paſſim opponunt.

Lib. 6. ſimpl. medicam.

Nec id, Philippe, te à caſei eſu deterreat: moderata quippe ſalis conditura hæc caſei incommoda corrigit, quæ humorum lentorem incîdit, friabiles reddit arenulas, meatuum obſtructiones referat, neruoſum ventriculi oſculum roborat, appetitumque eius languentem ſua acrimonia excitat, & nauſeam ſiſtit. Ob id non temerè veteres ſalem irritamentum gulæ vocarunt. Quod & columbæ apprimé norunt: quæ, vt refert Plinius, pullis primo ſalſiorem terram collectam gutture in ora ſpuunt, præparantes tempeſtiuitatem cibo. Nec quoque te Galenus in libro de boni malíque ſucci ali-

Conditura ſalis cõmoda

men-

mentis terreat, cùm ait: Ex caseis omnibus crassus est succus, insuperq́ꝫ ex vetustis malus; recenter autem coactos, prima mensa ad aluum ducendam manducare licet cum melle: nam, inquit, & minùs crassus est quàm veterum succus, & nullo pacto malus. Proinde Philippe, nihil horum incommodi veritus, liberè vescere caseo recẽti, salis momẽto temperato: qui lactis bubuli, aut caprini dulcorem resipiat, à vetustatis acore alienus, confisus Hippocratis, Apollinis nostri, oraculo, quo ait: Paulò deterior cibus aut potus, suauior autem, melioribus quidem, sed minus suauibus est præferendus. Hactenus Langius.

Casei salubris cõditio.

Aphorismo 38. Sectionis 2.

Cæterùm vt à calumnia quorundam & noxæ infamia caseum vindicarem, sequẽtes versiculos ex Salernitarum Regimine ad Anglorum Regem huc transferre opportunum ac iucundũ esse duxi, vbi caseus hunc in modum conqueritur:

Ignari medici me dicunt esse nociuum:
Sed tamen ignorant cur nocumenta feram.
Qui Physicam norunt hæc de me testificantur,
Optima post epulas caseus esca datur.
Rursus, opem stomacho languenti caseus adfert,
Si post extremas incidat ille dapes.

Et alibi,

Caseus & panis bonus est cibus, herculè, sanis:
Si non sunt sani, non iungent hunc bene pani.

Si cui arridebunt fercula, coci industriâ ex caseo confecta, præter Apicium & Athenæum, Platina in libro de honesta voluptate illi abundè satisfaciet. Hæc satis pro Caseo.

OPVSCVLVM DE SENA, PLANTA INTER OMNES, quotquot ſunt, hominibus beneficentiſsima & ſaluberrima.

AVTORE ANTONIO MIZALDO MONLVCIANO, MEDICO.

SPECTATAE VIRTVTIS ET ERVDITIONIS VIRO, *IOANNI LE CHARON*, Lutetiæ in Curia Vectigalium Præſidi, & Pariſienſium Mercatorum Præfecto, ANTONIVS MIZALDVS medicus, S. D.

PRAECLARA & memorabilis illa de Quintio Cincinnato Hiſtoria, cui, vt ſcribit Plinius, quatuor ſua iugera in Vaticano aranti [quæ erant, Columella teſte, auitum eius hærediolũ] Viator, nihil tale expectanti, Dictaturá attulit, & trepida ante boues, vt canit Perſius, Dictatorem induit vxor: illa, inquam, hiſtoria, mihi ob oculos ponit, Præſes ſpectatiſsime, nuper tibi oblatam & adlatam Pariſiẽſium Mercatorum, vt vocant, Præfecturam, qui ſummus eſt ciuium & populi magiſtratus. Nam cùm tu nihil tale expectares, potioribus ciuium & minorum vrbis magiſtratum ſententijs & ſuffrágijs, ad id faſtigij ſelectus & vocatus es. aſſentiente & ſuffragia probante Chriſtianiſmo Rege CAROLO, cui placuiſſe, nõ vltima laus eſt. Quod factum, ſimul ac fama mihi nunciauit, ſtatim animum

meum

meum tanta inuasit lætitia, vt prorsus dubitarem cuinam gratulari deberem: tibine, cui tam insignis dignitas contigerit, an vrbi quæ talem habitura sit Præfectum, an Regi, qui tantum suis ciuibus & Parisiensi populo præfecerit Nestorem, an potius mihi qui tibi sum amicissimus, & ob id fortunarum tuarum particeps fieri debeo? si quidem vera sunt quæ Pythagorici tradunt, πάντα φίλων κοινὰ: καὶ, φίλον ἕτερον αὐτὸν εἶναι. Si quid, mihi crede, in rebus meis esset vnione vel candidius, vel preciosius, ego hac nota libẽtissimè signarẽ eum diem, in quo non lubrico exoculatæ Deæ fauore, sed tribuum, & optimatũ Vrbis, concordi calculo, gratoq; Principis assensu, eo magistratu, bonis, vt dicunt, auibus inauguratus es. Quod fœlix faustumq; sit precor & opto. Nõ etenim ignoras quanto cum onere, nedum honore, illa prouincia, hoc præsertim tempore, tibi obeunda sit. Verũ enimuerò, qua es modestia, virtute & prudentia, quam nactus es Spartam, circunspectè, & Dei Opt. Max. præsidio, inculpatè, reges & adornabis. Quod reliquum est, vt nouo aliquo munusculo, nouum hunc magistratum tibi gratularer, visum fuit, ceu palã testato animi mei gaudio, in tuo nomine publicare, & tibi officiosè deuouere Opusculũ hoc de Sena, planta inter omnes, quotquot sunt, hominibus beneficentissima & saluberrima: vt quod medicorũ est promittãt medici, & tractent fabrilia fabri. Quale quale est Opusculum, de eo dicere haud quaquam dubitem quod de philosophiæ studio scripsit Horatius,

Aequè pauperibus prodest, locupletibus æquè:
Aequè neglectum, pueris, senibusq; nocebit.

Illud itaq; placidè, pro tuo candore, excipere, & in μνημόσυνον meæ erga te non vulgaris & veteris amicitiæ habere digaberis. Quod factũ si intellexero, nõ solum conatus meos ad meliora promouebis, sed & me ipsum tibi deditissimũ semper habebis. Verũ hæc satis, præsertim apud eũ cui Populi commissi, & magna negocia curæ. Fœliciter itaque vale, Præses æquissime, & Præfecte vigilantissime,

in

in eo qui omnium valetudinem & salutem in manu habet: cuius immensa bonitas, & te, & eximium socerum tuum in regiarum rationum collegio, vel, vt loquuntur, Computorum Camera Magistrum, mihi semper & vnicè colendum, diu Reipub. incolumes custodire dignetur. Lutetiæ, Calendis Septembr. Anno Christi, 1572.

IOANNIS DECVLLANT MONLVciani, in Senatu Parisiensi Aduocati, Ode dicolos tetrastrophos ad Ant. Mizaldum cognatum cariss.

Næ, MIZALDE, vides quòd celeres citò
Anni diffugiunt, atq; dies boni:
Noscis quid valeat sudor, & ocium
Quàm sit triste malum nimis.

Præclarè ergo facis dum vegetum viget
Iam nunc ingenium, & firmus adest calor,
Scriptis velle tuis noscere posteros,
Te vixisse nepotibus.

Debent multa tibi docta μαθήματα,
Debent ἰατρικῆς scita salubria,
Nam cunctis aperis quæ preciosa sunt
In his, ingenuè, artibus.

Non ingrata ferent sæcula gratiam
Posthac: & Dominus qui colit vnicè
Doctos, atq; bonos, ne dubita, tibi
Mercedem dabit optimam.

ἐκ πόνου τὸ κλέος.

DE SENA, PLANTA INTER OMNEIS QVOTQVOT SVNT, HOminibus beneficentissima & saluberrima, Opusculum, Autore ANTONIO MIZALDO Monluciano, medico.

QVIA nullum hodie purgans medicamentũ simplex tam frequẽs habetur in ore & opere, non dicã vniuerso medicorum ordini, sed etiã omni ferè populo, quàm Sena: idcirco preciũ operæ facturũ me putaui, si illius historiã, vsum, facultates & præstantißima auxilia à Græcis medicis, Arabibus & Latinis fideliter accepta, & hactenus magno mortalium commodo probata, hîc, pro mea tenuitate, paucis perstringerem. In eorum maximè gratiam, qui vel medicinæ non sunt initiati, vel alijs studijs & occupationibus ita sunt distracti, vt medicorum libros eis legere non liceat. Venio itaq; à verbis in rem.

Nullum medicamẽtum Sena popularius.

Quibus scribatur hoc Opusculũ.

Quibus nominibus vocetur Sena apud varias gentes. CAP. I.

PLanta, Græcorum medicis iunioribus (nam antiquiores eam ignorarunt) σίνα, vt etiã Latinis nuncupata, vel, vt Hermolao placet, Senna, Gallis Sené, Germanis Senet, Hispanis Sen d' Alexandria, & Italis Sena, Aphricanis, Arabibus, ac Mauritanis medicis, Sene, Persis, teste Damasceno Mesue, Abalzemer, patrio vocatur nomine.

Senæ variæ & gentiũ nomina.

Senæ

Senæ deſcriptio, pictura & delineatio.

CAP. II.

Senæ delineatio ex And. Matthiolo, in 70.cap.3. lib. Dioſcoridis.

SENA herba eſt folijs conſtans glycyrrizæ, ſubpinguibus & craſsis, caule cubitali, à quo flexiles ſlori modo exeũt ramuli, flores illi adſunt aurei, veluti braſsicæ, purpureis venulis intercurſantibus: quibus falcati ſuccedũt folliculi, tenui pediculo è ramulis pendentes: adeóq; naturâ cõpreſsi, vt inferior membrana ſuperiori adhæreat. Matureſcentes, impetu ventorum facilè deturbantur, contento intus ſemine quod ex nigro ſubuireſcit & vuarum vinaceis vſq; adeò ſimile habetur, vt nõ facilè altetum ab altero, prima oculorum obſeruatione diſtingui poſsit. Serapio Arabs medicus, lunatas ſiliquas & oblongas illi aſcribit; in quibus ſemina per ordinẽ digeſta clauduntur, & ab opilionibus, impinguandis ouibus, vbi deciderunt, diligenter leguntur. Planta hæc frigoris ſummè eſt impatiens, vnde Maio menſe debet ſeri: nec vltra Autumnum viget. Priùs ſata facilè perit, ſeriùs, hyemem non ſuſtinet.

Serapio in libro de ſimplic. medicamentis.

Senam non eſſe eandem cum Colutea, & de vtriuſq; diſcrimine & pictura.

CAP. III.

Libro 3. cap. 17. de plãtarum hiſtoria

FAlluntur qui arborem eam quã Theophraſtus Coluteam appellat, Senam eſſe ob id arbitrantur, quòd folliculos habeat ſaginãdis ouibus à paſtoribus ſummè expetitos, vt de lunatis ſiliquis Senæ, paulò antè ſcripſiſſe diximus Sarapionẽ: Verùm id diſcriminis inter vtramq; intercedit,

cedit, quòd Colutea vocata, arbor sit & non herba. Cuius descriptionem, qualem ex ipsa arbore mihi licuit in quodam horto amœnissimo excipere, hîc proponere nõ grauabor. Itaq; Colutea arbor est, in hoc Parisiensi agro, vt etiam in alijs frequens: De cuius stipite prodeunt rami quamplurimi, surculos admodũ tenues ac flexiles hinc inde spargentes, è quibus exeunt folia, fœnogræco, vel glyçyrrhizæ non multũ dissimilia, ęquali vtrinque serie, & numero (vbiq; ferè vndenario) perbellè discreta, sed sub autumnum flauescentia, leuique ventorum agitatu, vel aliter, cum suis surculis cadiua. Ex eorum alis, maximè ad ramorum cacumina, suo tempore emergunt virgulæ quædam, agnata dicas, folijs vbique viduę: quæ summa & extrema sui parte, flauos & aureos diffundunt flores: singulos alicubi, binos alibi ternos, quaternos, & quinos, vel plurimùm senos glomeratim. Qui, genistæ modo, in falculæ vireaticæ & lunulæ, aut scirpiculæ formam paulatim desinentes, totidem vesicularum, quot illi fuerunt, rudimenta exprimunt. Quæ quidem vesiculæ, ex pediculo admodum fragili, sigillatim pendulæ, in ventrem et carinatum gibbum pedetentim excrescunt: viridi primùm & herbaceo colore, tum demum subrubescente & rufo. In ijs pars carinata, gibba & cõuexa, neruo, ceu septo quodam oblongo, & veluti diaphragmate, in duas parteis dirimitur, æquè ac sima & cõcaua: re vera peram pastoralem, vel piscatoriã nauiculam esse dicas, sese hinc inde proferẽtibus à cauda & capite, ceu à prora & puppi, quibusdam appendiculis, quæ ligamentorum vicem ac modulum præ se ferunt. Dictæ vesiculæ, vel, si ma-

Coluteæ delineatio ad vnguem expressa.

Flores Coluteo, & ex ijs folliculi, & vesiculæ.

Vnde diſtendantur coluteæ folliculi.

ſi mauis, vtriculi & folliculi creſcentes, vſque adeò diſtenduntur & pellucent, vt immiſſo flatu, quis factum fuiſſe non temerè ſibi perſuadeat: Cùm tamen natura, non arte id fieri certò conſtet, ſpiritumq́ diſtendentem ibi ineſſe palam arguat crepitus erumpens vbi pedibus vel manibus, aut aliter, inſtar veſicularũ in piſcibus premuntur. Membranei huiuſmodi ſolliculi tandẽ flacceſcunt, ſemina includentes ad rectam lineam miro ordine vtrinque digeſta, parua, & vbi maturuerint, atra ac rotunda, lentis effigie. Sed in Coluteæ pictura & deſcriptione verſatum ſatis. Quod ad plantam Senæ attinet, non habeo quod in præſentiarum de illius hiſtoria & delineatione aliud proferã, quàm quod paulò antè ex Andrea Matthiolo dictum fuit. Nam hactenus viuam & in ſua radice vigẽtem herbam videre mihi non licuit. Vt vt fuerit, in eo diſcrepat Sena à Colutea, quod preſsis & lunatis, ſic ſatis, folliculis ſiliquetur, qui nec turgent nec diſtendũtur ac pellucent, vt in Colutea: & ſemen, vt ſcripſimus, includunt, vuarũ vinaceis & granulis ſanequàm ſimile. Quibus addes, quòd Sena paucorum menſium eſt herba: Colutea verò multorum annorũ arbor, ſemine & ouillo fimo præcipuè naſcẽs, vt tradit Theophraſtus: Quo etiam autore, ſeri debet ſub Arcturi occaſum præmacerato ſemine, & cùm in aqua pullulare cœperit. Cæterùm & ſi Colutea Alexandri Magni ætate non temerè alibi quàm in Lipara naſcebatur, iam diu tamen in Gallia multis vt diximus locis viget, ac nomine *Baguenaudier* omnibus innoteſcit. Errant itaque, meo iudicio, qui ei facultates omnes innoxiè tribuunt, quas vna Sena ſibi peculiariter vendicat.

Capite præcedente.

In quo differat Sena à Colutea.

Facultates Senæ non conuenire Coluteæ.

Nam

Nam præter quàm quòd vomitiones, non ſecus quàm geniſtæ ſemen, promouet: Colutea, etiam ventriculo ſummum negocium faceſsit, & tormina multa excitat: necnon flatus & inteſtinorũ rugitus: Quorum omniũ expers eſt Sena, vt paulò pòſt oſtendemus.

Quibus partibus ſuæ plantæ ſit præſtantior, efficacior, & purgantior Sena.

CAP. IIII.

SCribit Ioannes Meſues Damaſcenus, in Arabicorum medicorum collegio ſummus et celebris, Senam folliculo quàm folijs efficaciorem eſſe, præſertim ſi is ex viridi nigricet, ſit modicè amarus, abſolutus, ſubaſtringens, recens, & ſemẽ continens amplum ac preſſum, nam vetuſtate exanimatur. Qui ſubalbidus eſt folliculus & imperfectus, non probatur: folia viridia ſunt præſtantiora ſubalbidis, & craſſa tenuibus, ſurculi verò inutiles. Hactenus Meſues. Qui, vt audiuiſti, Senę folliculos in deijcienda aluo, folijs lõgè efficaciores ac præſtantiores facit: reclamante, non dicam Manardo Ferrarienſi, ſed etiam diuturna & aſsidua medicorum experientia: etſi Braſauolus, qui Meſuem tueri videtur, cõtrarium ſentiat. Actuarius ſiliquoſo fructu, à Barbaris vocato, vti videtur. Andreas Matthiolus ſuis in Dioſcoridem doctiſsimis Commentarijs, hanc cõtrouerſiam, ſanequàm rectè, mea ſententia, ad hunc modum componere ſatagit: Sciendum, inquit, quòd Senę folliculi qui ſiccati aſſeruantur, duorum ſunt generum. Vnum per ſe caducum, & in ſua planta arefactum, à quo ſemẽ eximunt nigrum & prorſus euanidum: Huic nullas, vel ſaltem paruas fa-

Lib. 2. de medicam. ſimpl. purgantibus, cap. 15.

Senæ folliculi & folia.

Lib. 3. ca. 78.

Senæ folliculi duorũ generum.

cultates tribuũt. Alterum, ante maturitatem demetitur, crassum, ponderosum et succo prægnãs: Quod tegetibus expansum, in vmbra venundandum exsiccatur. Huic, inquit Matthiolus, sicuti millies periculum fecimus, non minor vis deiectoria inest, quàm folijs. De eo itaque sensisse videtur Mesues. Cui de experimẽto subscribit idẽ Matthiolus, affirmans se aliquando integrum Senæ campum seuisse (quales in Hetruria, & prę sertim in Florentino agro quamplurimi visuntur) vt illius folliculos virentes & succi plenos decerperet: mox siccatos experiretur: num eadem vis eis inesset quàm folijs: quod tandem ita esse facilè agnouit. Qui itaque folliculis commodè & salubriter vti voluerint, Matthioli exemplo, Senam serant vt illos & optimos, & recentes in manu habeant, vel saltem probatissimos emant, si tamen eiusmodi reperiri poterũt: si minùs, folijs vtantur selectis, vt passim fieri solet. Nam hodie nullum ferè præscribitur repurgans medicamentum, quod illorum misturam non admittat. Non temerè itaque Manardus Senæ folia, folliculis caducis et arefactis purgantiora esse sustinuit. Ioannes Fernelius in omni parte medicinæ, citra controuersiam, summus, Mesuem & Arabes sequutus, Senæ folliculos folijs anteponit. Cui Iacobus Syluius sanequàm libenter subscribit: vtcunque fuerit, nam vnguem non verterim, qui folliculis vti volet, quales antè scriptum fuit sibi comparet: cui verò folia magis arridebunt, recentia & ampla seligat, à quisquilijs, paleaceis sordibus, & surculis, quibus scatet diligenter repurgata: in quo Pharmacopæi plærique oscitanter, ne dicam turpiter, pecca-

Experimentũ Matthioli de senæ folliculis & folijs.

Folia senæ in vsu frequenti hodie esse.

Cap. 10. lib. 5 Meth. med.

Comment. in cap. 15. lib. 2. de med. simpl. Mesuę

Pharmacopœorũ quo-

peccare mihi vidētur, dum indiſcriminatim omnia, vel coquendo, vel macerando confundunt.

rundã error, vel potius negligentia.

Senæ bonitas, electio & præſtantia.

CAP. V.

QVod attinet ad bonitatem & excellētiam Senæ, ea præſtare fertur quæ ex Alexãdria Aegypti, vel Syria adfertur. Hanc enim ſummis laudibus tam Latini quàm Græci medici iuniores efferunt. Iacobus Syluius, Indicam & Aegyptiam valētiorem eſſe ſcribit parte media quàm ſit Appula & Liguſtica: & rurſus poſtremam noſtrate Colutea: quæ, vt diximus, falsò & perperàm pro legitima Sena à multis vſurpatur. Vtra verò præſtantiora ſint, folia an folliculi, paulò antè diſputatum eſt.

Syluins loco paulò antè citato.

Quo pondere & modo exhibeatur Sena, Arabibus, Græcis, ac Latinis Medicis.

CAP. VI.

SERAPIO Senæ tritæ ceu pulueratæ drachmã vnam, coctæ verò ſemunciam, vel drachmas quinque imperat. Meſues infundit ab aureis tribus, hoc eſt, à ſemuncia, vel drachmis quatuor cum ſemiſſe, ad vnciam vnam. Ex Græcis vnus Actuarius, pulueris exhibet drachmam vnam: in decocto verò ſemunciam. Ioannes Fernelius dat pulueris ad drachmas duas, decocti à drachmis tribus ad drachmas ſex: diluti verò ab vncia dimidia, ad vnciam vnam. Quæ omnia ad ſumentium naturam, & medicandorum vires, ætatem, corporis habitum, ſexum, & alios ſcopos, prudenter ſunt referenda & coaptanda.

In libr. de ſimpl. medicamentis.

Libro & cap. anteà notatis.

Facultates & probata Senæ præsidia, ex Græcis medicis. CAP. VIII.

Quibus morbis succurrat Sena, ex Actuario medico græco.

ACTVARIVS, qui solus inter Græcos medicos, quantum extat, Senæ vires descripsit, memoriæ mandauit illam & bilem, & pituitam, denarij pondusculo deijcere, absq; vlla corporis & facultatum eius noxa & molestia: Secundùm hos humores, retorridam, atrámque bilem, etiã modestissimè purgat, & illarum suffusiones ex gallinaceo iure clementer expellit. Insuper vetusto capitis dolori, scabiei, comitialibus, & impetigini succurrit, sed modicè feruefactæ Senæ iusculum, potius quàm tritæ farina propinatur: internas etiã obstructiones reserat.

Facultates & auxilia Senæ, ex Arabibus medicis. CAP. IX.

Libro 2. purgantiũ medicamẽtorum simplicium, cap. 15.

IOANNES Mesues Damascenus, de Senæ facultatibus & præsidijs ad hũc scribit modum. Sena terget, expurgat & digerit: ob id melancholiam & bilem vstam à cerebro, sensorijs organis, pulmone, corde, hepate & liene deijcit. Proinde morbis dictarum partium ab humore huiusmodi proficiscentibus succurrit, vt melancholicis febribus & antiquis. Gaudiũ gignit, sublato humore absque causa externa tristante, & floridum corpus efficit, obstructionesq; viscerum aperit. Decoctum foliorũ eius & chamæmeli, neruos ac cerebrum lotione roborat. Eadem quoque Sena, modo quouis vsurpata, visum & auditũ firmat. Cuius purgatio si tarda fuerit & imbecilla,

Quonam modo iuue

mistis acribus celebrabitur: vt Zinzibere, sale gēmeo, sale Indo, & similibus. Ne verò stomachum lædat, cardiaca & stomachica ei sunt miscenda, & largo pondere ex iure galli, gallinę, vel aliarū carnium coquenda, vt citra molestiam purget: vel serò lactis infundetur cum spica, deinde parum diu feruebit. aut puluis foliorū eius ex lacte dulci sumetur. Sunt qui decocto eius cum prunis & spica fœliciter purgent. Cæterùm mediocrem sustinent coctionem. Hactenus Mesues.

tur & acceletur senæ purgatio.

Quibus misceri gaudeat Sena.

SERAPIO Arabum Medicus, hæc de facultatibus Senæ, posteritatis memoriæ reliquit. Sena mirificè prodest delirio, amentiæ, scissuris totius corporis, resolutioni neruorū, phthiriasi, cephalalgiæ, scabiei, pustulis, pruritui & epilepsiæ. Cor etiā roborat modò ijs commisceatur medicamentis, quæ ipsum maximè confirmant.

In lib. simplicium medicament.

Quibus succurrat morbus Sena, & quæ præstet auxilia hominibus, ex Latinis medicis, CAP. X.

IOannes Fernelius Senam & eius auxilia his commendat verbis: Sena melancholiam retorridam, nec non bilem, & crassam pituitam commodissimè purgat: non statim è distantioribus locis, sed præcipuè è liene, deinde etiam ex alijs visceribus, ex hypochondrijs & mesenterio: in quibus est omnis eluuiej sentina. Ex ijs enim sedibus vix aliud quidquam æquè validè corruptos humores prolicit, aut obduratos tumores euacuat, aut in tenues venas subiens, veteres earū obstructiones expedit: neque tamen vicinas hy-

Libro & loco prius citato.

Quas corporis partes maximè repurget Sena.

dropicorum aquas detrahere poteſt. Diuturnorum atque lentorum morborum, quos viſcerum impuritas, aut vetus obſtructio genuit, ſingulare eſt præſidium: vt lentarum, veterumq́ febrium, melancholiæ, epilepſiæ, ſcabiei, impetiginis, vitiliginis, elephantiaſis, & omnis deniq; impuritatis, Senſus pariter exacuit, cor exhilarat, torſionibus ſæpè moleſta: non quod flatulenta ſit, ſed q́ firmiter hærentes humores, & plerunque acres, nequeant ſine ſenſu doloris auelli. Nunquam tamen deprehenſum eſt, vel inteſtina corradere, vel ſanguinem proritare: blandè alioqui, ſed tamen lentè purgans: nulla qualitate infenſa, niſi q́ ventriculo aliquantùm grauis: pueris, ac ſenibus vtilis, neque prægnantibus aduerſa. Permiſcéda ei ſunt quæ ventriculum roborent, ſimulq́ tardiorem vim extimulent: cuiuſmodi ſunt Zingiber cinnamomum, aut ſpica; & quæ leniendo, ſine torſionibus, facilè deducant. Qualia ſunt iura pinguia, pruna, iuiubæ, vuæ paſſæ, viola, althea, polypodium: & qui ex his fiunt ſyrupi.

Mira Senç præſidia.

Senam flatulentam non eſſe.

Senam prægnantibus non eſſe aduerſam.

Quænam miſceri ſenæ cõueniat.

IACOBVS Syluius de Senæ auxilijs in hũc ſcribit modum: Sena folliculis latis, ſed falcatis, & in his ſemine, vtilior purgando humori melächolico & morbis ab eo pendentibus & prodeuntibus. Multis torminoſa eſt, alijs clemens, ꝓ varia ſumẽtium natura. Tutiùs tamen eſt maſtiche, vel caryophyllis, & alio (vt cinnamomo, ſemine aniſi) corrigere: folijs non eſt inefficax. Veteribus omninò indicta eſt planta.

Comment. in cap. 15. lib. 2. Ioan. Meſuæ.

MANARDVS Ferrarienſis ſe expertum dicit, Senam præter iam dicta, & contra Auerrhois ſententiam, pituitã etiã purgare: ex Actuarij Græci medici, vt antea monuimus, opinione & experimen-

rimento. Ad hæc, valere aduersus luem Hispanicã: Aquas etiã purgare sæpenumero visa est.

Senã valere aduersus luẽ hispanicam.

ANDREAS Matthiolus Dioscoridis interpres ad vnguem factus, de Sena hæc ex multis tradit: E nostrate Sena, inquit, adhuc in agro virente, & rosarum diluto, ego quotannis syrupum parare consueui, qui tutò & large omnes purgat humoras. Daturq́ commodè prægnantibus, ac pueris, & cuiuscunque ætatis hominibus. Dilutũ tamen magis præstat, quàm decoctum: quia nulla ex parte exhalat. Cuius vnciæ quinq́, vel sex, aluum absq́ molestia soluunt. Quòd tutò dari possit prægnantibus & pueris, experientia docuit: cui suffragatur Actuarius, Senam citra noxã purgare tradens. Redditur medicamentum hoc in deijcienda aluo præstantius atque valentius, si cassia nigra, aut manna, aut rhabarbaro, aut rosarũ dilato, aut rhodopharmaco, quod officinæ syrupum rosatum solutiuum vocant, commisceatur vocant, commisceatur: aut si maceretur Sena caprino sero. Viscerum obstructiones aperit, auget iuuentutem, senium retardat, animi hilaritatem adfert: & plæraque alia commoda præstat: de quibus anteà.

Commen. in cap. 70. lib. 3.

Dilutũ Senæ præstare eius decocto.

Quænã addẽda vt aluum valentius deijciat Sena.

Compositio præstantissimi diluti è Sena, eodẽ Andr. Matthiolo præscribente.

Caput XI.

SVmantur foliorum electissimæ Senæ drachmæ sex: Zinziberis, aut cinnamomi contriti, drachma vna: florum buglossi, drachmæ duæ: misceantur omnia, & fictili vitreato, aut stanneo vase angusti orificij excipiantur: affusisq́ feruentis aquæ, vel seri caprini, vncijs decẽ, vasis osculũ adeò occludatur, vt nullus omnino spirandi pateat

Efficacissimũ dilutũ è Sena & eius compositio.

teat

teat exitus. His peractis, puluinari plumis anſerinis farcto, igniq́ calefacto vas inuoluatur, & in arca vbi pernoctet, reponatur. Sic enim calore ſeruato, omnem in ſe facultatem dilutum recipiet, & ſummè efficax habebitur ad omnes paulò antè memoratos affectus, abſque vlla moleſtia & corporis noxa.

Vinum è Sena medicatum, ex Ioanne Meſue. CAP. XII.

Lib. 2. cap. 15.

VIno muſteo albo, inquit Meſues, miſcebat quidam vim magnam Senæ, poſt tres menſes potandum dabat: ſicq́ purgabat cerebrum & ſenſoria organa, nec non gaudium augebat, ac lætitiam.

Si quis alias formas componendi huiuſce vini medicati, & aliorum item quorumcunq́ ſcire cupit, legat quæ haud ita pridem à nobis ſcripta ſunt, in Opuſculo de varijs artificijs & facili methodo componendorum olerũ, radicũ, fructuũ, vuarum & vinorũ, quæ diuerſis morbis iucũdè, & abſque vlla noxa clementer ſuccurrant: illic inueniet quod didiciſſe iuuet.

Hæc ſunt quæ in præſentiarum de Senæ viribus & præſtantia ſcribere viſum fuit. Cuius πολυχρήστατα auxilia qui attentè obſeruabit, illã, reuerà, non amplius Senam, ſed Sanam herbam κατὰ μετωνυμίαν, καὶ συνεκδοχικῶς perappoſitè nũcupabit. Fruere, Lector optime, & ꝓpicio cæleſti illo Aeſculapio (ſine quo eſt omnis medicina venenum) fœliciter vtere: vt ſano, è Sena, ſit mens in corpore ſana.

FINIS.

ALEXIKEPVS SEV AVXILIARIS ET MEDICVS HORTVS, RERVM VARIARVM, ET SECRETORVM REMEDIORVM ACCESSIONE LOCUPLETATUS.

AVTORE ANTONIO MIZALDO MONLVCIENSI MEDICO.

COLONIAE.
Apud Ioannem Gymnicum, ſub Monocerote, M. D. LXXVI.

VIRO ERVDITIONE ET PRVDENTIA INSIGNI, IOANNI CAMVSIO, IN SECRETIORE Regis consilio Senatori, & Regij ærarij Præfecto, ANTON. MIZALDVS Medicus S. D.

HERBARIAE medicinæ admiranda secreta, & auxiliares, vt sic dicam, manus, dum olim perpendissent Imperatorum, Regum, & illustrium hominum quamplurimi, Vir ornatissime, & si in Republica administranda, & regendis prouincijs, tractandisque regnorum grauissimis negocijs valde essent occupati, eos nihilominus, captato ocio, non mediocre studium colendis hortis, & inquirendis plantis, scrutandisque illarum viribus adhibuisse, fidem faciet [vt herbas multas taceam, quæ à Regibus & illustribus viris earum inuentoribus & cultoribus, sua adhuc retinent nomina] celebre Diocletiani Imperatoris responsum, Herculio & Galerio, vt scribit Sextus Aurelius Victor, perappositè redditum. Quo scilicet tempore ab his sollicitè hortabatur ad recipiendum Imperium, quod vltro dimiserat. Vtinã, inquit ille, possetis visere olera nostris manibus Salonæ instituta, profecto istud tẽtandũ nunquã iudicaretis, nec me ad onerosum Imperij diadema repetẽdũ tã anxiè sollicitaretis. Credibile est, sanè, id rei herbariæ studiũ, eamq; hortensiũ curã, tãtos viros nunq̃ inuasisse, ꝙ plantarum

cognitio illis iucunda esset ac delectabilis, sed quòd saluberrima, & omnium vtilissima videretur, cùm ad vitæ cõmunis vsum, tum ad tuendam sanitatem, & præcauendos, abigendosue morbos, seu instantes, seu præsentes. Quæ singula, ad excurrendum ærumnosæ istius mortalis vitæ lubricum stadiolum, cùm alijs, tum maximè prudentibus & circumspectis viris, iuuaudæ Reipublic. natis & vocatis summè optanda, omniq́ue ope comparanda esse quis neget? Horum itaque virorum albo ascriptus cùm sis, nec frustra, nec temerè, priscorum memorabili exemplo inuitaris & tuapte sdonte moueris ad herbariæ medicinæ simplicis & hortensis cognitionem adipiscendam: vt tibi imprimis, deinde tuis, M. Catonis exemplo, [sicuti pauló pòst audies] commodè, &, si quando vrgebit occasio, Hippocrati nostro præceps & lubrica nuncupata, ex tempore, consulere, ac salubriter prospicere queas. Hoc sane tam præclarum tuum institutum simul atque fama mihi nunciauit, imò veró, vbi res ipsa ipsa coram mihi indicauit, & familiari tuo colloquio aperuit, iam inde cogitare non cessaui, quonam modo hac in parte, qualicunque studio meo, & industria prodesse tibi possem: Tibi, inquam summopere mihi amico, & veteri meo συμμαθητῃ, cùm prima in mathematicis disciplinis hic iaceremus fundamenta, sub eximio & incompurabili viro ORONTIO FINAEO, Regio illarum professore & illustratore vtrique nostrum amicissimo. Itaque dum in eam cogitationem & diu, & multum incubuissem & ferè succubuissem, quod nihil in toto inopiæ meæ cornu & chartacea supellectile se offerret tuo dignum desiderio & iuuando instituto proprium, factum est tandem, vt quod diuum promittere nemo audebat, sicuti canit poeta, voluenda dies nobis daret vltrò. Quid illud est, inquies? nimirum Hortulus hic medicus. Eo etenim duce, ceu herbario quodam Theseo, & medico προδρόμῳ, ac pædagogo, facili manu, faciliore comitatu, ac facilli

medi-

medicæ doctrinæ colloquio deduceris per omnes hortensium plantarum & arborum familias. Hic vbi & paucis & accuratè doceberis, Quid valeat quæque, & quem morbis præbeat vsum. Illo itaque, tuo Hortulo, Vir prudentiss. salubriter & fœliciter fruere, aspirante cœlesti Aesculapio, sine quo est omnis medicina venenum. Cuius immensa bonitas faxit, vt Xeniolum hocce nostrum, nouo & ineunte hoc anno, antiquorum more, tibi candide & ex animo oblatum, gratissimum fuisse percipiamus: Auspicio fœlix totus vt annus eat. Lutetiæ, Calend. Ianuarij, Anno Domini, 1574.

ANTONII MIZALDI

IN ALEXIKEPVM, SEV AVXI-liarem & medicum Hortum, Prolegomena.

VITAE humanę auxiliatrix illa & morborum medicatrix Officina, Gręcorũ antiquissimis Ἀλεξίκηπος, nobis adiutorius opifex, & salutaris Hortus nuncupata, animum meũ in admirationem curæ diligentiæq́; maiorum mirum in modum agit. Qui nullo testudinis aut lyræ sono, vt olim Orpheus & Amphion, vsi, sed operosa animi & corporis contentione, peruigiliq́; studio, longinquas syluas, & arduos monteis inuiósque saltus in oppidis & rusticis tuguriolis, habitare coëgerunt. Quod tum maximè contigit, quando mortalium generi saluberrimas & beneficentissimas plantas ac arbores à noxijs & maleficis secretas, posita omni feritate agresti, cicures ac domesticas reddiderunt: hoc est, à syluis & montibus, vbi alendis duntaxat & stabulandis feris, nidulandisq́; volucribus & stabant & cadebant, in vitæ vsum & alimoniam hominum, paulatim ad vrbanos & rusticos hortos ædibus vicinos (ne longius posthac esset eundum) ceu aurigæ quidam, οὐρανόθεν, hoc est, è cœlo missi, deduxerunt, & diligẽti cura, cultuq́; industrio, pueris ac senibus familiares reddiderunt. O terque, quaterq́; beatos homines: qui Herculeis armati viribus,

Hortus humanæ vitæ auxiliatrix officina.

Priscos coegisse syluas, rura, & montes in vrbib⁹ habitare, & quonámodo

bus,

bus, & Nestorea præditi sapiētia, nihil intentatū, inexpertumque esse voluerunt, nihil denique occultatum, & opertū quod posteritati profuturū agnoscerent: Hinc scilicet hortorum inenarrabilis ille prouētus, & hortensiū cōmoda mille, mille iuuādi arteis, seu vitę subsidia spectes, seu morborum remedia, ad hæc vsque sæcula, ceu per manus patrum in filios, & filiorum in nepotes, natorùmque natos, & quotquot nascētur ab illis, immensa Dei Opt. Max. bonitate, tot iam labētibus annis fœliciter processerunt, procedentq́ deinceps, nisi hominum obstiterit vecordia. An verò nos tot opes & tātam à tantis viris, tanto labore partam, & veluti hæreditario iure nobis relictā possessionem, comparatamq́ fœlicitatem ex innumera illa hortensium remediorum materia, abscondemus, nepotumq́ nostrorum vitam etiā alienis bonis, nedū nostris, turpiter & iniquè defraudari patiemur? Ita sanè maiorum inuenta & bona publicæ vtilitati inuident, qui posteritatis immemores sibi duntaxat viuūt, sibi solis sapiūt, & hac vitæ vsura, cochlearū more fruuntur: sæua, ita me Deus amet, mercede, aduersus illos qui de obscurissimo fumo perspicuam lucē eis dederūt, & de asperis mōtibus, opacísque nemoribus, ceu de terræ stercoribus, gēmas & preciosissimū aurum, gratis, sed non absque puluere & sudore, eruerunt: non alio sanè animo, nec spe alia, aut concepto voto alio, nisi vt tantorum bonorum particeps fieret posteritas, eademq́ maneret cura nepotes. Ne itaque in hac dijs & hominibus exosa ingratorum cymba me nauigasse obijceret posteritas, ego toto vitæ meæ curriculo manibus & pedibus omnem moui lapidem, vt studiū qua-

Priscorū geoponicorum mira diligentia in iuuanda posteritate.

Nepotes laborū & fœlicitatis maiorū participes fieri debere.

Hęc videant βιϐλιοφύλακες vel potius βιβλιοτάφιοι, nostri temporis.

ſecunque meum & pertenuem induſtriam in Rei publicæ vſum & commodum, pro mea Mineruula, ſedulo conuerterem: & quę pręcioſa, à Deo imprimis, deinde à maioribus meis, & me doctioribus viris accepi, ſanè quàm libēter in commune bonum proferrem. Qua in re, cùm ego hactenus totus fuerim, & mira voluntate, animíque propenſione adhuc ſim, & in poſterum, ſuperis fauentibus eſſe mediter, vel neglecta valetudinis & fortunarum mearum iactura, quæ in dies graue hinc mihi facit negotium, ecce, medicum hũc Hortulum publicæ vtilitati offero & depromo. Haud ignarus non defuturos qui illum ſuperciliosè ſint excepturi, & fortaſsis ſuperciliosiùs lecturi, ad hunc, demorſo labro, obmurmurantes modum: Vah quid iſti venit in mentem velle hodie morborum remedia per tot annorum centurias in hortis ociosè iacẽtia, & animalium, hominumque pedibus vbique conculcata, vigente medicaminũ omnis generis tanta copia, ſuſcitare, & reditura commonſtrare? Non illud eſt, inquient, irridere, & vnà oleum ac operam ludere? Sanè, & ſi anceps eſſe ſciam ac lubricum rerum omnium cùm nouarum, tum renouandarum propoſitum videaturque hocce inſtitutum arduum, & quæſtuoſo iſto tempore admodum operoſum, nihilominus tentandum venit: quid enim tentaſſe nocebit, tam grandi & ſalutari vitę pauperum & popularium emolumento, ſeu præſentes morbos abigere ſatagant, ſeu inſtantes auertere? Quibus per rei familiaris anguſtiam & prementem inopiam, liberum non eſt medicos accerſere, & ab illis ad quæſtuoſòs pharmacopolas, quoties libet, diuertere. Precium itaq; operæ facturũ me putaui, ſi in

Autoris mira voluntas & par anim⁹ in commune bonũ iuuandum.

Moroſorũ, calũniantiũ, & inuidorũ plena omnia.

Pium valde opus & vtile pauperes iuuare.

pau-

pauperum & popularium gratiam demonstrarē morborum remedia & vitę auxilia, ex eorũ Hortulis & viridarijs, statim ac facilè posse cõparari: Adhæc, vt cuique manifestum facerem, quòd

Multa renascentur, quæ iam cecidêre: cadentq́ue,
Quæ nunc vsus habet medicamina: si volet ille,
Et ratio: quibus est & vis & norma medendi.

Omniũ rerum statæ sunt vicissitudines.

Cæterùm, institutum hocce nostrum nec nouum nec inauditum esse fatebuntur, qui vel legerint, vel saltem audiuerint herbariã & hortẽsem medicinam omnium primã â Pythagora & Democrito integris voluminibus descriptã fuisse: & ab eodẽ Democrito ab Aegyptijs acceptã, Hippocrati amico & συγχρόνῳ suo cõmunicatam. Quę, vt inuentis hominum paulatim locupletaretur, autores sunt Herodotus, Strabo, Plutarchus, & alij, piaculum olim fuisse, ægrotos in publicum stratũ, Aegyptiorum more, delatos pręterire, nisi priùs à prætereunte nunciatum esset, quibus herbis & auxilijs simili correptus morbo ipse vel alius sanitatem recuperasset. Addam ex Pausania, fuisse in Epidauro lucum Aesculapio, successori Apollinis in arte medẽdi, sacratũ, in quo templũ erat rotundum, marmore candido elaboratum, & columnis quamplurimis suffultum, in quibus tum virorum, tum mulierum Aesculapij auxilio sanatorum, nomina insculpta erant: & insertum quo quisq; morbo laborasset, & quibus signis deprehensum id esset, quibúsue herbis, remedijs & curationis methodo progressum. Quam methodum aiunt Hippocratem, conflagrato templo, in Aphorismos, sententias et artẽ digessisse. Hinc nimirũ, & ex eo tẽpore apud varias genteis templa

Herbaria medicina omnium prima.

Aegyptiorũ mos.

Aesculapij templum in Epidauri luco quorsum institutum & conditũ.

Aesculapio in syluis & medijs vijs extra vrbeis passim condita esse leguntur. Quæ, per deos immortales, quid aliud significauerũt quàm prisca et prima morborũ remedia non fuisse in vrbibus & officinis, sed in agris & syluis, vbi νοσόθεος καὶ ἀλεξίμορος ille implorabatur, et ægrotãtibus eò tendentibus, vel, eorũ gratia, alijs, quid agendum foret, opportunè suggerebatur? Næ, syluæ, inquit Plinius, horridiorq; naturæ facies medicinis nõ carent: sacra illa parente rerum omniũ nusquam non remedia homini disponente. Quæ quidẽ remedia summo studio, vt pręmonuimus, & accuratissima diligentia, à priscis operũ naturæ scrutatoribus indefessis & cultoribus excellentissimis, tandẽ ex syluis & montibus, horridiore naturæ facie, ad vrbanos & rusticos hortos, Deo Opt. Max. viã monstrante, fœliciter concesserũt & cõmigrarunt. Quis, obsecro, inficias iuerit populũ Romanũ annis sexcẽtis & ampliùs, gentiũq; millies millena millia, à mundi exordio salubriter longæuã ætatem vixisse absq; pharmacopolis & medicis, sed non tamen absq; medicina? Quæ, vt simplex erat & suauis, ita inuẽtu & paratu facilis, quia altilis, vernacula & hortensis. Quis nescit Marcum illũ Catonem, triumpho, cẽsura, & literarũ claritate insignem, herbis quas plantauerat, et maximè hortẽsi brassica vsum, se, coniugẽ, filiũ, necnon libertos & familiares ad longæuam senectutem incolumes perduxisse? Quis non legit Antoniũ Castorẽ, cui Plinius in herbarũ cognitione omnia, exceptis paucis, fatetur se debere, tanquam ei cui summa esset autoritas in ea arte, plantas quamplurimas in suo horto habuisse & aluisse, quarũ subsidijs illęso sanitatis robore centesi-

Quorsum Aesculapij templa in medijs vijs condita.

Medicaminum plena omnia.

Romanos & alio, diu absque medicis, sed non sine medicinis vixisse.

M. Catonis Brassica medica.

Antonij Castoris Hortus medicus.

tesimum transegit annũ, ac ne ętate quidẽ memoria aut vigore cõcussis. Nónne Sabinus Tyro librũ κηπουρικῶν, id est, hortensium, edidit, & tuendæ valetudini Mecœnati dicauit? Num Valgius Romanus, & Pompeius Lenæus Põpeij magni libertus, herbariam medicinam è bibliotheca Mithridatis à Pompeio deuicti comparatam, Romanis exhibuerunt? Si antiquiora exigis, consule Marc. Varronem: ex illo statim audies sapientissimum illum & eloquentiss. Nestorem (qui Troiani belli temporibus ante Romã conditam annis trecentis, vel ampliùs, sub Dauidis tẽpora floruit) ἀλεξίκηπον, id est, auxiliarẽ et medicum hortũ habuisse, eúmque eleganti carmine descripsisse. Fuit itaque hortensis medicina antiquissima, &, Senecæ amplissimo testimonio, olim paucarum herbarum scientia. Quæ deinde in tam multiplicem varietatẽ peruenit, posteaquam multos & varios dubiosq́ morbos, multa, varia & dubia fecerunt fercula, certo ac merito luxurię supplicio. A quo immunes erant, qui nondum se delicijs soluerãt, & qui sibi imperabant, sibi ministrabant, & simplici, tenuiq́ victu vtebãtur. Qui postquam cœpit non ad tollendã famem, sed potiùs irritãdam quæri, & hinc mille sunt inuentæ cõditurae quibus auiditas excitaretur, tũ miserabilior valetudo, vita & facies ex his, quã ex frugalitate & simplici victu emersit, multoq́ miserabilior ad posteros trãsitura est, nisi voluptatibus vltra modũ concupitis fręnũ inijciãt helluones, terræ & maris vastatores. Quorũ tam varios & multiplices morbos, ecquid, obsecro, miraberis, si coquos diligẽter numeraueris, eorumq́ artificia sedulò obseruaueris? quæ, & medicorũ, & pharmacopæorum

Nestoris Hortus auxiliaris.

Cur medicina olim paucarũ herbarum scientia in tantam varietatem venerit.

Coquos cũ suis varijs artificijs, morborum variorũ autores esse.

rum multas, iure bono, hinc alunt familias. Sed quò, instituti mei oblitus, digredior? Redeo itaq; è diuerticulo in viam, & hortensem medicinam priscis Romanis summo in precio habitã, repeto. Apud quos, cùm annis à condita vrbe D C, & amplius, vt antea scripsimus, obuijs vlnis, quod aiunt, excepta fuisset, eamq; omnium diligentissimè excoluisset Marc. Cato vsq; ad annum vitæ suæ 85. (ne quis illi tempora ad experiendum defuisse existimet) tandem crescente cum imperio opulentia, & omni gulæ ac veneris scelerata vbique licentia, è medio hominum cœtu abire, & longè exulare coacta fuit: accersitis ex eo tempore, cùm nauibus, tũ equis, ex Asia, Græcia, Aegypto Sicilia, Arabia, Massilia, et alijs exteris nationibus, medicis quibuscunque: contra Marci Catonis oraculum Marco filio, longè antè, ad hunc enunciatũ modum: Hoc puta vatẽ dixisse, Quandocunq; ista gens, Marce fili, (de Græcis loquens) medicos suos hic mittet, omnia corrũpet. Iurârũt enim inter se, barbaros omneis (sic enim Græci alias à se nationes nuncupabãt) necare medicina: sed hoc ipsi, inquit, mercede facient, vt facilè disperdant. Id quod multorum exitio tandẽ contigit. Cum enim hi fata regere crederentur, Romã ingressi, imperia sanè quàm sæua exercuerũt, et hinc Plinio ansam præbuerunt scribẽdi, medicinam artium omnium vnam esse quæ imperãtibus imperet, ac homines impunè occidat. Videbamus, inquit ille, consulares senes hybernis ægros algoribus, in lacus demersos ad stuporẽ vsq; rigentes: eoq; cæcitatis tum ventum fuit (perinde atque hodie) vt quibuscunque se medicos, vel de nomine, aut habitu, opinióve profitentibus, statim

Vnde priscæ medicinæ hortensis fuga & exiliũ.

M. Catonis oraculum de exteris medicis.

tim

tim crederetur: cùm in nullo mendacio periculũ vllum ſit periculoſius. Hi itaq; vt nouitate quadam, ſicuti in medendi arte à pleriſq; fieri ſolet, famam aucuparentur, cœperunt illico hortẽſeis materias et medicinas publicè damnare, irridere, & inflatis buccis vſq; ad nauſeam deſpuere. Quas vt prorſus perderent, & ad templum obliuionis perpetuò relegarẽt, quæſtuoſiſsimas officinas, & pharmacopolia, in quibus, vt ſcribit Plinius, ſua cuiq; homini venalis promittitur vita, barbaris & inauditis medicamentis, ac nomenclaturis ſuperba & illuſtria paulatim ſecũ deduxerũt & introduxerũt. Quæ iam inde radices adeò propagarunt, & artifices ſuos tam lõgè & latè ſparſerunt, vt hodie de illis meritò dici poſsit, *Quis enim non vicus abundat?* In his nemo non videt innumeras pyxides argenteo nitore decoras: capſulas miro artificio picturatas, & vaſcula ſanè quàm elegantia, ſed quæ alicubi nunquam vel orientem, vel occidentem Solem viderunt, & perquàm rarò aperta fuerunt: Vt taceam indicibilia artificia, inexplicabileſq; miſturas et compoſitiones, quas ſolis hominum ingenijs cõſtare, vel antiqua Plinij autoritate, certum eſt. Non fecit, inquit, ille, cerata, malagmata, emplaſtra, collyria, antidota, & id genus alia, parens illa & diuina rerum artifex omnium Natura, officinarũ & auaritiæ commenta ſunt. Nã Naturę opera ſimplicia, abſoluta atq; perfecta gignũtur. Perperam itaque faciunt, qui neglectis ſimplicibus naturæ bonis, vltrò ac liberaliter nobis oblatis, & abſq; magno artificio, ſumptu, fuco, labore & apparatu abſolutis ac ſuauibus, ad externa & lõginqua remedia cõpoſita, dubia, ingrata, nauſeabunda, incognita, et

Quando & quomodo hortẽſis medicina è medio hominũ ſublata fuerit.

Pharmacopoliorũ magnus vbique numerus.

Artificia & compoſitiones pharmacopœorum, vnde.

Simplicia priora compoſitis, & ob id pręferẽda.

ſæpe-

ſæpenumerò ſuſpecta confugiunt. Quibus comparandis, & vitæ & fortunarum alea, ſanè quàm incerta, lubrica & momentanea.

Impiger ad Græcos, Mauros, Babylonas & Indos,
Velis ac remis pharmacopola volat.

Quod quàm temerè fiat, ex Plinio audire graue non ſit. Nos, inquit, Indicarum, Arabicarumq; mercium, aut externi orbis medicinas nequaquã attingimus. Non placent remedijs tam longè naſcẽtia, quæ nobis nõ gignuntur, imò ne illis quidem, alioquin non venderent. Audis ſummi viri ſententiã longè antiquiſsimã de exoticis & barbaris medicamẽtis: quæ hodie apud multos tanti fiunt, adeóque probantur & placent, vt malè ſarta putetur eſſe vita, & corporis valetudo parũ firma, niſi barbaris & ſæpenumero adulteratis medicamentis, magnoq; emptis & ſuſpectis, miſerrimè deluſa fuerit. ô quantũ eſt in rebus inane. Hinc ſcilicet, vlceri admodũ paruo & leui morbo medicina è rubro mari ac nouis inſulis accerſitur: cùm vera & neutiquã ſuſpecta remedia, vt ille idẽ teſtatur Plinius, pauperrimus quiſq; cœnet, ac pedibus ſuis in ꝓprio hortulo, vel agello, quotidie conculcet. Hæc ſi ita ſunt, vt re vera eſſe cõſtat, quis, per deos immortales, non dicat ſtultum, imò verò inſanũ eſſe, longiùs quærere quod ante pedes iacet, ſumptuq; periculoſo ac dubio id comparare, quod ſæpenumero impoſtura & veneficio conſtat? Multò itaque tutiùs fuerit, vt ſcripſit ad Antigonum regem Diocles Caryſtius medicus ab Hippocrate fama & ætate ſecundus, & à Galeno tantopere commendatus, ijs vti quibus delinqui facilè nõ poteſt. Ex quorum numero

Longè petita & naſcentia, non debere remedijs placere.

Barbara medicamenta ſuſpecta.

Vera remedia in hortis pedibus calcari.

Dioclis aureum hoc Opuſculum à nobis haud ita pridẽ in lucẽ venit.

ro ſunt, vt ille idẽ tradit, beta, aqua mulſa incocta, malua, rumex, mercurialis, & omnia melle cõdita: cuncta enim hæc alui deijciunt ſedimina. Arcades, vt autor eſt Plinius, medicaminibus nequaquã vtuntur, ſed lacte circa ver: quod tunc ſuccis maximè turgeãt herbæ, medicenturque vbera paſcuis. Bibunt aũt vaccinum, quoniã boues omniuoræ ferè ſunt, & ob id tunc tẽporis medicatum lac habent. Hinc ſanè haudquaquam temerè factum crediderim, quòd gentes pleræque Maij menſis butyrum diligenter ſibi comparẽt, & ad multos vſus diligentiùs condant ac reponant. Dic, amabo te, non ſumma eſt cæcitas peregrinis & incertis ita ſubſcribere, vt tua certa & probata negligas? Non deridenda, vel potiùs commiſeranda eſt amentia, dum tibi ſcire non libet, quid ſaluti tuæ cõducat, alienis pedibus ita ambulare, alienis oculis ita inſpicere, auribus alienis ſic audire, aliorum manibus ſic omnia accipere, & de aliorum præſcripto ac iudicio ite pẽdere, vt tibi prorſus aliena ope, arbitrio ac volũtate, miſerrimè ſit viuendum & moriendum? Siccine vitæ & morborum patria ſubſidia in hortis deſpecta iacebunt, ac ſi duntaxat ventri ſaburrando, oculis paſcendis & naribus recreãdis, à rerum omnium parente Deo, & ei ancillante Natura (quã iuſtiſsimam vbique noſter nuncupat Hippocrates) vltrò & data & oblata eſſent: aut alẽdis tãtùm vermibus, erucis, limacibus & araneis nata? Quid hoc, quæſo, conſilij & prudẽtiæ eſt, ęgrotos toties repetitis pharmacis, viſu, guſtu & olfactu, imò verò auditu, & ſolo nomine iniucũdis, moleſtis, ac nauſeã mouẽtibus, excarnificare, quos ſemel, vel iterũ ſimplici herbula hortẽſi, à morbo iucũdè,

Animalium lac vere nouo medicamentoſum eſſe.

Miſerrima eſt vita, quæ pendet ex aliorum ope & arbitrio.

Pulchra & notatu ſanè quàm digna.

tutò

tutò ac citò posſis redimere. Nõ mera eſt ſtupiditas, dubia & ſuſpecta ita perſequi, ſic, ꝓbare, amplecti & ambire, vt certã, extemporaneã, et omni tempore vigentẽ domi tuæ medicinã pro nihilo ducas? Medemur, ſcilicet, aliena fide, & famã exoticorum medicamentorũ autoritate neſcio qua, varijsq́ꝫ rerum (quas vix clitellatus veheret aſellus) miſcellaneis & centonibus, multipliciq́ꝫ ingredientium, vt dici ſolet, farragine oſtẽtationis plena, ceu quodã aucupio venamur. Quaſi verò facultates rerum aceruatim congeſtarũ, & veluti geomanticis punctis, fortuitò ab oſtẽtatoribus, veriùs quàm doctoribus pleriſq́ꝫ ſcriptarum, ex eorũ cadãt arbitrio. Scrupulatim, inquit Plinius, colligere ac miſcere rerum vireis, non coniecturę humanæ eſt opus, ſed impudentiæ. Quid illud quod Hippocrates in quadã epiſtola ad Crateuã herbarium & ῥιζοτόμον ſuum ſcribit, incertam eſſe coniecturam eorum qui in purgationibus etiam cautè procedant. An quòd nullum ſit medicamẽtum purgans, quod non aliquam partem de viribus noſtri corporis & ſubſtãtia eius deprędetur? Hinc Auicenna rectè dixiſſe mihi videtur, quòd medicinas bibere, etiam ſi venenoſæ non ſint, tamen naturæ laborioſum eſſe ſolet. Cui Plato ſuffragatur ad hunc ſcribens ſenſum, Nullo modo ſanæ mentis homini ſuſcipiẽda eſt illa medicorũ purgatio, quę pharmacis, id eſt ſolutiuis medelis (præſertim violentis) fieri cõſueuit. Morbi enim niſi periculoſiſsimi ſint, pharmacis temerè irritãdi nõ ſunt. Hæc dum audit, amice lector, ſollicitè quæres ecquid in tã dubio & ancipiti pharmacorum caſu & vſu, ſeriò ac tutò tibi agendum ſit: Fruere priſcorũ ſalutari more: elige ex tuo hortulo

Dubia & ſuſpecta, pro certis vſurpanda non eſſe.

Remedia & rerum facultates ex farragine et miſcellaneis ſcriptorum æſtimari nõ debere.

Aureæ Auicennæ, Hippocratis & Platonis ſententiæ.

Autoris monitio & conſilium pro pauperibus

tulo & agello medicas materias tibi notas ac familiares, apud te natas, tecũ educatas, maioribus tuis assuetas, patriæ probatas, & sub eodẽ cœlo, in eodemq́ aëre & natali solo tecum degentes, ac simili genio gaudentes. Quarũ copia, vbi visum erit, & quoties desideratum tibi fuerit, recens ac vegeta, illico, ne longiùs sit eundum, & expectando languendum, cõparari poterit. Fallax est medicus, inquit Arnaldus à Villanoua, aut ignarus, qui quærit inusitata & rara, cùm possit communibus subuenire languenti: addit, quòd prudens & pius medicus, morbum in primis expellere satagit medicinalibus cibis, potius quã puris medicinis. Sunt autẽ medicinales cibi, qui in hortis apud nos vigent & nascuntur. Irride itaq́ barbarorũ medicamentorũ vanos ostentatores & impostores. Exsibila exoticorũ pharmacorum præcones, & eorundem, ad nauseam vsq́, helluones. Quibus nihil potest placere nisi quod Indiam sonet, Hesperiam resipiat, Aphricã agnoscat, & nobis opposito Antipodum mittatur ab orbe. Vis audire quid Andreas Matthiolus Dioscoridis interpres diligentiss. de exoticis & barbaris medicamentis senserit? Animaduertendum, inquit, quòd hoc æuo sincera haud facilè inuenias medicamẽta quæ ex barbaris, & omnium maximè ex Alexandria Aegypti, & Syria, ad nos conuehũtur. Si quidem cùm omnia per Mauritanorũ, Turcarũ, Iudæorumq́ manus transeant, qui nobis Christicolis semper dolos fraudesq́ moliuntur, Dijs sacrificiũ facere sibi persuadent, si nos in re quãpiam fallere & inficere possint. Subsanna igitur eos qui peregrina φάρμακα, tum simplicia, tum cõposita, cum suis barbaris nomẽclaturis ad mira-

& populari statu ægrotãtium.

Arnaldi à Villanoua sententia summè notanda.

De exoticis & barbaris medicamentis, Andr. Matthioli opinio præclara.

culum vſq; extollunt & prædicant. Quæ,reuera quandoq; expiatione plus indigẽt, quàm vt corpora ritè expiare & purgare queant. Sanè ſi patres noſtri circunſpectè & æquis animis admiſiſſent ac ſuſtinuiſſent,non nouas inquam,& ex nouo orbe aduenas medicinas,ſed veteres & hortenſes hoſpites poſtliminio ſeſe recipientes, ſentiremus vtique non vulgarem vtilitatem,& minimè ſuſpectam ex harum reditu . Agè itaq;,vernaculas opes,& auita hortorum tuorum remedia,nequaquam obſoleta, putria,arida, & à ſoricibus, araneis, vermiculis , tineis, blattis, muſcis, marcore ac ſitu minimè vitiata,& cum eis rixãdo totum quandoque quinquennium, vt fieri ſolet in quibuſdam pharmacothecis, nuſquam verſata, externis,& huius plumæ alijs,ſenio,vetuſtate,& longæua repoſitione exſuccis, corrugatis ac toto corpore flaccidis & emaciatis, conſtanter oppone & præpone : ac priſcam illam hortenſem medicinam extemporaneam, recentem et fidam, è tenebris in apertam lucem promoue, obſidem redime, exulantem reuoca , & iacenti, opémque poſcenti,manum libenter porrige, vt reſurgat & veterem poſſeſsionem ſuam opportunè repetat. Et vt idem faciant noti,propinqui, familiares & amici tui omnes, contende, inſta, & pro viribus adnitere: illisqúe propone veriſsimum eſſe Fabij Quintiliani illud, Vſitatis tutiùs vtimur , noua non ſine periculo vſurpamus. Cogita ea remedia optima eſſe, q̃ pluribus cognita & probata ſunt, qualia eſſe diximus hortẽſia,non minùs alimẽtis & medicamẽtis hodie,quàm olim,& nata,& expoſita:nam,ſi neſcis, *Antiquis eſcas hortus dedit & medicinas*,vt autor eſt poëta herbularius.Sed illis tamen

Peregrina pharmaca expiatione indigere.

Quantum differant hortenſia remedia & auxilia ab alijs.

Exhortatio ad hortenſem medicinæ vſum.

Pharmacopolla & pharmaco-

tamen sic vtaris velim, vt ne extranea remedia ad vnguem nota, selecta, & longo tẽpore explorata omnino reijcias: nec pharmacopolia & pharmacopœorum artificia spernas ac prorsus inutilia esse cẽseas. Quæ valde probamus, & summoperè laudamus modò nacta sint doctos, peritos, fidos, & cordatos artifices, probis materijs instructos, & in vtraq; pharmaceutices parte diligenter versatos: &, quod summum est, qui caritatem ex animo amplectãtur, & fugiant nomẽ auari. Quod sua benignitate faxit cœlestis ille Aesculapius, sine quo est omnis medicina venenum: & qui de se, veriùs quàm Apollo apud Ouidium, dicat:

Pœorum artificia & materias ab autore valde probari, & qualiter. Pia & religiosa prologi huius conclusio.

Inuentum medicina meum est, opifexq́; per orbem
Dicor, & herbarum subiecta potentia nobis.

Nec temerè, mea quidẽ sententia: scripsit enim Iesus Syrach inter Hebræos prudẽtissimus, & diuino præditus spiritu, παρὰ ὑψίστου ἐστὶν ἴασις, καὶ γὰρ κύριος ἔκτισεν ἐκ γῆς φάρμακα: quod sonat, ab altissimo est medicina, creauit etenim Dominus pharmaca è terra. Quod lõgè ante Moses Hebreus scriptor, omnium eorũ qui extãt antiquissimus, etiã testatus est, dicens, Deum Opt. Max. herbas ac plãtas è terra condidisse, vt ijs propagata ab Adamo soboles terrestris cõmodè & salubriter vteretur ad propulsandos morbos. Cui subscribit Theodoretus Episcopus suis in Genesim quæstionibus ad hunc loquens modum. Præuidens Dominus, quod homines in morbos prolaberentur (vtpotè qui sententiam mortis propter peccatum receperãt) iussit terram herbas producere non tantùm esui aptas, sed etiam morbis depellendis idoneas. Verumenimuero ἀπολεγούμενα hæc Theologis relinquemus,

Cur pharmaca ab altissimo è terra creata.

quemus, & coronidem hisce προλεγομένοις imponemus: vt quod medicorum est promittant medici, & tractent fabrilia fabri.

Hæc itaque in medicum Hortulum vtcunque prefati ad auxiliares rerum illius facultates calamum conuertemus, vbi primùm ipsius Hortuli, ceu de tabella, formam, & quo illum digessimus modo in proprios campos & congeneres areas, ordinem tibi proposuerimus, & alphabeticum, vt loquuntur, Indicem rerum in eo describendarum seriatim subiecerimus. verba itaq; sic in rem ipsam conferimus.

HORTVM MEDICVM IN CAMPOS VEL REGIONES OCTO, PROPRIJS AREIS DISCRETAS, QVO SEQVITVR ORDINE DISPOSVIMVS

CAMPVS primus olera aquot cibaria, decem areolis hac serie complectitur.

1 Lactuca.
2 Brassica.
3 Petroselinum.
4 Portulaca.
5 Beta.
6 Blitum.
7 Oxalis.
8 Spinacea.
9 Borrago.
10 Asparagi.

CAMPVS secundus radices aliquot esculentas, quatuor areolis concludit.

1 Porrum.
2 Cepa.
3 Allium.
4 Raphanus.

CAMPVS tertius herbas odoratas XI. areolis distribuit.

1 Saluia.
2 Hyssopus.
3 Satureia.
4 Maiorana.
5 Fœniculũ. 6 Mentha.
7 Thymus.
8 Ocimum.
9 Orualla.
10 Rosmarinus.
11 Lauendula.

CAM-

CAMPVS quartus herbaceos & fruticeos fructus VI. areis continet.

1 Cucurbita.
2 Cucumis.
3 Pepo, melo & melopepo
4 Cinara seu alticocalus.
5 Fragaria & Frabœsia.
6 Grossulæ.

CAMPVS quintus flores aliquot, tam odoros quàm inodoros, IX. areolis disseminat.

1 Rosa.
2 Lilium.
3 Leucoion.
4 Viola Martia seu purpurea.
5 Vetonica altilis, seu Oilhetum.
6 Phlogium, seu Pensea & Bellis,
7 Iris.
8 Amarantus.
9 Solsequium.

CANPVS sextus plantas XI. non esculentas, areis totidem recipit.

1 Absinthium.
2 Abrotonum.
3 Ruta. 4 Vrtica.
5 Plantago.
6 Artemesia & Tanacetũ.
7 Chelidonium.
8 Mercurialis.
9 Parietaria.
10 Malua.
11 Lathyris seu Cataputia. & Ricinus, seu Palma Christi.

CAMPVS septimus pomiferas arbores 13. totidẽ areis implantat hac serie.

1 Malus & eius pomum.
2 Pyrus.
3 Cotonea.
4 Prunus.
5 Cerasus.
6 Morus 7 Persica.
8 Mespilus & Sorbus.
9 Citria malus.
10 Aurantia & Limonia.
11 Punica malus.
12 Ficus.
13 Olea.

CAMPVS octauus arbores nuciferas & bacciferas VIII. areis totidem imponit hoc ordine.

1 Iuglans & eius nux.
2 Amygdalus.
3 Pinus.
4 Corylus & auellana.
5 Castanea.
6 Laurus & eius baccæ.
7 Iuniperus.
8 Sambucus & Ebulus.

Plantæ & frutices in summa. LVI.

Arbores & earum fructus, XXIIII.

INDEX ALPHABETICVS PLANTArum & Arborum, quarum facultates in hoc Alexikepo describuntur,

Poma

FINIS INDICIS.

ANTONII MIZALDI
MONLVCIENSIS, MEDICI,
ALEXIKEPVS, SEV AVXI- liaris & medicus hortus.

Cur à Lactuca incipiat hæc medica historia.

INSTITVTI nostri fores aperiet vna Lactuca. Non quòd ei olerũ & hortorum principatum velim ascribere, contra M. Catonem & Plinium: qui illum, vt suo dicemus loco, Brassicæ constãter adiudicant, quin potiùs, quòd sciam Lactucam salubrem & euchymam esse plantam inter omnes hortenses, & ob id benedictum olus, ab Auicenna appellari. Qua dote & priuilegio, certum est illam priscis vsque adeò placuisse, & tanta cura excultam fuisse, vt ab ea Lactucinos in Valeria familia, Plinio autore, cognominari non puduerit. Illa, illa est qua D. Cæsar Octauianus Augustus, in lõga & ancipiti ęgritudine, consilio Antonij Musæ medici excellentissimi, conseruatus fuit. Vnde statuam collato ære iuxta signum Aesculapij, Suetonio Tranquillo attestãte, promeruit. Sed prætermisso lactucæ verbosiori encomio, medicas eius vires, pro nostra tenuitate in medium pröferre, & hortulum nostrum per suos cãpos areatim distinguere aggrediamur.

Lactuca à morbo D. Augusti nobilitata.

HORTI

HORTI MEDICI CAMPVS PRIMVS, OLERA ALIQVOT cibaria, decem areis complectens.

Lactuca altilis, & medica eius auxilia. AREA I.

OLeris nomine hîc complectimur plantas eas hortenſes & herbaceas, quę non ſolùm condiendis iuſculis accommodari ſolent, ſed etiam paruo ſumptu & facili apparatu in vſum cibarium pauperibus quotidie venire, ſiue in acetarijs, ſiue aliter id fiat. Quomodo vſurpauit Horatius, ad Sæuam in hunc ſcribens modum:

Quid per olus hic intelligendum.

Si pranderet olus patienter, regibus vti
Nollet Ariſtippus: ſi ſciret regibus vti,
Faſtidiret olus, &c.

Sed hæc Grammaticis relinquemus, & medici medica lactucæ prędidia tractabimus: quam norũt omnes in hiſtorijs verſati, vſqueadeò priſcis Romanis fuiſſe commendatam, poſt D. Auguſtũ per eam ſanitati reſtitutum, vt ſeruari, etiã in hybernos menſes, ex oxymelite repertum ſit. Planta eſt admodum ſalubris, ſicut teſtatur Columella in ſuo hortenſi carmine, de illa propter ſeruatum principem Auguſtum ita canens,

Lactuca plãta ſalubris.

Iamq́; ſalutari properet lactuca ſapore,
Triſtia quæ releuat longi faſtidia morbi.

Huius ſuccus febricitantis fronti illitus ſomnum accerſit, quemadmodum ſcripſit Florentinus, rerum agri & medicinæ interpres Gręcus ad vnguem factus. Qui etiam tradit eum, qui ieiu-

Febris, ſomnus, ebrietas, venus, gonorrhœa, & alui fluxus.

quus lactucam prægustauerit, ebrietatem non sentire: adhæc, semen eius tritum & potum, genituræ effluuia cohibere: quapropter aduersus crebra Veneris ludibria in somno, vtiliter propinatur: sicuti vulgari hoc iactatur disticho,

Semen lactucæ Veneris ludibria tollit,
Cum vino bibitum, fluxum quoq; comprimit alui.

Quod equidem distichon esse astruimus Macri poëtæ & medici non indocti: quem multi, hocce Ouidij dimetro, eius Ouidij σύγχρονον fuisse, & sub D. Augusto vixisse, falsò contendunt,

Sæpè suas volucres legit mihi grandior æuo,
Quæq; nocet serpens, quæ iuuat herba, Macer.

Sed his dimissis, lactucam repeto, quam idem Florentinus tradit, stragulis suppositam, ægris nescientibus, hac præsertim ratione, vt ante Solis exortum sinistra manu radicitùs euulsa sit, somnum illis conciliare. Qui etiam accersetur, eodem autore, si folia quina, terna, aut vnum, ceruicali clanculum supponantur: sed ita, vt quę imo caule decerpta fuerunt, ad pedes: summo verò, ad caput spectent. Admonent insuper Græci geoponici, quòd effusus & assiduus lactucarum vsus, cane peius & angue fugiendus est his qui procreandis liberis operam dare solent. Nam fœcunditatem non modò minuere scribunt (vnde lactucam εὐνοῦχιον, hoc est, spadoniam vocauerunt Pythagorici) sed quos postea sustulerint partus, velut amentes, ineptos ac stupidos à progenitorum ingenio degenerare promittunt. Hactenus illi: à quibus ad nostros deficio Medicos, apud quos etiam lego, lactucas somnos conciliare, ac sanguinem neque improbum creare, neque

Somni conciliatio.

Lactuca cur fugienda cōiugatis.

Hæc videant lactucarum helluones.

vndique

vndique perfectum, multò tamen, quàm à cæteris oleribus, præstantiorem. Quæ duo, Eobanus Hessus poëta elegantissimus, pulchrè expresit in libello de tuenda valetudine, hunc in modum.

Hortorum lactuca decus, quia friget & humet,
Sæpè leueis somnos conciliare solet.
Atque vt corporibus reliqua omnia vincit alendis,
Sic viui succus sanguinis inde venit.

Quale gignat sanguinē lactuca.

Hinc factum arbitror, vt Galenus illam de oleribus solam, in homine temperato euchymam esse dixerit, hoc est, succum bonum gignere, & optimum corpori alimentum sufficere. Quæ, vt calidis ventribus sumpta mirè auxiliatur, ita vsu crebro, oculorum aciem retundit, ac caliginem, vt mox scribemus, inducit. Addo quòd suspiriosis, & sanguinem excreantibus, ac pituitosis summè nocet. Præterea, quòd tam crudæ, quàm coctæ vsus largior, non minùs est periculosus quàm cicutæ. Aestate ea vtimur vt medicamento, potiùs quàm alimento: nimirum ad humectandum & refrigerandū: nam frigida est, ac humida. Quod cùm ita sit, iure quis dubitet, quomodo probum & purum sanguinem in nobis posit gignere: substantia, inquam, nostræ familiari, quę illi planè est lactea & dulcis, adhęc moderatè cocta, & proinde in sanguinem promptè ac facilè mutabilis, quãobrem etiam lac affatim gignere solet. Prodest eadem aduersus morbum præcipitē & periculosum, quem Gręci χολέραν vocant, ab immodica bilis deiectione & implacabili vomitu. Cuius rei testē proferemus antiquissimum poëtam & medicum Quintum Serenum.

Ventres, caligo, asthma, hæmoptoë.

Lac & cholera morbus.

Noxia

Noxia (inquit) si penitus choleræ sæuire venena
Perspicies, cocta lactucæ fronde leuabis:
Proderit & caules assumere sæpè madentes.

Lubricã aluum quomodo faciat lactuca.

Aluum ideò lubricare dicitur, quòd humiditate & frigiditate sua immoderatum hepatis calorem temperet: qui ob celerem & vehementem cibi ac potus distributionem, & direptionem, aluum resiccare plerunque solet. Huius lubricationis & facilis per lactucam ad excremẽta vacuanda apparatus, testem etiã citabimus Martialem hunc in modum scribentem,

Prima tibi dabitur ventri lactuca mouendo
Vtilis, &c. Et alibi:
Vtere lactucis, vel mollibus vtere maluis,
Nam faciem durum, Phœbe, cacantis habes.

Quomodo visionẽ turbet lactuca, & oculis noceat.

Visionem præterea turbare fertur, vt nunc dicebamus, & oculis nocere, eisq; caliginem inducere, quòd spiritus visorios denset & incrasset, humoremq; crystallinum, videndi speculum summè tersum, turbidum reddat, & animalem spiritum sua frigiditate offendat, nisi calorificis herbis illi remistis, vel rebus aromaticis, aut generoso vino superepoto, frigiditas ea temperetur. Nam ex Hippocrate, frigidum cerebro, spinali medullæ, neruis, ossibus, ac dentibus summè inimicum esse solet: ex quo fit vt soporifera etiam censeatur esse lactuca, sicuti suprà à nobis adnotatum fuit, & Claudiũ Galenum sua experimento confirmasse intelliges. Pleriq; (inquit) lactuca vtuntur prius quàm in caulem assurgat, aqua illam incoquentes. Quod ego nunc, ex quo dentes mihi malè habent cœpi facere. Quidam meorum sodalium conspicatus olus id iam olim ab adolescentia

Quomodo vtebatur lactuca Galenus, & quam ob rẽ ex suis Alimentorũ libris & alijs.

lescentia mihi esse consuetum, nunc tamen ipsius esum esse permolestum, autor mihi fuit vt ipsum coquerem. Aetate autem iuuenili cùm mihi ventriculus asidua bili infestaretur, cruda lactuca, vt eum refrigerarem, vtebar. Cùm verò ad ætatem declinantem perueni, hoc olus fuit mihi remedio aduersus insomniam & dormiendi impotentiam. Tunc enim, contrà ac in iuuentute, somnum mihi dedita opera conciliabam: nam graue erat præter voluntatem vigilare. Quæ res mihi accidebat, partim quòd in iuuentute meaptè spõtè vigilijs, studiorum gratia, assueuissem, partim quòd declinantium ætas ad insomniam sit admodum propensa. Itaque, lactuca vespere in cœna, vel somni hora, cocta & commansa, vnicum mihi insomniæ erat alexipharmacon, & remedium. hactenus Galenus: ex quo hanc historiam, quòd pulchra sit, præsenti loco accommodare visum fuit. Veteres initio mensæ, primisve epulis, lactucam, vt solemus, non proferebant, sed postremis: sicuti Martialis hoc disticho eleganter expresit:

Galenus vigilijs assuetus.

Claudere quæ cœnas lactuca solebat auorum,
Dic modò cur nostras inchoat illa dapes?

Quòd, nec temerè, nec citra rationem factũ fuisse audies: cùm enim lactuca frigidæ humidæq; sit naturæ, si à cœna sumatur & summis epulis inijciatur, somnum efficaciùs conciliat viniq; fumos halituosos promptiùs reprimit, ac ebrietati, inducta cerebro humiditate, faciliùs pugnat & obsistit. At nostra ætas, ab eius esu cœnas & prãdia auspicari salubriùs esse duxit, ex aceto, sale, & oleo conditã illam cibis alijs p̃ponens, nimi-

Cur postremis epulis olim sumebatur lactuca.

rum

rum vt æſtuantem ventriculum recreet, & ſopitam per calores appetentiam excitet, ſanguinisq́ꝫ feruorem temperet, ac hepatis & cordis æſtum mitiget. Ex quo mirum non eſt, ſi ebrietati aduerſatur, & capitís grauitatem, quam Græci appoſito vocabulo καρηβαρίαν vocant, inſita frigiditate ſanat, vapores à nimio vini potu ſurſum elatos, & caput grauantes, retundendo ac diſcutiendo. Quod Q. Serenus Poëta ac medicus præſtantiſsimus non omiſit, hunc in modum ſcribens de curanda ebrietate.

Capitis grauitas & ebrietas.

Quidam lactucæ huic credunt prodeſſe ſapores:
Curandi modus hic, & ſuauis, & vtilis idem eſt.

Inde factum crediderim, vt lactuca à Rufo Epheſio Medico, ἀκραιπάλη, rectè nuncupata ſit: quòd crapulam arceat, & omnem capitis noxam à vino contractam excutiat. Verumenimuerò, ea cautè vtendum eſt, nam illius vſus immodicus, vt præmonuimus, Veneris ignes extinguit. Quare his qui matrimonij capiſtris ſunt alligati, parcus ac ſobrius debet eſſe lactucarum cibus, niſi calorificis, vt eruca, naſturtio, mentha, ſampſucho, et ſimilibus, frigiditas illarum obtundatur, aut generoſum vinum aliquod ſuperbibatur. Qui verò cœlibatui addicti ſunt, ſacerdotes, monachi, veſtales, & alij qui clauſtra ſequuntur, calorifica excludere debent, vt pudicitiã illæſam tueantur, & prurire, vriq́ꝫ deſinant. Lactuca itaq́ꝫ conſulto priùs cuiuſq́ꝫ temperamento, prudenter vtendũ erit, in qua Callimachus ἀλληγορικῶς ſcripſit, Venerem ſuum amaſium Adonin abſcondiſſe, ὅτι ἀσθενεῖς εἰσι πρὸς ἀφροδίσια οἱ συνεχῶς χρώμενοι θρίδαξι, hoc eſt, vt Athenæus exponit, quòd imbecilles ſunt ad Venerea, qui aſsidua vtuntur lactucis. Quare videant

Quibus prohibeatur & concedatur lactucæ vſus

deant vxores ne earum mariti nimium illis vtantur. Hîc non tacebo rarum experimentum & sæpenumerò mihi fœliciter probatum aduersus albas mulierum fluxiones, quod constat cremore seminis lactucæ priùs macerato in aqua extinctionis chalybis, addito puluere eboris in tenuissimum pollinem redacto: Non tacebo præterea, quòd semen lactucæ in iusculo tritum & haustũ, dormiendi impotentiam expugnat, & folia in aqua hordei cocta, lac potu mirandum in modum augent, si posteà mãmæ blanda manu fricentur. Addam, quòd si vehementer caput incaluerit ab ęstu, & hinc doluerit, aceto miscebitur succus lactucę, & eo fouebitur, monitore Galeno. Et ad ardores ac ambustiones, folia diligentissimè terentur, & cum pane inducta, parti affectæ admouebuntur, ac subinde commutabuntur, ne ibidẽ incalescant & obrigescant. Sed de medicis lactucæ facultatibus hæc satis erunt, vbi admonuero quòd tam manducata, quàm admota, æstus, necnon ardores internos & externos, vt diximus, clementer mitigare & restinguere solet. Cuius rei gnarus Antonius Musa D. Augusti medicus incõparabilis, ad desperationem redactus in curanda distillatione, qua optimus ille imperator, ob vitiatum iecur, vehementissimè torquebatur, cõtrariam medendi rationem inire fuit coactus, & ad lactucæ præsidia confugere, sicuti paulò antè adnotauimus: quorum auspicijs conualuit Augustus, & hinc lactucam summè nobilitauit.

Albę mulierum fluxiones, vigiliæ, lac, capitis dolor, ardor & ambustio.

Aestus tã interni, quàm externi.

Lactuca ab Augusto nobilitata.

Braßica, & medica eius auxilia.

AREA. II.

NON sum nesciusoptimũ illum, sine æmulo, agricolam M. Catonem, triumpho, cẽsura,

ſura, ac literis inſignem, oleribus omnibus Braſ-
ſicam antepoſuiſſe, & Plinium hortorum princi-
patum eidem aſcripſiſſe, adhæc Pythagorā eius
laudes ante omneis celebraſſe, ac Chryſippū me-
dicum, priuatum volumen per ſingula hominis
membra digeſtū, de eadem compoſuiſſe, ipſumq;
Catonem eius facultates & medica auxilia ſum-
moperè nobilitaſſe, populoq; Romano adeò fœ-
liciter indicaſſe & præſcripſiſſe, vt annis multis
abſque vllis medicis ac medicamentis alijs ſalu-
briter vixerit: Verumenimuerò omnia hæc, ma-
gna licet, me mouere non potuerunt (ob cauſas
paulò antè memoratas) vt in hac medica horten-
ſium hiſtoria, braſsica ante lactucam deſcribere-
tur. Quæ vna, ob inſignem truncum & brachia-
tas virgas, etiam Caulis nomen ſibi aſciuit, &
nunc demùm nobis medicè excutienda venit:
ſumpto initio à priſcis M. Catonis de illa expe-
rimentis aliquot. De ijs itaque quibus ægrè fluit
lotium, & ſubſtillum eſt, hūc in modum ſcribit.
Sumito braſsicam, cōijcito in aquam feruentem,
coquito paulifper, vti ſubcruda fiet: poſtea aquā
defundito, non omnem, eò addito oleum & ſa-
lem, ac cumini paululum, inferuefacito pauli-
ſper, poſteà inde iuſculum frigidum ſorbeto, &
ipſam braſsicam manducato, ac quotidie id faci-
to. Ad omnes tumores & omnia vlcera, etiam in-
ueterata, braſsicam contritam, quæ minutis eſt
caulibus & ſolijs tenuioribus (Crambem vocāt)
ille idem imponit, ac eodem præſidio cancros
purgat & ſanos reddit: quod facere non poteſt,
vt ſcribit medicamentum aliud. Verùm, priuſ-
quàm imponat, aqua calida multa lauat, aut vi-
no tepido, vt legit Macer, poſteà bis in die,

con ti-

Braſsica à priſcis valdè cōmendata & laudata.

Subſtillū ſeu ſtranguria, tumores vlce ra & cancri.

contritam admouet. Quo remedio etiam ad luxata & contusa, mammasque vlceratas & cancrosas vtitur. Si vlcus acrimoniam ferre non possit, farinam hordeaceam miscet, ac ita apponit, testaturque articularem morbum nulla re æquè domari atque brassica cruda, si eam concisam cũ ruta & coriandro quis edat: aut salis mica & hordei farina mista, opportunè illinat. Quod herbularius Poëta versibus aliquot complexus est de M. Catonis brassicaria medicina, hũc in modum loquens,

Luxata contusa, mãmæ vlceratæ & cancrosæ, necnon articularis morbus.

Hordea quam dederint cauli miscere farinam
Idem præcepit, rutam quoque cum coriandro
Et sale permodico: sic omnia mixta terendo
Apponi diræ docuit cataplasma podagræ:
Hoc etiam morbo medicabitur articulorum.

Si auribus parum audies (inquit ille idem Cato) cum vino brassicam terito, succum exprimito, & tepidum in aurem instillato, citò intelliges. Si bilis atra est, si lienes turgent, si cor dolet, si iecur, pulmones, aut præcordia, vno verbo omnia sana faciet brassica, quæ intus dolitabunt. Qui plura curiosè scire curabit, librum de Re rustica eiusdem consulat, illic inueniet quod placuisse queat. Sed hæc, inquies, magna ex parte non quadrant nostræ hortensi brassicæ, de cuius vsu hodierni medici inter vtrunque volant. Causam alibi accipies. His sic positis, venio ad geoponicos, apud quos lego brassicę decoctũ cum dulci vino haustum, mulieribus menses ducere: adhæc succum eiusdem cum optimo melle remistum, oculos iuuare, si illorum angulis admoueatur. Quòd si venenatos boletos quis ederit, poto brassicæ

Surditas, bilis atra, lien, cor, iecur, pulmo, præcordia.

Menses, oculi, boleti.

ſucco valdè iuuabitur. Addunt præterea quòd corpori alimentum ex ea multum præſtari ſolet: adeò, vt pueri braſſica veſcentes, citius adoleſcere credantur. Succus cum vino albo ad dies quadraginta hauſtus, ſplenicos & ictericos curat, quemadmodum in Ruſticis paradoxis ſcripſit Paxamus Græcus. In quibus non omittit quòd braſſica alumini rotundo, aceto macerato permiſta, pſoram ac lepram mundat: coctaque & præſumpta, voci atque arteriacis affectionibus medetur. Vnde vocis ſtudioſi hac libentiſſimè vti ſolent. Folia perinde atque ſemen, cum ſylphio & aceto trita ac impoſita, morſum canis rapidi, vel alterius, perfectè ſanant. Et ſi contigerit à deſtillatione vuulam aut columellam in guttur laxari, ſuccus crudæ braſſicæ ſummo capiti admotus, illam in ſublimem oris partem reuocabit, ſolitumque locum repetere coget, quod naturæ arcanis & ſecretis aſcribendum eſt. Hactenus Græci geoponici. Medici vno omnes ore tradunt, braſſicam frequenter comeſtam ſuccum melancholicum plus iuſto augere, cuius ſubſtantia os ventriculi etiam lædit, & viſum, vt mox dicemus, obtenebrat: quare illa, niſi vrgente oleorum meliorũ penuria, menſis excludenda eſt ſalubribus. Crudus eius ſuccus cum vino potus, viperarum morſibus auxiliatur, & cum fœnigræci farina illitus, podagris, ac vitijs articulorum præſenti eſt remedio. Idem prodeſt ſordidis ac vetuſtis vlceribus, ſed impermiſtus: qui etiam naribus immiſſus caput purgat, & cum loliacea farina pudendo muliebri inditus, menſes trahit. Folia per ſe illita, aut cum polenta trita, conferunt inflammationibus ac tumoribus, & ex ſale carbunculos rũpunt fluen-

Splenici, icterici, pſora, & lepra.

Canis morſus, & laxata vuula ſeu columella.

Succus melãcholicus, os ventriculi, viſus, viperarum morſus, & articularis morbus.

Vlcera, caput, menſes, tumores, carbunculi, capilli vlcera, lienoſi, gangrenæ & laterum dolores.

fluētesq́; capillos retinent. Eadem folia cruda, ex aceto prosunt lienosis, & addito melle cocta, plurimùm pollét aduersus vlcera depascentia & gangrænas. Virentes cauliculi cum radice cremati, & vetusto porci adipe excepti, diuturnos laterum dolores mitigant. Quod poëta herbularius nec ignorauit, nec omisit:

Cum veteri pingui (inquit) *cineres caulis bene triti,*
Prosunt ad veteres lateris, coxaq́; dolores.
Sit licet hæc vilis, tamen est medicina salubris.

Si humentem aluum siccare volueris, vbi mediocriter ebullijsse videbitur brassica, priore aqua effusa, repentè aliam calentem ei inijcies, atq; ita rursus illã discoques, vsquedum tenera, flaccidaque euaserit: quod non fit cùm ventris subducendi causa sumitur. Hinc emersit Salernitanum illud,

Quomodo coquenda brassica ad mouendam aluũ, & continendam.

Ius caulis soluit, cuius substantia stringit.

Hæc omnia, & plura, versiculis aliquot paulò elegantioribus, Eobanus Hessus, pulchrè & ingeniosè sic est complexus,

Braßica ventris onus bis cocta, comestaq́; sistit.
Sed semel & modicè cocta, resoluit idem.
Profuit hanc succo conspergere pinguis oliuæ,
Lac auget, multùm seminis esse facit.

Non putaui hoc loco prætereundũ, quòd omnis brassica, vt diximus, oculis admodũ officit. Quæ res lucubrantibus, & literarum studiosis est imprimis notanda. Parum nutrit, & somnia terribilia parit, ob humorem melancholicum, cuius parens, vt monuimus, illa esse solet. Porrò, scitu indignum non est, quòd Athenis olim brassica in cibo parabatur puerperis, amuleti cuiusdam vi-

Lac, sperma, oculi, somnia.

ce, vt autor est Athenæus. Tradit præterea Suidas, priscos in conuiuijs crambem adhibuisse, sed recoctam, adeò vt nauseam adferret, ex quo Græcis in prouerbium abijt, δὶς κράμβη θάνατος Inest brassicæ vis peculiaris contra ebrietatem: cuius noxas non solùm antè cibum & à cibo sumpta impedit, sed etiam crapulam & grauedinem inde obortam tollit ac discutit. Cuius rei duos è multis testes proferemus, Marcum Catonem imprimis, hominum, vt scribit Plinius, in omni rerum vsu summum & maximum. Si voles, inquit, multum in conuiuio bibere, cœnareque libenter, crudam brassicam ante cœnam esto quantùm voles ex aceto: & item vbi cœnaueris, esto quinque folia, reddent te quasi nihil ederis ac biberis, bibesque quantum voles. Testem dabimus secundum, Cl. Gal. scribentem folia brassicæ, calida aqua macerata, & capiti circumposita, ebrietati naturaliter resistere: quod mirabili fit oleris huius cum vino antipathia, vt admonuit Agrius apud M. Varronem. Ex quo non temerè scripsisse mihi videtur Athenæus, vineas in quibus nascuntur brassicæ, languidius vinum creare, vsq; adeò his pernicialia sunt cum parente & filio, hoc est cum vite & vino, odia, ac dissidia. Hinc nimirum Theophrastus, viuā vitem, oleris huius odore fugari, rectissimè adnotauit: & Plinius, vinū in dolio huius sapore & odore corrumpi: sed betæ folijs demersis restitui. Quo argumento, Androcides sapientia clarus, vt idem tradit Plinius, brassicam cōtra ebrietatem, vt pręmonuimus, maximè pollere dixit: atque hinc Aegyptij vini, vt scribūnt Suidas & Athenæus, magnoperè amantes, omnibus esculentis coctam brassicam olim in cibatu præ-

Ebrietas, crapula & grauedo.

Mira brassicæ odia cum vitibus & vino.

Aegyptij vini amantes.

præmittebant, & primum in ſympoſijs ex eius olere ferculum faciebant, ad inhibendam vini noxam & crapulam, quod de ea quæ plus cæteris rubeſcit multi capiendum cenſent. Aegyptiorum veſtigijs, defixo (vt aiunt) pede, cùm alij, tum præcipuè Germani & Flandri inhærere mihi videntur: braſſicam ſuis cibis & menſis anteponentes, & quandoque poſtponentes, vt doloſas vini inſidias fallant: quod & manu liberali propinare conſueuerunt, & impigro gutture haurire, laborum alioquin patientiſſimi, ſed ſitis admodum impatientes. In quam rem cum noſtro Geruaſio Maſtallero Briſgoico, Germano mihi amico vndequaque erudito, ſic ludere aliquando ſolebam dum nobiſcum ageret,

Germani laborum patientiſſimi, ſed ſitis impatientes.

Germani varios norunt tolerare labores:
O vtinam poſſent tam bene ferre ſitim.

Quæ reſtant animaduerſione digna ſunt. Cinis caulium braſſicę & eorundem decoctum, caput à furfuribus emundat, ſi illis abluatur. Et fotus vberum ex iuſculo braſſicæ tepido, lac auget: cinis præterea cum albumine oui, ambuſtis auxiliatur: & aqua quæ ex eius caule, dum aduritur, ſtillat, recētes impetigines delet, non ſecus quàm cortex radicis oxylapathi præmanſus, & eiſdem illitus. Addam quòd braſſica cum tenui polentæ polline trita, & ex aqua roſacea oculis appoſita, calidas illorum fluxiones emendat: & ſi folijs coctis ac tuſis fæcem aceti addideris, crudorumque ouorum lutea duo cum pauco roſaceo, & omnia accuratè miſcueris, tepefeceris, admoueris, continuè mutaueris, præſtantiſſimum experieris remedium aduerſus podagræ inſultus & ac-

Furfures, lac, ambuſta, impetigines oculorum fluxiones.

cessiones. Eadem brassica per se, vel cum axungia trita, phlegmonis induratis & erysipelatibus valde idonea censetur esse, hoc modo: Partes affectæ rhodelæo fouentur, & materia dicta, in cataplasmate fascijs alligatur. Nihil video superesse in hac medica brassicæ historia, nisi ingens & minimè vulgare naturæ miraculum, quòd tacendum non est: nempe hoc olus, quo vitem fugari diximus, cyclamino & origano aduersum, perarescere: naturali & occulto odio, quo plantæ illæ brassicā non minus prosequuntur, quàm vitem & vinum brassica, & contra. Hinc absurdum videri non debet, quòd si feruescenti & ebullienti brassicæ, paululum vini generosi guttatim quis instillauerit, non amplius coquetur illa, sed suis viribus defuncta, mutato colore corrumpetur, quēadmodum adnotauit Paxamus ex Græcis geoponicis vnus. Quibus ex rebus apposité colliges, eos qui vinum multum bibere volunt, & potandi certamine victores coronari cupiunt, crudam brassicam cibis anteponere debere, ne temulentia vt paulò antè diximus, tententur. Quod se præsente factum fuisse à quodam docto & philosopho homine, autor est Gulielmus Gratarolus medicus præstantissimus, in libro de tuenda valetudine. Nam dum is in in conuiuio accumberet, ꝓbatis & acceptis inuitantium omnium poculis, perstrenuè potauit: quòd foliolum crudi caulis rubescentis præsumpsisset. Hæc de brassica satis, vbi addidero, illam nascentem in locis aridis & siccis, terrestrem esse valde & adstringentem: in calidis verò & humidis, contrà. Adhæc Raphanum Græcis etiam κράμβη dictum, ijsdem viribus pollere in arcenda ebrietate, quàm brassica: quem-

Phlegmone erysipelas.

Vinū brassicæ cocturam impedire.

Vinum & ebrietas.

Historia notatu digna, nō imitanda

quemadmodum proprio loco explicabimus.

Apium hortenſe, ſeu Petroſelinum, & medica eius auxilia. AR. III.

APium ſatiuum, Græcis σέλινον, (ac ſi lunaticum dicas, ab horrẽdo illo affectu epileptico, quem, vt mox audies, accerſit) vulgò Petroſelinum, & noſtratibus Perſilium dici conſueuit: cuius facultates & medica auxilia hîc nobis ſunt paucis explicanda. Florẽtinus in ſuis Græcis georgicis, vt hinc auſpicer, tradit Apium cum pane, cataplaſmatis vice impoſitum, ſacris ignibus mederi: eius verò decoctum, calculos inſidentibus deturbare, & fotu idem præſtare. Adhæc vrinæ difficultatibus, & ægrotantibus renibus, tam folio, quàm radice auxiliari. Quod ab herbulario poëta etiam adnotatum fuiſſe reperio, vbi de apij planta ſic ſcribit-

Ignis ſacer. calculi, vrina & renes.

Prouocat vrinas hæc cruda commeſta, vel hauſta:
Sed magè radicum faciet decoctio ſumpta:
Hoc itidem ſemen operatur fortiùs hauſtum.

Subdit præterea idem Florentinus, ſugillata colori reddere, ſi eius ſemine decocto foueantur, mammarumque duritias, folijs attritis & impoſitis emollire. Plinius ſemen cum oui albo illitũ, aut ex aqua coctum & potum, renibus mederi ſcribit: ac in frigida tritũ, oris vlceribus prodeſſe: necnon cum vetere vino, veſicæ calculos frangere: quod etiam pręſtat radix. Datur ictericis idẽ ſemen ex vino albo, & ijs mulieribus, quibus ſtati menſes non procedunt. Radicibus in iuſculo coctis, vel acetariorum modo ex oxelæo apparatis licebit per hyemem, veris initia, & autumni fi

Sugillata, mãmæ, renes, oris vlcera, calculus, icterici & mẽſtrua

nem potiùs vti, quàm æstate: idque prandij, vel cœnæ principio: quoniam materias à superioribus ad inferiora, vrinam proritando, euocant, ac vehiculi modo deducunt. Sed hoc loco nequaquam dissimulandum est, quòd non solùm renibus medetur hortulanũ apium, sed etiam colicis cruciatibus & alijs qui ex flatuoso spiritu egressum non habente generantur. Prætereà, quòd succus apij cum melle bibitus, coagulatum in ventriculo sanguinem, vomitu exhaurit. Et semẽ eiusdem coctum in aceto & aqua, lotium remoratũ elicit: plantaq; ipsa contusa, & in vuluam missa, fœtum cum secundis trahit. Quòd si bibatur succus eiusdem, vterus à superfluis humoribus purgabitur. Dioscorides ad nullum determinati morbi genus apium applicat, sed omnibus indifferenter inflationibus vtile esse pronunciat: sic de eo simpliciter scribens, Soluit inflationes. Tradit nihilominus petroselino vires contra colum intestinum, vt diximus, validas inesse: adhæc contra stomachum, sic loquens: Petroselinon stomachi & coli inflationibus, torminibusque medetur. Cui subscribit Galenus, tradens insuper, ori sanè quàm gratum esse. Plinius incoctum, aquas potu suauiores reddere prodit. & Florentinus Græcus, in cibo sumptum facere, vt propriæ vulnerum fluxiones magis pronæ deferantur. Oculorum tumores, vti etiam mammarum, succus eius mica panis candidi exceptus, emendare solet ac tollere. Quod non prætermisit herbularius poëta, sic de apio rursum scribens,

Colicus dolor, flatus, inflationes, sanguis coagulatus.

Lotium, fœtus, secundę, vterus.

Inflatio & colicus dolor.

Stomachus, tormina, vulnera, oculorum & mammarũ tumores.

Illius succo si candida mica terendo
Panis iungatur, oculis sedare tumorem

Dici-

Dicitur, emplastri, noctu, superaddita more:
Sicq́; ferunt mammis prodesse tumentibus illam.

Penè omittebam, quòd neutrum apium (de mare loquor & fœmina) Chrysippus medicus & Dionysius, cibis admittẽdum censent (licet Plinij tẽporibus, vt etiam hodiernis, per iura largis portionibus innataret, peculiaremq́; gratiam condimẽtis accerseret, ex quo ἥδυσμον Theophrasto vocatur) quoniam epulis feralibus, vt volunt, dicatum sit, & ob id nefastũ habitum. Vel, vt Plutarchus scribit, quòd Apio sepulchra coronentur: vnde vetus illud prouerbium, *Apio indiget*: de eo qui desperata sit valetudine. Non desunt tamen qui de paludapio Chrysippum & Dionysium id intellexisse contendant: quia propẽsius epilepticum paroxysmum excitat. Sed hæc nihil ad apij nostri facultates. Caule fœminini vermiculos innasci tradunt: creduntq́; eos in sexu vtroque sterilescere, qui ederint: adhæc, in puerperis comitiales fieri, qui post apij cibum vbera hauserint: innocentiorem tamen esse marem affirmant, vt Plinius scribit, veterum sententia & testimonijs fretus. Quibus ex rebus mirandum nõ arbitror, si recentiores medici, ex Auicennæ cõsilio, comitialibus seu epilepticis apio interdicant, ac contendãt quòd illorum paroxysmos moueat et excitet: atq; ea causa Græci infantulorum nutricibus, & grauidis, puerperisq́; apium in cibo prohibeant. Quanquã alia etiam potest subesse causa, nimirũ quòd fœmininos fonticulos resiccet, lactisq́; prouentum neget, ac vescentes ad libidinem proritet. Sed ne, quæso, hîc intactum relinquatur, quòd apium, Celso inter ea quæ reprimunt

Cur olim apium cibis damnatũ sit.

Sterilitas & comitiales.

Nutrices, grauidæ, puerperæ, lac & libido.

munt & refrigerant collocatum, febrium ardores ex oleo iniunctum, refrigerare, à multis non infœliciter expertum fuit. Quod etiam à Q. Sereno confirmatum scriptúmque audies ad hunc modum:

Febriles ardores.

Sin autem calidæ depascent corpora febres,
Tunc apij succus leui soluatur oliuo:
Membra line, fotuq́ʒ ferus mulcebitur ignis.

Cætera de apij facultatibus conticebo, nisi quòd pisces ægrotantes in piscinis, illo summè recreantur ac refocillantur. Adhæc quòd nihil ęquè oris suauitatem commendat, atque recens apium & viride commanducatum. Quod meritoriæ mulieres pleræque non ignorant, apium mandentes & circunferentes, vt virus tetri odoris, quo imbuuntur, fallant, & suauiorem aurã spirent. Hãc de apio medicam historiam penè claudebã, cùm tria percommodè mihi in mentẽ venerunt. Primum est, quòd apium manducandum nõ est vbi scorpionũ ictus timetur: sicuti adnotauit Albubater scribens ad Almansorem Sarracenorum regem. Secundum, quòd coci acetum suis obsonijs apio, & cellarij grauem odorẽ vino, in saccis eximere solent, Plinio autore. Tertium, quòd petroselinum, hipposelinum, eleoselinum, oreoselinum & apium rusticum, adeò congeneres sunt plantæ, ac tanta virium affinitate coniunctæ, vt altera alterius nomen apud rei herbariæ autores quandoqʒ sibi arroget. Quod ad hipposelinum attinet, ego sanè illud (vt id obiter adnotem) appositè à Gaza equapium interpretatũ fuisse mihi aliquando persuasi, non ob insignem magnitudinem, vt multis visum est, sed quòd equis ociosis & de-

Oris & halitus suauitas.

Tria summopere notanda.

defatigatis, salubre sit ac gratum pabulum. Quod non ignorans ter maximus ille Homerus, Achillē ociosis equis legatorum Vlyssis & Phœnicis, palustre apium, aut si mauis eleoselinum, quod nonnulli paludapium vertunt, nō temerè exhibuisse scribit. Cuius rei causam Plutarchus in Symposijs reddidit, quòd vacantes à labore consueto equi, pedum vitio offendātur, cui præcipuum remedium, apium esse tradit. Quo loco illud cum eleoselino & hipposelino, ob virium & auxiliorum cognationem ac similitudinem, confundit. Hactenus de hortensi apio & petroselino: quod vnum cum vulgari apio, consentientibus vtrinque auxilijs, hic confudisse, peccatum graue non erit.

Equorum ociosorum & fatigatorū remedia.

Portulaca, & medica eius auxilia.
AR. IIII.

Portulaca ex hortensibus vna est quæ omnium ferè iusculls suo tempore innatat, & pauperum ac diuitum mensas, oleo, sale & aceto condita, inchoat. Frigida est & humida, quapropter fluxiones biliosas ac feruentes, commutando & refrigerando emendat, febriq; ardente con flictatis summè opitulatur. Quod poëtæ herbulario non fuit occultatum, de illa hunc in modum scribenti,

Fluxiones biliosæ & febris ardens.

Humida vis eius & frigida dicitur esse.
Vnde iuuat febrem quam dicit Græcia causum,
Trita super stomachum viridis si ponitur herba:
Præstat idem succus si sumitur, herbaq; mansa.

Dentibus qui stupore obtorpescunt ab esu acidorum, austerorum, vel frigidorum, māsa remedio

Dētium stupor, ignis

dio esse solet, ignibusq́ sacris auxiliatur, ac Vene-
ris impetus & somnia frangit. Capitis dolore
insolatione contractos, cum rosaceo mitigat, &
vulneribus syderatione periclitantibus, efficaci-
ter cum polenta inungitur. Præterea infantibu
ymbilico prociduo laborantibus, salubriter ap-
ponitur, ac dentes mobiles commãducata stabi-
lit: orisq́ ac tonsillarum vlcera, & gingiuarum
tumores suo opportunè sedat succo. Animali
ventris rotunda ex decocto, vel stillatitia aqua
pellit, ac dysentericos ex vino hausta liberat
Vnde idem poëta.

Mansa vel hausta potest nimium restringere fluxum
Sanguinis, & ventris largum cohibere fluorem.

Leontinus Græcus, ex geoponicis vnus, scribit
folium portulacæ linguæ subditum, his qui siti
cruciantur, bibendi desideriũ restinguere, & ver-
rucas multorum dierum illitu tollere: quod etiã
non omisit Plinius: docens insuper, mammarum
& podagræ inflammationes, succo portulacæ
cum melle, aut creta cimolia, sanari. Qui frigido
sunt ventriculo, vim portulacę frigidã, menthâ,
fœniculo, aut simili quapiã herba calorifica de-
bent obtundere. Sed, ô me obliuiosum: penè o-
mittebam quòd portulaca miraculo quodã de-
mulcet febres ęstuantes, trita cum hordei farina,
& hypochõdrijs ac hepati admota. Adhæc, quòd
melli intincta, commansa, & ore retẽta, aphthas
ac oris vlcera valde emendat. Insuper, quòd sua
radice siccata, & cum melle trita in formam vn-
guenti, fissuras labiorum, partiumq́ aliarum nõ
minùs adiuuat, quàm vulnerum dolores, si illis
cum oleo & polenta imposita fuerit. Quæ si per-
coquatur, ad hæmorrhagias & sanguinis proflu-

nia

Marginal notes: sacer, Ven⁹, somnia, capitis dolor, vulnera, vmbilicus, dentes, tonsillæ, giuginæ, lũbrici & dysenteria. — Sanguinis & alui fluor. — Sitis, verrucæ, podagra & mammæ. — Vẽtriculus. — Febris ardẽs, oris vlcera, fissurę labiorum, vulnera, hæmorrhagia, sputum sanguinis & ventriculi ardor.

ia summè efficax habetur. Poſtremum id erit.
xperti ſunt veteres, quòd ſuccus portulacę ſpu
ſanguinis mirificè compeſcit: imò verò portu-
ca ipſa quouis modo miniſtrata. Quæ ſi cum
ceto manducata fuerit, ventriculi ardoribus
alde commodabit.

Beta, & medica eius auxilia. AR. V.

CLaudius Galenus hoc olus nitroſa facul-
tate dotatum eſſe cenſet, qua etiam ſordes
luit ac diſcutit: quæ vis in candida beta effica-
ior eſt, adeò vt ventrem ad excernendum inui-
et, ac ſtomachum ſenſu exacto præditum mor-
eat & vellicet, cum nonnulla hepatis iactura.
Quæ duo poſtrema, verſiculis duobus elegantiſ-
mis ſic expreſsit Eobanus Heſſus.

Sordes, ventris excretio, ſtomachus & hepar.

Cruda nocet beta, hanc coctam ſumpſiſſe iuuabit:
ſumpta frequens ſtomachum vellicat, atq; iecur.

Diphilus medicus geoponicus tradit, beta can-
ida aluos ſolui, & rubra vrinas proritari. Sunt
qui nigram vituperent, quòd atrabilarium ſan-
uinẽ gignat. Succus naribus inditus, caput pur-
at: infuſus, aurium dolores ſedat: illitus, dentiũ
ruciatus compeſcit. Si caput ſucco illius deter-
geas & cõfrices, à porrigine & pityriaſi vindica-
bis: & ſi radicis ſuccum naribus inijcias, dẽtium
cruciatus emendabis. Si decocto perniones fo-
uebis, eos mitigabis: ſi folia coxeris, ambuſtis
medeberis. Addam q; vſus betarum frequẽs ny-
ctalopibus eſt vtilis: & ſi cum atriplice illarũ de-
coctum vuluis ritè infundatur, earũ vitia corri-
get. Beta nigra ſeu rubra coquitur cum lente lu-
brico

Aluus. Vrina. Caput, aures, dentes, porrigo, perniones, ambuſti. Nyctalopes, vuluæ vitia, alui fluor.

brico ventri cohibendo, quem, vt diximus, candida ſoluit: quæ cocta, & cum allio crudo ſumpta, inteſtinorum tineas abigit. Iecoris obſtructionibus aptiùs quàm malua accommodatur, maximè vbi cum ſinapi vel aceto eſtur: lienoſo ſimiliter manducata, mirificè iuuat. Vnde qui eam medicamentum potiùs quàm alimentum dixerit, vbi hoc modo manditur. Menander vnus ex ſchola Græcorum geoponicorum & medicorum, tradit radices betæ toſtas, tetrum allij odorem ac virus extinguere, ſi ſupermanducentur. Quæ rubras vel ſubrubras habent radices, vt valentiùs nutriunt, ita ſanguinem gignunt longè craſsiorem quàm folia: illúdque inſuper obtinent, quòd flatus facilè pariunt, cùm facilè per aluum alioquin deſcendant. Huius oleris, ſicut aliorum, exigua eſt alimonia: quòd ſi largiùs ſumatur, ſtomachum, vt paulò antè dicebamus, infeſtat & mordicat. Habet tamen id commodi, quòd aquâ mulſâ incoctum, alui ſedimina deijcit, vt ſcribit Diocles Caryſtius ab Hippocrate, Plinio autore, fama & ætate ſecundus, in aurea epiſtola ad Antigonum, de morborum præſagitione, ſignis & curatione per Hortenſia. Quam nos, haud ita pridem cum Opuſculo de Sena plãta omnium ſaluberrima, & beneficẽtiſsima, publicæ vtilitati expoſuimus. Cæterùm hîc tacendum non eſt, quòd ſicuti à braſsica vini ſapor (vt ſuprà docuimus) in dolio facilè corrumpitur, ita odore betæ, folijs eius démerſis, facilè reparatur. Si acetum ſubitò facere voles, tuſam betæ radicem in vinum conijcies, poſt horas tres in acetum degenerabit: quod ſi voles in priſtinum ſtatum reſtitui, braſsicæ radicem indidiſſe ſatis erit.

Vermes, iecoris obſtructio, lienoſi, & flatus.

Odor alliorum.

Quale nutrimentum à beta.

Vinum & acetum.

Sed hæc ad nostra vinorum secreta & auxilia releganda erant: quorum participes nunquam fient œnopolæ, nisi vina in multorum perniciem temerè confundere & perditè turbare desinant.

Blitum & Beta cum medicis vtriusque auxilijs. AR. VI.

STomacho inutile olus censetur esse blitum, ventrem adeò turbans, vt choleram morbũ aliquibus faciat, & alui fluxiones vomitionesq́ cum intestinorum torminibus, mota bile excitet: quod de immodico & assiduo eius vsu dictũ accipies. Vnde à Plinio iners olus fine sapore & acrimonia nuncupatur: & à poëta Hesso ignauũ, ac ventri mouendo duntaxat vtile,

Venter, cholera, alui fluxio, vomitus & tormina.

Ignauum (inquit) sine honore blitum, sine viribus, estur
Hoc solo, ventrem quòd bene deijciat.

Ab hoc inerti olere inertes homines bliteos nuncupamus. Quanquam antiqui βλίτεις dixerunt, quos Latini stolidos, fatuos, bliteosq́ vocant: & hinc fit, vt vulgari conuicio nullius frugis aut ingenij homines, nostratibus Gallis blitres ac belitres, vt diximus, passim vocentur. Hinc etiam conuicium fœminis apud Menandrum faciunt mariti. Blitum è vino potum fertur prodesse aduersus scorpiones, & clauis pedum vtiliter illini: adhæc lienibus, & ipsorum dolori ex oleo. Hippocrates, Plinio autore, menstrua eo cibo sisti putat. Sed hîc prætereundum non est, quòd prisci cum blito betam confuderunt: vnde Martialis hanc fatuam, seu insipidam, hoc disticho appellauit.

Blitũ ignauum & fatuum olus.

Vt

Vt sapiant fatuæ fabrorum prandia betæ,
O quàm sæpè petet vina, piperq́ue coquus?

cùm re vera sapore sit nitroso, & non fatuo, aut insipido, vt blitũ: quo fit vt eius succus naribus exceptus, muccum & pituitam ex eis eliciat, prȩsertim betæ albæ. Vnum & item alterum bliti auxilium omittebam. Prius est, quòd aqua decoctionis eius, & maximè rubri, cum suis radicibus, furfures capitis amolitur. Posterius, quòd folia sub cineribus cocta, vel elixata, ambustos summè iuuant. Memineris quòd blitis quàm betis gustus insulsior est & humidior: vnde choleram faciunt, quemadmodum cucurbitȩ et pepones. Quæ dum nequeunt excitare facultatem expultricem, cunctando corrumpunt cibum, & hinc vomitiones, turbidasq́ue ventriculi motiones excitant flatu multo mixto: vt doctè adnotauit Petrus Sena.

Furfures & ambusta.

Oxalis seu Acetosa, & medica eius auxilia. AREA VII.

OXalis ab acido succo nomen habet, vnde apud multos *Acetosa* dici solet, & vulgari nomenclatura *Ozella*. Duorum est generum, maior & minor. Vtraque iuribus affatim innatare consueuit, & singularem gratiam in acetarijs habere. Quin & carnibus intingendis iucũdum succi viridis accrementum subministrat: nec aliud in obsonijs maiorem sibi vendicat autoritatem. De oxalide id sum expertus, quòd carnes quantumuis duras, coriaceas ac peruetustas, esui aptas facit, ac tenellas reddit, si illi concoquantur &

Oxalidis vsus ad excitandem appetentiam & alia.

præma-

præmaceratæ elixentur. Nam lubricæ & humentis est naturæ, quâ dura emollit. Quæ facultas cũ multò validior & vegetior fit in oxylapatho & lapatho, ita rem eã multò certiùs cũ illis sum asse cutus, quàm cum hortensi oxalide, quâ nihil frequentius vbiq; nec vilius, ad irritandam appetentiam, si langueat, aut mitigandum ventriculi vel hepatis æstum immodicum, si opus sit. Quod poëta herbularius nec ignorauit nec omisit, de Oxalide hunc in modum scribens,

Ventriculi & hepatis æstus.

Hanc auidè multi comedunt in tempore veris:
Expertumq; ferunt sibi quòd fastidia tollit.

Semen vtriusque tritum ex aqua aut vino, vtiliter bibitur contra dysenterias, & cœliacorum affectus, ac stomachi fastidia & nauseas. Radices ex aceto coctæ, aut crudæ illitæ, lepras & impetigines sanant: sed anteà locus aceto & nitro in sole est perfricãdus. Sunt qui planta tota efficaciter vtantur (sicuti etiam aizoo minore) aduersus erysipelata & herpetas, necnon tumores oculorum in cataplasmate: præterea aduersus calidas podagras cum polenta, & antiquos capitis dolores, cum rosaceo. Fluxum muliebrem vtero apposita, commodissimè sistit, vt tradit Dioscorides: sed non menstrua, seu lunares fœminarum purgationes, vt vult poëta herbularius. Ex quo etiam addimus quòd

Dysenterici, cœliaci, nausea, lepra, impetigo, erysipelas, herpes, & oculi.

Podagra, cephalalgia, & fluor muliebris ac ventris.

Omne genus fluxus ventris restinguere mirè
Cum vino potata solet, vel mansa frequenter.

Decoctum radicũ eius, pruritus corporis sedat, si eo foueatur aut cõfricetur corpus in solijs balnearum: mulcet insuper dentium dolores cum vino. Nonnulli in strumis amoliendis radicum

Pruritus, dentes, strumæ & regius morbus.

gestamine vtuntur, eas collo appendentes: quæ etiam cum vino potæ, regio morbo auxiliantur. Verùm, hæc omnia efficaciùs præstare solet oxylapathi radix. Apuleius ad abscessum qui fit in inguine, oxalidem contundit absque sale, cum veteri axungia, quæ dupla esse debet ad herbam: iísque probè commixtis, pastillum concinnat, quem folio caulis inuolutum sub calidis cineribus sepelit, & mox abscessui aut buboni calentem applicat, lineóque panno tegit, & colligat.

Abscessus aut bubo inguinum.

In vino austero cocta & potata prægnantium malaciam et deprauatam appetentiam emendat: quod etiam præstat citrij decoctum. Non tacebo quòd radix aqua incocta, vel macerata, rubelli vini colorem mentiri solet, grata & salutari febricitantibus impostura. Folia papyro vestita, et sub calidis cineribus igneum teporem experta, & pauco rosaceo excepta, quosuis tumores ad suppurationem facilè mouent. Noui quendam qui omnes dysenterias in paruulis, ad hunc curabat modum. Oxalidem forti aceto macerabat, deinde stuppis eodem aceto intinctis, sub calidis cineribus modicè decoquebat, postea succum exprimebat, & calidum propinabat. Penè omiseram, quòd oxalis mirabilem habet energeiam aduersus luem pestilentem, si ex aceto macerata, matutinis sumatur horis: fœlici experimento probatum, quemadmodum in nostro opusculo de Peste non obscurè ostendimus. Verum enimuerò, nec absurdum, nec inutile fuerit hoc loco proferre quid eam in rem scripserit Ant. Gainerius Papiensis medicus de peste differens. Acetosa, inquit, mirabilem habet virtutem aduersus pestem, sicuti ego accepi à fide digno quodam:

Malacia.

Tumores, suppuratio, paruulorum dysenteriæ.

Pestis & æstus febrilis.

apud

pud quem sæuiẽte peste quauis, nullus vnquam
locum mutauit, adiutus præsidio huius plantæ.
Huius bolum ante prandium & cœnam die qua-
libet ex domesticis vnusquisque sumebat: & si
deesset eius copia, puluerem ex ea resiccata, in
vino albo præsumebat, vtebatúrque nonnun-
quam catapotijs Rufini contra pestem. Ex quo
nullus è domesticis vnquam peste correptus
fuit. Addit ille idem Gainerius quòd oxalis
comesta, ictum à scorpione impressum non so-
lum sanat, sed & præsumpta, vel eius semen, nul-
lam noxam venenum relinquere in corpore per-
mittit. Quod Auicenna ante eum testatum esse
posteritati etiam voluit. Hoc postremum sit,
nostrates mulierculæ in febrium ardore contu-
sam oxalidem carpo manuum vtiliter impo-
nunt.

Spinacea, & medica eorum auxilia.

AREA VIII.

SANE mirandum est, spinacea olera veteribus incognita fuisse, cùm & pauperum & diuitũ mensas onerent per verna ieiunia, ac eosdem inerciant & saturent. Aluum emolliunt, & corpus humectant, flatúsque colligunt, nisi humor excremẽtitius abijciatur, & calidis rebus admotis emendetur. Cæterùm, quia in istorum olerũ cibaria præparatione à multis peccatur, ideo illam paucis hoc loco ostendisse, inutile fortaßis non erit. Abiectis radicum capillamentis citra aquam elixari postulant, nam magnam vim humoris inter coquendum effundunt, proprióque iure contenta, alienum aspernantur: aliter si

Alui lubricatio & flatus.

Quomodo sint coquenda & apparanda spinacea.

coquas, natiuum illorum ſuccum perdis ac temerè inebrias. Abacto poſt elixationem lentore, ligneo cultro, aut aliter, percutiuntur, & ſub inde verſantur, poſteà in manuales globos & offas herbaceas (expreſſa penitus ſanie) rediguntur, ac patinis ex oleo optimo vel recenti butyro, diligenter friguntur, addito omphacio & piperis tuſi momento, vt magis palatum titillent, & flatulẽtam humiditatem exuant. Sed hîc medicum agimus, non coquum: quare, quæ medicorũ ſunt promittamus, & ſua tractent coquinalia coqui.

Notanda & in vſum vertenda.

Borrago, & medica eius auxilia.
AREA IX.

BOrrago, quæ verum & legitimum bugloſſum multis eſſe creditur, folijs ſuis, obſoniorum iuribus ſalubrem & peculiarem addit gratiam: eſtq; hyeme apud nonnullos eius radix, foliorum vice, quoties anni tempus illa denegat. Flos in æſtate in acetarijs ſummè gratus habetur. Olus hoc, ſuaui ſuo odore (nam peponem iucundiſsimè ſubolet) vires recreare ſolet, ac animi voluptates, vt tradit Galenus, in vino augere. Ex quo Græci εὐφρόσυνον, hoc eſt oblectans & lætificãs, ſcitè admodum nuncuparunt: adhæc νηπενθὲς, id eſt triſtitiam diſcutiẽs. In quam rem alludit vulgaris verſiculus,

Borraginem vires ac animi voluptates recreare.

Dicit Borrago, gaudia ſemper ago.

Tradunt plantam hanc vtilem eſſe aduerſus horrores febrium, eiuſq; radicem quæ tres emiſerit thyrſos, cum ſeminibus tritam, & ex vino decoctam, tertianis prodeſſe: quę quatuor, quartanis, quod etiam confirmat Dioſcorides. Alij teſtãtur abſceſ-

Febris tertiana, quartana, abſceſſus, tuſsis.

abſceſsibus valde accommodam eſſe. Galenus illos, qui ob faucium aſperitatem tuſsiunt, decocto eius in melicrato ſummè iuuari ſcribit. Plinius addit, quòd ſi quis borragine aut bugloſſo ...areſcente, medullam è caule exemerit, alligaueritq́; ei ſeptem folia ante acceſsionem, à febre liberabitur. Poëta herbularius ex Arabum placitis, de Borragine teſtatur,

Febris, cholera rubra, pulmonarij, cardiaci, iſchiatici, & memoria.

Quòd choleram rubram nimio feruore peruſtam
Purgat, cum vino fuerit ſi ſumpta frequenter:
Humores nocuos pulmonis detrahit hauſta,
Mixtus aquæ tepidæ ſi ſuccus ſumitur huius.

...ubdit prætereà, quòd cardiacis valde prodeſt, ... ijs qui coxendicum labores patiuntur: adhæc, quòd vino ſæpè immerſa, memoriam reddit illæſam ac vegetam. Hîc non tacebo quod expertum audiui: Si mulier à partu non poteſt liberè purgari, propina illi ſuccum borraginis, porrorum & petroſelini, cum vino, vel oleo dulcium amygdalarum, & videbis rem admiratu dignã. ... addideris ſuffitum ex cornibus & vngulis capræ, vterum valde commouebis ad excludendũ excrementitias geſtationis reliquias.

Partus & eius purgatio, vterus & ſecundæ,

...ſparagi, & medica eorum auxilia. AR. X.

HIC mihi monẽdus eſt Lector, quòd Græci germina herbarum & fruticũ ante florem ...ũpentia, nomine largè ſumpto, aſparagos nuncupare ſolent. Sed nos hoc loco agimus duntaxat de ijs aſparagis qui ſatiui ſunt & altiles, quiq́; propriè ac peculiariter id nominis ſunt adepti. ...orũ cibus ſtomacho vtiliſsimus eſſe traditur: ...i ſi cuminum vel aniſum addatur, alui & coli

Stomachus, inflationes alui & coli,

vrinæ, calculus, vuluæ pectoris, ac spinæ dolor, Venus & venter.

inflationes discutiet, vrinas mouebit, ac calculos exturbabit. Sunt qui ad vuluæ dolores radicem cũ vino dulci propinent, & negent ab apibus illũ posse pungi, qui asparagis cũ oleo tritis perũctus fuerit. Plinius pectoris & spinæ doloribus summè prodesse scribit, ac Venerẽ stimulare, & ventrem leniter mollire. Sed ante alios cibos debent sumi. Vndè maximoperè peccant, qui postrema mensa illos apponunt. Dioscorides assos aut elixos, vrinæ stillicidium, difficultatemq́;, ac dysenterias mitigare tradit. Galenus verò renes ac iecur infarctu liberare, maximè radice & semine. Quod Q. Serenus in sua illa celebri remediorum poëtica sylua non omisit, hunc in modum scribens de lumbis & renibus sanandis,

Stranguria, dysuria, dysenteria, renes & iecur.

Aut caput asparagi cum vino sume vetusto,
Seu mauis appone: modus conducit vterq;.

Radicis decoctum ægrè meientibus prodest, ac dentibus excruciatis medetur, si qua dolent parte contineatur. Non desunt qui canes necari scribãt, hausto asparagi iusculo. quod an verum sit nécne, faciet experientia fidem. Cæterùm hîc nec dissimulabo, nec tacebo, quod modicam coctionem sustinent asparagi: nam diutiùs percocti, in tabem abeunt. Ex quo Imperator Drusus, celeris rei successum demonstrare volẽs, dicere solebat: *Citius quàm asparagi coquantur.* Si in iure pingui elixentur, suum condimentum sic apud multos secum referũt: Si in aqua, oleo optimo, vel butyro recenti, addito sale & aceto, piperisq́; momento conspersi & imbuti, summa cum voluptate manducantur. Sed rursus obliuiscor me hîc medicum agere, non coquum.

Vrina & dentes.

Quomodo coquendi & parandi sint asparagi.

HORT

HORTI MEDICI CAMPVS SECVNDVS, RADICES ALIquot esculentas, quatuor areolis continens.

Porrum hortense, & medica eius auxilia.

AREA. I.

RAdices aliquot hortorum esculentas medicè hîc descripturus, à Porro auspicandum duxi: quod Sotion in suis Græcæ agriculturæ præceptis refert tritum et appositum, morsus reptilium, alio quouis pharmaco citiùs, curare: eiusq; semen cum passo potum, vrinæ difficultati mederi. Adhæc vetustis sanguinis reiectionibus opitulari, si temperato modulo cum pari baccarum myrti vel gallæ mensura, & thuris farina, opportunè ex vino, si febris absit, propinetur. Hippocrates absque vlla mistura dari iubet, vsumq; porrorum nimium & continuum prohibet, quòd oculorum aciem hebetet, ac stomachum malè habeat. In quam rem Eobanus Hessus pulchrè & eleganter allusit ad hunc modum:

Reptilium morsus, dysuria, sanguis, oculi & stomachus.

Officiunt oculis capitati segmina porri,
Interiora graui viscera mole premunt.

Vsus illorum innocentior fiet, si tantùm percoquantur, vt in rabem ferè soluantur: si enim creduntur non minùs alere quàm carnes: tametsi ægrè à ventriculo conficiãtur, ob fibrosum nescio quid, quod illis inest. Crudorum succus largus Plinio inter deleteria recensetur. Nam fama est, Melam equestris ordinis reũ, ex procuratione à

Succus porrorum inter deleteria adnumeratus.

Tiberio principe accersitũ, in summa desperatione succo porri ad trium denariorũ argenteorum pondus hausto, confestim expirasse absq; cruciatu. Porrũ ex melle tritũ vlcera purgat: & eius succus paucus cũ lacte muliebri haustus, profluuia ex abortu sedat, tussimq; vetustam curat, quemadmodum herbularius adnotauit poëta:

Commixtus (inquit) porri succus lacti muliebri,
Et bibitus, tußim fertur sanare vetustam:
Ac varijs vitijs pulmonum subuenit idem.

Vlcera, fluxus muliebris, tussis, pulmo, punctura venenata & capitis dolor.

Datur salubriter cũ vino his qui à venenatis bestiolis icti fuerunt: imò verò cum melle tritum vtiliter puncturæ earundem superponitur. Si præterea eius succo pars mellis tertia addatur, & per nares vel aures guttatim infundatur, modò id tepidum fuerit, capitis dolores frigidos compescet. Idem succus aceto exceptus, vel cum galla remixtus & fronti illitus, stillantem è naribus sanguinem sistit. Quod etiam fiet si adiecto thuris polline naribus inijciatur. Quin & thoracis vitia cum melle datus expedit. Hîc non est tacendum ex Galeno, quòd porrum acrimoniam deponit, ac minùs inflat, si bis permutata aqua coquatur, deinde frigida perfundatur: quo modo etiam fluentem aluum sistere fertur, & grauem vocem explicare, faucium asperitatem suo lentore deliniendo. Vnde & perdices (si Aristoteli credimus) porro vescũtur, canorę vocis gratia. Hinc minùs mirũ esse debet, à Nerone mansum fuisse porrum ex oleo, statis mensium diebus, ad cõciliandam vocis præstantiam, dum pro ea certaret cum phonasco: per quod tempus, nihil aliud, ac ne panem quidem, sumebat, quemadmodum scri-

Sãguis, thorax, fluor alui & vox.

Pulchra historia de Nerone.

scribit Plinius, qui de sectiuo porro id intelligendum censet: cui ille idem princeps Nero autoritatem dedit. Experti sunt nonnulli, succum porrorum ex vino haustum, lumborum dolores mitigasse, & fracturas apponendo solidasse. Quid amplius?

Lumborum dolor & fracturæ.

Contractas vuluas succo curabis eodem:
Hocq; hausto reddes fœcundas sæpè puellas.

Dissimulandum non est ex Dioscoride, Plinio & Celso, quòd porris facultas inest adstringendi, & sanguinem, vt diximus, supprimendi: ex quo vulneribus ritè imponuntur. Quod Q. Serenus non tacuit, hunc in modum ea de re eleganter scribens,

Sanguis, vulnera & lotij difficultas.

Præterea nimios reserati vulneris amnes
Fœniculi cinis adstringit, vel fimbria porri,

Semen eiusdem contusum, & ex passo, aut vino albo generoso, vt diximus, bibitum, lotij difficultates soluit, ac vrinarios meatus aperit. Et si succo porri misceatur adeps anseris, ac eo inungatur collum vteri post menstruas purgationes, contractam matricem relaxabit. Idem succus cũ aqua tepida haustus, potẽter operatur in euocãdo & ducẽdo fœtu parturientium. A nõnullis ꝓ experto audiui, quòd porri semina cum mirrha & aqua, vel succo plantaginis trita, saluberrimũ præstant auxilium aduersus excreationes sangui guinis pulmonarias, vel thoracales. Et eorũdem drachmæ duæ cum granis aliquot myrti & aqua portulacæ idem operantur. Præterea vapor de coctionis foliorum porri, saluiæ & lauri ex generoso vino, per anum exceptus, & calentes herbæ ventri appositæ, eius dolores etiam colicos abolent. Quod experimẽtis multis testatum est cum

Vterus, partus, sanguinis sputum.

Vẽtris dolor Colicus dolor, vuluæ, menses, fœ-

cunditas & fluor sanguinis.

sequentibus: nimirùm, quòd succus porri sectiui cum melle vuluas purgat, & cum vino generoso haustus, menses ciet. Cibus ex illis frequenter repetitus, ad fœcunditatem prodesse fertur. Et si cum thure, aut galla teratur porrum, & eo nares infercianturf, fluentem ex illis sanguinem sistet.

Membrum sideratum.

Cæterùm, si quis experiri volet num membrum aliquod amputandum, vere sideratum & sphacelismo tactum fuerit, partem eam porrorum quæ virescit, contundat, & vna nocte membro superponat. Id si postridie liuorem aut nigrorem nonnihil exuerit, significabit vitale adhuc esse, sin minùs, mortuum & iustè amputandum ne pars syncera trahatur in vitium. Experimentis multis cõfirmatum fuisse mihi fidem fecit Hispanus quidam arcanorum naturę explorator indefessus: quod posteris impertitum volui. De medicis porrorum auxilijs hactenus. Sed prius quã ex hac tabula porracea manum tollam, monuisse iucundum erit, & fortasse gratũ, quòd qui cuminum pręgustauerit, fœdum & tetrum porrorum odorem nunquam exhalabit, etiam si larga manu porrum ipsum manducauerit. nam eius esu grauis halitus extinguitur, quemadmodum tradidit Sotion in gręcis agriculturę præceptis. Hoc vnum restat ex petro Crescẽtio cognoscendũ, nimirũ quòd semen porri in vinum proiectum, efficit ne acescat: imò verò vt acetum in vinũ redeat, hoc est acorem omnem exuat. Quod experientia admodum facili & labore paruo ita probari potest, vt inde sequantur commoda mille. Sed indigni sunt nostrates œnopolæ, vinorum pestes, & eorundem perniciosi fucatores ac impostores, qui hæc resciant, & alia item iucunda æquè ac vtilia,

Notatu valde dignum.

Quomodo tegatur fœdus odor ex porris.

Quomodo fiat ex vino acetum, & contra.

tilia, quamplurima, in nostris vinorum secretis & auxilijs describenda.

Cepa, & medica eius auxilia.
AR. II.

VEteres rustici, vt testatur Columella, Cepas *vniones* nuncuparunt: quòd vno & singulari constent capite, & non pluribus bulbis aut nucleis coagmentato, vt allium. Quod nomen apud nostrates Gallos, velut triuiale hactenus vsurpatur. Hippocrates cepam aspectu, magis quã esu, commendauit, visu bonam esse dicens, & gustatu malam, quia est mordax, summè calida, & æstuosa. Sotion Græcus agricola & medicus, autor est, teneriorem cepam cũ melle à ieiunis quotidie manducatam, firmitatem valetudinis custodire. Id quod etiam adnotauit herbularius poëta, de cepis hunc in modum scribens:

Hippocratis iudicium de cepa.

- quisquis ieiunia soluerit illis,
Vnaquaque die, viuet hic absque dolore.

Tradit insuper idem Sotion, cepas vlcera ad sanitatem perducere, & vitiligines in Sole perfrictas emaculare, purulentisque auribus suo prodesse succo. Si anginis illinantur, auxiliari ferunt: perinde atque tussi, modo sub cineribus coquantur, & ex oleo comedantur. Sunt qui adfirment virides cepas ex aceto tritas & perlitas, canis morsum post diem tertium soluere: necnon in foculo tostas, & cum hordeacea farina positas, epiphoris, genitaliumque vlceribus succurrere: ad hæc earũ succum tepidum cum lacte muliebri instillatum, aurium grauitatem ac sonitum emendare. Quem etiam ex aqua bibendum multi dederunt repentè obmutescentibus. Hæc omnia ille idem poëta

Vlcera, vitiligines, aures angina, tussis & canis morsus.

Epiphora, genitalia, aures, obmutescentes.

& morſus canis, poëta verſibus aliquot expreſſit, de cepis ita loquens,

Appoſitas perhibent morſus curare caninos,
Si tritæ cum melle prius fuerint, vel aceto:
Apponunt alij cum vino, melleq́; tritas,
Tranſactisq́; tribus ſoluunt cataplaſma diebus.
Fœmineo lacti commiſtus ſuccus earum,
Pellit ſæpè graueis, infuſus, ab aure dolores.
Is rurſum commiſtus aquæ, bibitusq́;, iuuabit
Illos quos ſubitus facit obmuteſcere morbus,

Dyſenterici lumborũ dolor, hydrops, lethargus, tubercula, nares & caput.

Non defuerunt qui cepas dyſentericis exhibuerint, & lumborum doloribus mirifice prodeſſe dixerint: ſuccumque illarum cum ſucco fœniculi, incipientibus aqua intercutanea laborare vtiliter propinarint. Qui vnus cum ruta & melle, etiam lethargicos excitauit: & cum paſſis vuis, vel fico, tubercula maturauit, & confeſtim aperuit. Idem naribus exceptus, caput à noxijs humoribus exonerat: & cum bõbace, in anum miſſus, cunctantes hæmorrhoides euocat. Præterea cepa confricata pilos regenerat, & olfacta paralyticos ac ſpaſmaticos valde iuuat. Quæ alba eſt, ſub cineribus cocta & multo butyro recenti excepta, vehemẽtes hęmorrhoidum dolores ſedat, illis appoſita. Cum ſale & melle trita, & morſui ab homine vel rabido cane impreſſo, diem vnum admota, auxilium non vulgare adfert. Et ſi cum adipe gallinæ teratur, corporis rubras ac liuentes maculas obliterat, maximè faciei. Quod etiam præſtat ſanguis gallinæ nigræ. Eadem cepa cum ſale aut melle trita callos & poros eradicat, præſertim qui de calceamentorum attritu fiunt. Addam ex Galleno, quòd qui ex vetere cepa locũ alo-

Hæmorrhoides, paralyſis morſus canis ac hominis, puſtulæ, calli & pori.

Alopecia, ophiaſis, part⁹ & plagæ beſtiarum.

pecia

pecia vel ophiasi glabrum sæpenumero fricabit, summum illi præsidium ad pilorum generationẽ adferet. Præterea, si cepa in vino vel aqua parum coquatur, deinde teratur, & in oleo cõmuni frigatur, ac vtero emplastretur, dolores à partu relictos soluet. Et qui eandem sub cineribus coctam cum fermento & oleo liliorum subiget, præstantissimum habebit remedium ad maturandum, & emolliendum abscessus. Sed ne, obsecro, omittamus, quod cepa solo odoratu materiam multam pituitosam à cerebro elicit: adhæc quod prisci bestiarum omnium plagis ceparum succum fœlici successu instillauerunt: monueruntque cepam commanducatam, vel ex vino albo potam, tardantia menstrua accelerare, & pedum intertrigines, gallinarum pingui remisto, emendare. Qui foculo percoctam & oliuo exceptam sumpserit, morsus ac biliosas erosiones, dysenteriæ comites maximoperè leuabit: necnon sęuos hæmorrhoidum labores mitigabit. Sed lucubrantibus, & literarum studijs addictis summè cauendum est, ne cepis ac allijs profusè vtantur: nam oculos vitiant, visum obtenebrant, sitim accendunt, & bilẽ exacuunt: prosunt tamen pituitosis vtcunque, & maximè hyeme. His addo, ex Galeno, quòd cum bis elixa fuerit cepa, acrimoniam deponet, viresque imbecilliores habebit, succi prauitatẽ nec retinẽs, nec agnoscens. Verumenimuerò, hoc loco valde admirandum occurrit, quòd cepa olerum omnium sola, vt tradit Plutarchus, Lunæ damna non sentit, habetque augendi & minuendi vires illi contrarias. Nam reuirescit ac regerminat decedente & senescente luna, inaręscit verò ac marcessit eadem redeunte & adolescente.

Menstrua intertrigenes, dysenteria, hæmorrhoides & oculi.

Cepā habere vires lunę cōtrarias.

Atque

Atque hinc fortaſſe factum fuit, vt Peluſiotæ Ae-gyptij ſacerdotes, cepas religioſè ſuis abdicarint menſis. Nam cùm fruges, herbæ, arbores & animalia ſideris lunaris incrementa & detrimenta ſentiant, ſola cepa viciſſitudines agnoſcit aduerſas. Pro coronide ſit hoc. Ceparum philuræ ſeu tunicæ ſub cineribus coctæ & tepidæ parti ambuſtæ admotæ, vſtionis cuiuſcunque dolorē ac ſenſum tollunt. Quod etiam præſtare ſolet earundē ſuccus expreſſus & linteolis exceptus, ac nonnihil calens per initia adhibitus. Nam acres fuligines & vſtionis ſcintillas ſub denſata cute delitesſcētes expedit, & foras laxata cuticula abire ſinit. Quæ res varijs experimentis, vnà cum his quæ ſequuntur probata fuit. Aperitur & excauatur alba cepa, ea parte qua radices ſpargit: præſtantiq; theriaca ſucco citrij mali ſubacta, infarcitur, & occluſo foraminis oſtiolo, ipſamet particula quę deraſa fuit, papiro, vel pergamena charta inuoluitur, & deligatur, tum demum ſub calidis cineribus tantiſper coquenda ſepelitur, donec probè emollita fuerit, vt cremor ab expreſſione ſtillans excipi poſſit, ſanè quàm vtilis his qui peſte laborant: ſed eos illico ſudare oportet. Eadem cepa, vt prius excauata & cumini puluere ſaturata, cocta, & expreſſa, ad aurium ſurditatem vtiliter inſtillatur. Deuoratur etiam ſalubriter cum ſaccharo, aut melle, elixa, aut ſub prunis toſta, miro auxilio anheloſis, aſthmaticis, & tuſſientibus, addito recentis butyri momento. Craſſior ceparum ſquamma, cortex aut tunica, ſub feruido cinere torrefacta, aduerſus antiquum capitis dolorem non temere adhibetur, indito eius fruſtulo calente in aurem partis effectæ, addito roſaceo & lau-

Remedia contra vſtionem.

Peſtis auriū ſurditas, tuſſis, aſthma & capitis dolor antiquus.

rino oleo, necnon ſuccida lana quæ totam auriculam veſtiat. Sed hæc ruſticis & media è plebe popellis, non locupletibus ſcripta ſint.

Allium hortenſe, & medica eius auxilia.

AREA. III.

INter ruris pulmentaria, & domeſtica agri pręſidia, allium admodum familiare eſſe, nemo eſt rerum ruſticarum ſtudioſus qui neſciat. Hinc de Græcis geoponicis & medicis vnus Sotion tradit, allia in cibo ſumpta, vel è regione ventriculi appenſa, lumbricos expellere: & in cataplaſmate, morſis à vipera, aut rabioſo cane, mirum in modum auxiliari: imò verò ſi quis illa præſumpſerit, à ſerpentum, reptiliumque venenis tutiſſimum eſſe. Quarum rerum poſt Græcos, Arabes & Latinos medicos omnes, teſtem citabimus Eobanum Heſſum, poetam elegantiſs. de allij viribus in hunc modum ſcribentem,

Lumbrici reptilium ictus rabioſi canis morſus, & aliorũ venenatorum.

Nanque venenatis melius vix vlla medentur
Pharmaca, ſerpentis illius arcet odor.

Quod etiam longè ante Eobanum confirmauit herbarius poeta, de eodem allio ſic loquens,

--manſum, vel inunctum
Curat quos ſerpens, vel ſcorpius attulit ictus.
Sanat & appoſitum morſus cum melle caninos.

Hinc verè ſcripſiſſe mihi videtur Volaterranus, ſuo tempore inuentum fuiſſe ruſticum, qui cùm ſerpentem per hiantes fauces in agris dormiendo, ignoranter admiſiſſet, ſeſe ſtatim commanducatis allijs, ceu pręſenti amuleto curauit: virus tamen ac mortem, vxori (res mira) in coitu ſtillauit, ac transfudit. Ex quibus facilè colligis, allium

Pulchra & mirabilis hiſtoria, ac notatu ſummè digna.

Alliũ rustico rum theriaca & vnde.

allium rusticorum theriacam appotissimè dici: quòd illo nec præsentius, nec certius vllum habeant antidotum agrestes aduersus venena & venenata omnia. In quam rem allusisse mihi videtur Virgilius philosophus & medicus arcanorũ naturæ conscius, hoc disticho,

Thestilis & rapido fessis messoribus æstu,
Allia, serpillumque herbas contundit olentes.

Acria & odorata, omnia serpentibus infensa esse.

Causa esse potest, quòd odorata omnia vermibus ac serpentibus sint valde noxia: vel quod allia defatigatos spiritus recreent, & labascentes vires firment ac sustineãt, sed versus AEmilij Macri super ea re pulchrum erit audire.

Hac ideo (inquit) *miscere cibis, messoribus est mos,*
Vt si forte sopor fessos depresserit artus,
Anguibus à nocuis tuti requiescere possint.

Suggillata, vrinæ, renes, dentes, quartana & oculi

Redeo ad facultates, & medica alliorum auxilia quorum spicata & bulbacea capitella melle subacta, suggillata delere, ac liuentia ad colorem reducere, experientia docuit: necnon vrinas mouere, vitiisque renum pugnare: & dentium dolores, ore contenta, sedare, maximè à causa frigida. His, ex Celso licebit addere quòd allium antè accessionem quartanæ manducatum, calorem mouet qui horrorem non admittit. Sed illud de multis est memorabile, vt scripsit Serapio, quòd licet sanã oculorum aciem lædant allia, nihilominus eandem humiditate vitiatam ac hebetem refocillant Cum nitro, sale & aceto inuncta, phthiriasi, seu

Pediculi, lendes, vermes, papularũ eruptiones, len-

pediculari morbo medentur: quod etiam præstant per se, tum pota, tum illita, ex Plinij & Auicennæ sententia. Dioscorides contra pediculos & lendes, cum origano vtiliter propinari tradit, si-

ue

ue cruda, siue cocta fuerint. Absque rei alterius permistione in cibo sumpta, contra vermes prodesse, autor est Celsus: cui subscribens Rufus Ephesius addit, noua antiquatis esse præstantiora. Cum oleo & sale papularum eruptionibus profuisse testatum est: adhæc lentigenes ac lichenas emaculasse. Vetustæ tussi tam cruda, quàm cocta succurrunt: sed cocta crudis vtiliora censentur, & elixa tostis, ac ita voci plus conferũt. Sunt qui pro certissimo experimento mihi nunciarunt, allia tria & cum porci axungia subacta ad formam vnguenti, summum exhibuisse præsidium aduersus tussim ex frigore contractam, quoties plantæ pedum eo vnguento, ante focum inunctæ fuerũt, & in lecto spina dorsi: verum in prandio & cœna, pectorali decocto vtendum est. Profuit idem vnguentum etiam contra febriles horrores ac rigores, sed cum supra dictis, carpi manuum etiam inungi debent. Qui allia prægustauerit, si venenũ hauriat, nihil ei incommodabit: & qui coctionis munia obire non possunt, magnas vtilitates ab allijs percipient: modo id prodiga non fiat manu: nam sic oculis impensè nocerent: quod non prætermisit poëta Hessus, de allio ita canens:

tigines lichenes, & tussis.

Tussis, febris venenũ, coctio, & oculi.

Præterea, coctumue cibo, crudumue comestum,
Calfacit, & stomachos humiditate leuat.
Verùm oculis persæpe nocet, si copia sumpti
Multa sit, & sicca conficit ora siti.

Praxagoras aduersus morbum regium, cum coriandro in vino admiscet. Hippocrates suffitu, secundas partus euocari existimat: quod etiam testatur Plinius, apud quem secundos partus perperam scribi existimo. Diocles apud eundem, ne-

Icterus, secundæ partus, nephritici, vrina & hydrops.

phriticos, si elixum fuerit, iuuare contendit vbi etiam phreneticos malè scribi arbitror. Sententiæ nostræ astipulatur Didymus Græcus geoponicus, tradens allia vrinã subducere, & nephritim, siue renum morbum curare. Nunciarunt mihi nonnulli certo experimento, allium elixatum, vel sub cineribus coctũ, & cum pice tritũ, omnia quæ in vulnere continentur extrahere. Adhæc, nucleos allij sua tunica exutos, & in muliebre pudendum penitiùs missos, menstrua emulgere: sed filo debent coxæ alligari, vt cùm visum fuerit retrahi possint. Addebant id iucundius & multò plausibilius fieri, allijs cum oleo de spica vel de Keir vocato tritis, & in rarum linteolum oblongi sacculi & rotundi modo conformatum, intrusis, ac in vuluam profundè pulsis, & dum licebit exclusis: sic enim cessantes menses potenter mouent, & vterum mira voluptate reficiũt ac repurgant: adeò vt hinc facta sit via nõnullis ad conceptum, longo tẽpore desperatum. Hîc non tacebo, quòd allij nucleolus decorticatus, assatus, & dẽti excruciãti appositus, illi egregiè auxiliatur, modò à causa frigida obortus fuerit dolor. Quod etiam experti sumus in radice chelidoniæ trita & admota. Præterea, alliũ cum vino tusum & percolatum, valde confert puncturæ serpentis, si illico bibatur, & acri cepa locus ictus diligenter confricetur: vel emplastrum ex allijs, folijs ficus & cumino vnà attritis, eidem superponatur. Quæ res etiam locum habere poterit in alijs venenatorum animalium morsibus. Eadem porrò allia cum centaureo, vel duplici fico, ad euacuandam & exclusis aquis resiccandam aluum, hydropicis valde conferre testatur Diocles: sed certius id præ-

Vulnus, menstrua, vterus, conceptio.

Dentes, serpens & venenata.

Morsus venenatorum & hidrops.

præstare aiunt viride allium, ex mero cum coriã-dro tritum ac epotum. In quam rem πάρεργον non erit poëtę herbularij versus proferre, quibus hęc & superiora pulchrè, sic satis, confirmat: de allio itaque hunc in modum scribit,

Notãda hæc antiquorum experiméta.

Prodidit Hippocrates educi poße secundas
Fumo combusti, si vulua diu foueatur.
Praxagoras illo fuit vsus cum coriandro
Et vino, morbos sic curans ictericorum.
Cum centaurea Diocles dare præcipit illud
Hydropicis: sic humores desiccat aquosos.
Idem nephreticis elixum sumere iußit.

Sunt qui dentium dolores à frigida causa sopiant tribus alliaceis bulbulis, in aceto tritis, & in dentium caua immissis. Alij, sola aqua decoctionis eorum os colluunt. His addendum venit, quod porrigines, ex aceto & nitro tollunt allia, valentque plurimùm præsumpta, & ore contenta, aduersus frigidi aëris iniurias, ac turbidarum aquarum, niualiumque incommoda. Quartanas bulbulus vnus, cum laserpitij obolo potus fertur excutere: adhæc in cibo mistus & comminutus, aduersus pituitam gallinarum, ac gallinaceorum valde prodesse.

Dentium dolor, prurigo, turbidæ aquę, frigidus aer & quartanæ.

Est id de multis etiam nescire pudendum,
Quod nihil hoc Veneri gratius esse solet.

Vnde si trito allio iumentorum natura tangatur, vrinam impeditam expediri, & hinc ad Venerem proritari aiunt. Si cum faba ad tabem vsque coquatur, & tempora inde illinãtur, hemicraniam capitisque dolores, à frigida causa, de experimeto sanat: & cum anseris adipe auri instillatur, & surditati prodest. Elixum, tussim, suspiria, ac

Vrina, Ven. capitis dolor surditas, tussis, suspiria, vox rauca, teinesmus. & pulmonũ affectus.

raucam vocem emendat. Quòd si pulticulæ incoquatur, aduersus teinesmon mirè confert, ac frigidis, pituitosisque pulmonū affectibus summè auxiliatur. Porrò, Galenus tradit, bis térue cocta & elixa allia, acrimoniā deponere, sed alimentū corpori paucissimum dare, quod ante elixationē omnino negabant. Abstinendum tamen præcepit non solū à frequenti illorum vsu, sed acriū omnium, his potissimum qui natura sunt biliosi. Solis enim qui succū crudū, crassum, aut lentū aceruarunt accommoda sunt, modò opportunè sumantur. Quæ sequuntur omittenda non duxi. Prodit Didymus, Grȩcus rei rusticæ scriptor, vel potiùs Sotion, vt meus habet codex Græcus, tædium halitus à manducatis allijs cōciliatum aboleri, si faba cruda illis superedatur. Alij, betæ radicem in prunis tostam supermanducare, satis superq; esse putant: quo remedio virus eorum tegi, è Græcis Menander vnus pollicetur, sicuti in betȩ medicis auxilijs paulò antè adnotauimus. Nostrates apio viridi vastidium illud deponūt. Si voles allia habere, quæ mandentiū halitū nullo modo vitient, & tȩtrū odoris halitū deponāt, imò verò vt dulcia euadant, consule librū Secundū nostrorū Secretorū horti, inuenies illic quod placuisse queat. Duo valdè mirabilia (quod postremum erit) hoc loco nō tacebo. Prius est, mustelas & sciuros tētato allio dentibus, vix audere in posterū mordere, cicuresq; hoc modo fieri. Posterius, allia arborum ramis suspensa, accedentes ad fructuum deprædationem auiculas lōgè arcere, si vera sunt quæ in Græcorum georgicis adnotauit Democritus: cum quo hanc alliorū historiam claudimus, vt reliquis suus detur locus.

Quomodo fœdus halitus à commāducatis allijs possit emendari.

Duo pulchra & valde notanda.

Rapha-

Raphanus ſeu radicula & radix altilis, cum medicis eius auxilijs.

AR. IIII.

RAphanum ſatiuum, vulgus Gallicum *Raue*, & *Refor*, aut *Raphe* nuncupare ſolet: quo plerique omnes vrbani & agreſtes, dum cibi faſtidio vrgentur, edendi appetentiam vbique excitant, nunc per ſe, nunc cum aqua & ſale. Florentinus Græcus in ſuis de Agricultura commentarijs ſcribit, pituitoſis valde commodare, & nephreticis calculo vexatis appoſitè mederi: maximè ſi quis partem illius externam, cum vino albo & aqua coctam, vel tuſam, necnon percolatã, ieiunus diluculo hauriat, & dies aliquot id facere perſeueret. Vacuo ſtomacho ex aqua tepida offertur, vt meatum vomitibus præparet: in quam rem medici potiùs ſemine vtuntur, quàm carne. Si cum oleo manducetur, eructationes de ventriculo, quas ſolet, ciere non poteſt: nam eas exhalare non ſinit oleum. Succus ex paſſo potus regium morbum curat, & cum melle, tuſſes. Quæ res etiam ſuſpirioſis & anheloſis concedetur. Medius apud Plinium medicus, coctos raphanos dare iubet ſanguinem excreantibus. Cui ſic ſubſcribit Q. Serenus,

Appetentia, pituitoſi, nephretici, calculoſi, vomitus.

Icterus, tuſſis, ſuſpirioſi, anheloſi & ſanguinem excreantes.

Sin autem rutilus referetur pectore ſanguis,
Sorbitio menthæ, raphanus vel cocta iuuabit.

Idem Plinius autor eſt, ſatiuos raphanos in poſca decoctos, ſerpentium morſibus mederi, ſi illinantur: ſed poſcam non addit Q. Serenus, his verbis rem eandem ſic perſequens,

Proderit & caulem, cum vino, haurire ſabuci:
Aut coctum raphani librum, tritumue ligare.

Serpentum morſus & venena.

Tradũt alij, quòd tota radix venenis vſque adeò aduerſatur, vt præſumentibus ieiunis non ſint nocitura. Et qui eius ſucco infectas habuerit manus, ſerpentes impune tractabit: quod credendũ potiùs quàm experiundum ſuadeo. Sed illud de multis videtur memorabile, quòd qui raphanũ prægustauerit, ſi à ſcorpione feriatur, citra vitæ aleam euadet: & ſi ſcorpionibus inſpergatur raphanus, illos ad mortem adiget. Addunt Græci geoponici, quòd ſi quis à tormẽtis plagas ac vibices accepit, trito ac impoſito raphano emendabit nam cicatrices ac liuores ad colorem reducit, lentiginéſque in facie delet: quartanarios liberat, ſi continuo vſu ventriculus in vomitiones illo effundatur. Puerperis ac nutricibus ad augendam lactis copiam efficaciter exhibetur, ructuſq; primo cibo laxat, & vrinas exhaurit. Hactenus bona ex parte Florentinus, inter Græcos geoponicos & medicos ſummus. Hippocrates, vt medica ruſticis coniungã, capillos mulierũ defluos tritis raphanis fricari iubet: adhæc ſuper vmbilicum poni contra vuluæ cruciatus. Praxagoras iliofis dãdos cenſet, & Pliſtonicus colicis. Cũ melle non ſolum menſes euocant, ſed & inteſtinorũ animalia detrahunt, ac anginis opitulantur, cum aceto mulſo gargariſati, vt verbo vtar medico. Sed in his Galenũ audiendũ quis dubitat? Radix raphani, inquit, ex ijs eſt, quibus aſſidue veſcimur, eſtq; obſonium magis quàm alimentũ. Scribunt multi tam cibo quã potu aduerſus fungorum ſtrangulantia pericula ſalutarẽ eſſe raphanũ. Sanguinẽ acrem & mordacẽ gignit, proindeq; bilioſis corporibus obeſt. Sunt qui cacoſtomachum aſſerant, ac ructus ciere dicant, necnon cruditates, ſi coctrix vir-

Plagæ, vibices, cicatrices, lẽtigines quartanarij, puerperę, nutrices, ructus & vrinæ.

Capilli, vulua, ilioſi, colici, mẽſtrua, lumbrici & angina.

Raphani facultates ex Galeno.

virtus imbecilla fuerit. Quæ omnia intelligi debent de immodico illius vſu, eoq; ſimplici, vel cũ pauco rerũ aliarũ cibo. Nam vt hodie eſtur, eius vires facilè obtunduntur. Quanquam paſſim hic videre licet populares, larga manu ex pauco pane, raphanis innocenter veſci. Miratur Claud. Galenus quoſdã crudas raphani radices à cœna mãducantes, vt coctionem iuuent. Quod tametſi, inquit, dicant ſe compertum habere experientia, nullus tamen citra damnum potuit eos imitari. Hinc ſanè quàm rectè poeta Heſſus ſcripſiſſe cenſetur.

Summè notanda & aduertenda.

Et ſunt ante cibum qui magis eſſe probent.

Sed eam in rem audiendus eſt Leuinus Lemnius: Raphanus, inquit, quæ antonomaticè radicula dicitur, primis menſis inferri debet: ſic enim edẽdi auiditatem incitat, ac ſtomacho minus officit. Quocirca culpandi ſunt qui peracta propemodũ cœna aut prãdio eſitãt: ſic enim melius perfici coctionem ſibi perſuadent, cùm ventriculo infeſta ſit, niſi aqua ſaleq; cõſperſa, cibo præmittatur: alioqui graues halitus, ructusq; nidoroſos & ſuboli dos excitat. Decoctio foliorũ vtilis eſt contra obſtructiones hepatis & icterũ. Vnde prudenter facere mihi videntur, qui folijs raphani loco braſſicæ iuſcula condiunt ſua, guſtu æquè ac ſapore ex vtriſq; admodum iucũda & ſalubria. Succus radiculæ vel oleũ ex ſeminibus eius auribus inſtillata flatus & ſibila diſſipãt: & ſemẽ ex vino albo tritũ percolatũ & potũ, non minus eſt efficax aduerſus venena, quàm theriaca. Quod in lue peſtilẽti ſæpenumero obſeruatum vidimus. Idem ſemẽ cum aceto tuſum & gãgrenis appoſitũ, illas valde emẽdat. Et ſi ex percuſſione, vel flagellatione, vibices, liuo-

Hepar, icterus, aures, venena.

Peſtis gangrena, phlegmone, linores, veſica, lotium, ſug-

gillata lac & dentes.

liuores aut vestigia superfuerint, delebuntur semine raphani cum melle trito & inuncto. Si cum aceto radix teratur, initiantes phlegmonas iuuabit: & si cum radice nenupharis coquatur, vesicę dolores sedabit, ac lotium promouebit, emplastri modo pubi admota: præterea si succo eius caseus salem expertus miscebitur, suggillata oblite-rabit. Addam quòd ex frequenti vsu raphanorũ, lac augetur: nec omittam Plinium tradere, raphanis acrimoniam inesse pro crassitudine corticis, ac dentibus nocere, quòd illos atterant. Est certè hoc admirabile, raphanis & vitibus odia vsque adeò infensa & pernicialia esse, vt si iuxta serantur, ad sensum diffugere videantur, occulta nescio qua naturarum discordia. Quòd si permutatis scrobibus pangantur, nullo modo comprehendent: ex quo, contra ebrietatem, medicinam esse raphanum scripserũt Græci, illum cum brassica, vt in nostris hortorũ Secretis adnotauimus, confundẽtes, & contraria facultate (quod ad vina attinet) dotantes. Nam si in dolium corrupti ac vitiati vini immittatur raphanus, & paulò pòst eximatur illud emẽdare fertur, & vitium in se contrahere. Quod contrario fit modo à brassica, quæ vino immersa, illud vitiat & corrumpit, tantũ abest vt emendet ac reparet. Petrus Crescẽtius (ne quid hic dissimulem quod legerim, audiuerim, vel obseruauerim) tradit ex raphano acetũ fieri medicatũ hoc modo. Radices raphani siccatas in puluerẽ redigito, deinde in vas ꝙ vinum habeat, infundito, misceto, ac dies aliquot quiescere finito: sic acetum cõparabis raphanatum, ad renum calculos atterendos & deturbandos, aliáque multa, summopere vtile. Pauca restant. Fuit

Mira de vite & vino cum raphanis.

Vitiatum vinũ raphano reparari.

Quomodo fiat acetum raphanatum & quæ sint illius vires.

apud priſcos in tanto honore raphanus, vt Moſchion Græcus de eius laudibus integrum ſcripſerit volumen. In quo illũ cæteris cibis in Græcia vſq; adeò prælatum fuiſſe tradit, vt Delphis in templo Apollinis ex auro dicaretur, beta ex argento, & rapum ex plumbo. Quod hiſce quatuor verſiculis doctè complexus eſt Eobanus Heſſus, ſic de raphano loquens,

Pulchra de raphano, beta, & rapis.

Fabula narratur ſacros ab Apolline Delphos
Omnibus hunc aliis præpoſuiſſe cibis:
Ex auro vt raphanum ſacrarent, pondere betam
Argenti, plumbum rapa fuiſſe ferunt.

Priuſquam manum de hac hiſtoria tollam, ſecretum raphaninum multis experimẽtis mihi probatum & confirmatum contra nephreticos cruciatus & colicos, à calculis vel flatibus obortos, necnon ad iſchurias, cãdidis lectoribus, cãdidè, vt omnia, hîc proponam: quod tam præcauẽdo, quàm curãdo ſummoperè efficax & ſalutare inueni, ac pecunia oblata multis recuſaui: ſic itaq; habet. Accipe corticum acerrimi raphani vnc. vnam: oſsium meſpilorum drach. duas: blandè conquaſſata macerentur horis octo in vini albi generoſi vnc. quatuor, deinde percolata & modicè calentia propinentur in egreſſu lectuli, & eiuſdem ingreſſu: iteretúrque potio, ſi opus fuerit, doſim eius augendo vel minuendo pro corporum & ætatum modulo. Non deerũt qui pro tam ſalutari præſidio, mihi ſummã ſint habituri gratiam, vel potius pecuniam ingẽtem numeraturi, aut ſaltem munuſculum aliquod miſſuri. Sed ſcitu etiã iucundum erit, quòd raphani, ebora perbellè expolire feruntur: & ſalis cumulos

Nephretici, calculoſi, colici, & vrinæ ſuppreſsio.

quantumuis ingentes, in aqueã salsuginem illicò transmutare, si illis consepeliantur: & si vino immergantur, fœtorẽ eius, vt diximus, in se contrahere. Verùm hęc extra medicum Hortum nostrũ & institutum esse videntur: sequor itaq; reliqua.

HORTI MEDICI CAMPVS TERtius, herbas odoratas accipiens, XI. areolis.

Saluia hortensis, & medica eius auxilia. AR. I.

NVlli, vel saltem perpauci, reperiũtur horti, tã vrbani, quàm rustici, in quibus Saluia non spectetur: sic Latinis dicta quòd saluos et incolumes seruet multos. Ex quo, rythmicus poëta quem in admirationem rapiebant tam diuinæ plantæ huius vires, sciscitatur,

Cur morietur homo cui Saluia crescet in horto?

Huic pulchra datur antiphone,

Saluia planta salutaris.

Contra vim mortis non est medicamen in hortis.

Est itaque Saluia salutaris plãta, vnde ei nomen; vt ille idẽ poëta innuisse videtur, hoc senariolo,

Saluia saluatrix, naturæ conciliatrix, &c.

Ad fœcunditatem imprimis summè vtilis censetur: ex quo Agrippa, illam sacram non temerè appellauit: tradiditq; Leænas eã quærere & manducare ad partus facilitatem. Nec omisit Aëtius quòd grauidæ mulieres, si fluidæ laxæq; sint, illâ vtilissimè vesci possunt: nam conceptũ retinet, ac vitalẽ reddit. Si mulier succi plãtæ huius heminã cum modico sale, quarto à secubitu die potauerit, deinde viro post horæ quadrantem sese commiscuerit, proculdubio cõcipiet, si non sunt mendaces priscorũ libri. Hinc aiunt in Copto Aegypti post sæuas pestilẽtias ab his qui superfuerũt, ad eius succum bibendum mulieres coactas fuisse,

Fœcũditas partus & conceptus.

ſe, plurimóſque fructus inde productos. Medici tradunt ſaluiæ ſuffitu, menſes immoderatè fluentes, & omne muliebre profluuiũ ſiſti, ac neruos omnes roborari: quod etiam cõtingit potu eiuſdem: nam humiditates valde exiccat, quibus illi relaxãtur. Ex quo manuũ tremoribus auxiliari fertur. His addimus, ꝙ folia potui impoſita eius prauitatem & malitiam, ſi quæ inſit, emendant. Quod vulgato hoc verſiculo etiam iactari ſolet,

Menſes, muliebre profluuiũ, nerui, & manuũ tremor.

Saluia cum ruta faciunt tibi pocula tuta.

Eadem trita & venenatis morſibus ſuperpoſita, illis auxilio eſſe traditur, ac vulnerũ cruorem retinere. Et ſi cum vino ſuccus eius tepidus hauriatur, veterem tuſsim & lateris dolorem compeſcit. Bibita vel ſuppoſita matricem purgat, & ſecũdas à partu remoratas educit, necnon cunctantes fœtus excludit. Potatur inſuper ſalutari hauſtu cum abſinthio ad dyſenteriam: ferturq́ꝫ mortuos partus adpoſita extrahere, & vermes aurium educere, necnon ex oleo attrita, contra ſerpentes prodeſſe. Capillum denigrat, ac tetra vlcera purgat, & cum vino menſes remoratos trahit. Teſtium præterea, & vuluæ pruritus extinguũt tam rami quàm folia, ſi eorũ decocto foueantur. Quod herbularius poëta his verſibus vtcunq; expreſsit, de illa ad hunc ſcribens modũ,

Morſus venenati, tuſſis, vulnera, lateris dolor, matrix, ſecundæ, fœtus, dyſenteria, partus & vermes.

Serpentes, capillus, vlcera, mẽſes, teſtes, vulua, & virile membrum.

Pruritus vuluæ curat, virgæq́ꝫ virilis,
Si foueas vino, fuerit quo ſaluia cocta.
Illius ſucco crines nigreſcere dicunt
Si ſint hoc vncti crebro, ſub Sole tepenti.

Fit vinum ex ſaluia, ſaluiatum dictum, ad multa vtile & expetitum: de quo & alijs in vinis noſtris medicatis abundè ſcribimus. Tabidis pilulas ad hunc

hunc parat modum Matthiolus: Sumito ſpicæ nardi & zinziber. ſingul. drachmas duas, ſeminis ſaluiæ aſſati, triti, et cribrati drachm. octo: piper. longi drach. 12. & cum ſucco ſaluiæ pilulas conficito: ac manè ieiunis vnam exhibeto drachmã, eodémque modo veſpere, ac poſtea aquæ puræ quidpiam propinato. Orpheus dare præcipiebat ſanguinem excreantibus, ſaluiæ ſuccũ bibendum cum melle, ieiuno ſtomacho, atq; hinc effrænes illius impetus ilicò cohibebat. Sunt qui in condimentis, & ſalſamentis vtantur ſaluia, vt ſemiſopitam appetentiam excitent: maximè cùm ſtomachus humoribus prauis & crudis fuerit imbutus. Nolim impræſentiarum omiſſum, quòd ſaluia in hortis comitem vbiq; habere debet rutam: alioquin à ſerpentibus, buffonibus & rubetis vitiabitur, magno veſcentium & vtentium periculo: nam propè eam ſtabulari ſolent. Id quod pulcherrima et memorabili hiſtoria docet Ioan. Boccatius de eo qui cum amaſia in horto colludens, & gingiuas folijs ſaluiæ confricans ac detergens, illicò mortuus corruit. Ex quo in ſuſpicionem porrecti veneni mulier cum qua ludebat & Veneris prȩludia mouebat, nulla mora incidit. Cùm verò in hortum eum à iudice duceretur, et decerpto illiuſmet ſaluiæ ramulo, mortuũ hominem eo modo, quo tunc ipſa, gingiuas confricando, corruiſſe oſtenderet, corruit quoque ſtatim & ipſa, magno aſtantium ſtupore & miraculo. Vnde iudex ſanequàm prudens & arcanorum naturæ haud ignarus, de ſaluia illa malè ſuſpicari cœpit, & ob id eam actutũ effodi iuſsit. Quod dum fieret, ecce prægrandis & luridus bufo ſub ea latitare & ſtabulari deprehẽſus eſt. Qui

Sanguinis excreatio, appetẽtia & ſtomachus.

Saluia venenatis animalibus obnoxia.

vitic-

virofo halitu fuo, & vligine, faliuaq́ peftilenti totam plantam inficiebat. Quod fcriptum hîc volui & monitum, licet in noftra Memorabiliũ Chiliade etiam adnotatum fit, vt fibi deinceps cauere difcant, qui vel naribus, vel linguæ, fatis imprudenter, admouere folent hortorum plantas quafuis.

Hyffopus, & medica eius auxilia.
AREA II.

HYSSOpus Gallis vel hoc nomine cognita eft, quòd in vfum condimentariũ illis frequenter veniat, & recentibus fabis dũ elixantur, aut frigũtur, populariter, ac falubriter, remifceatur, nam flatuofam illarum humiditatem difcutit & emendat. Cum vino cocta & gargariffata, anginæ medetur: bibiturq́ vtiliter ad fufpiria, & ventris lumbricos deturbandos. Quadrupedum fcabiem ex oleo curat: & cum aqua, melle, fico & ruta, peripneumonicis & hepaticis fuo decocto fuccurrit: necnon tufsibus vetuftis, orthopnoicis, pleuriticis & deftillationibus obnoxijs, vt interim nõ omittam quòd etiam teinias in aluo necat, ac lumbricos cum ficubus, & ad vlcera manantia valde eft efficax. Iufculum eius cum aceto mulfo propinatũ, lentorem, & crafsitudines pituitæ diffecat, ac per inferiora abigit. Ad aquã intercutẽ & lienem tumefactum cum fico, nitro & iride efficaciter illinitur. Cum calente aqua, fuggillata emẽdat, & aurium inflationes at tinnitus, vaporis fui fuffitu difcutit. Dẽtium excarnificationes mitefcunt, fi illius decoctione tepida cum momento aceti colluantur: maximè fi dolor excrucians à caufa frigida obortus fit. Vinum decoctio-

Angina, fufpiria, lumbrici, fcabies, peripneumonia, tufsis, hepatici, orthopnoici, pleuritici, diftillatio, lumbrici, & vlcera.

Pituita, hydrops, lien, fuggillata, aures, dẽtes & vterus.

coctionis eius, vteri suffocationes laxat, & matricē à superfluis humoribus absterget. Singula his versibus nobis expediet herbularius poëta,

In pectus capitis si destillatio fiat,
Quæ persæpè solet tußim, phthisimq; creare,
Prodest hyssopi decoctio, sumpta decenter:
Sic vt cocta simul sint mel, ficus quoq; sicca.

Proderit etiã ijsdem puluis hyssopi cum melle, in modum ecligmatis, aut cum oxymelite. Quod medicamentum etiam flatus abigit, & viscosum phlegma dissecat, redditq; ad expulsionem facile. Sed pulchrum erit in medium proferre quæ de hyssopo scripsit Ioannes Mesuæ, familiæ Arabicæ medicus præstãtissimus. Hyssopus (inquit) thoracem & pulmones, partésque alias respiratorias pituita, & humoribus putribus ac purè expurgat: & tenuãdo, incidendo ac tergẽdo sputum facile reddit. Ob hæc asthmati & epilepsiæ pituitosæ, cæterísque cerebri affectibus humidis salubris est, si decoctum eius sumatur cum oxymelite scillitico. Coctionem quoque iuuat, respirationem leuat, & cutis colorem floridum facit. Cum vino decoquitur ad soluẽdos tumores hepatis, lienis & aliorum viscerum. Quæ odore & sapore est acerrimo, præstantior censetur, & quo floret tempore, eo colligi debet. hactenus Mesues. Hoc loco mihi sanè quàm opportunè in mẽtem venit secretum cuiusdam doctissimi medici, facile admodũ & familiare ad deturbandos è renibus calculos. Id solùm constat syrupo hyssopi cum duplo vel triplo aquæ parietariæ. Quo remedio per dies decẽ aut duodecim hyeme propinato ieiunis, fidem ille mihi fecit se multos calculos

Flatus & pituita.

Thorax, pulmo, asthma, epilepsia, coctio, respiratio, hepar, lien & viscera.

Renum calculi.

culos & arenas è corporibus multorum exclusisse. Hæc de hyssopi viribus satis erunt, vbi admonuero quòd mediocrem sustinet coctionē ac trituram. Sed iucundum erit hìc adnotare ex Petro Pena, quòd in Anglorum hortis nullo mãgonio hyssopus dimidio sui folijs & ramulis adeò candescit absque lanugine, vt quamlibet niuem aut calcē facilè prouocet semisse altera viridi manente.

Satureia, & medica eius auxilia.
AREA III.

SAtureia Gallis *Sarrieta* dici solet, vrinas ciēs, ac menses euocans. Herba eius cum floribus, olfactu, aut coronæ modo capiti imposita, veternosos excitat. Succus cum rosaceo auribus dolentibus ritè instillatur, & cum triticea farina coxēdicibus vtiliter illinitur: medeturq; cum vino, pulmonis, thoracis, ac vesicæ vitijs. Pulices, cū aqua trita & respersa, necat: purgatq; optimè mulieres à partu, ac marcescētes coitus stimulat: quare à Satyris salacibus nomē traxisse creditur, vt sit satureia, quasi satyreia. Non est omittendū quòd ventriculi coctiones adiuuat, & eius fastidia discutit. Subactus illius puluis cum melle cocto, & delinctus, aut cum vino haustus, tenacem pectoris humorem per sputa educit. Idem cum vino tepido, ventris tormina compescit. Lethali somno oppressos expergefacies, si aceto calido satureiam commisceas, & inde caput frequenter foueas. Puluis in ouo sorbili haustus, Venerem sopitam excitare fertur. Fabis recentibus & vetustis cum selino incisa satureia & frixa, eduliū gratum tam vrbanis, quàm rusticis præbet. Sed coci sua coquinaria tractent.

Vrina, menses, veternus, aures, coxendix, pulmo, thorax, vesica, pulices, partus & coitus.

Coitus, ventriculus, coctio, pulmones, tormina, lethargus & Ven.

Maio-

Maiorana, seu Sampsuchus, & medica eius auxilia. AR. IIII.

Hydrops, dysuria, tormina, suggillata, menses, oculi, tumores, scorpiones, luxata, cerebrum & vterus.

MAiorana Gallis dici solet, quæ alijs sampsuchus appellatur: nomine, vt videtur, à Latinis mutuato: fortasse quod maiore cura & diligentia à mulierculis excolatur, quàm herbæ multę. Huius vis excalfaciens esse traditur, vnde iusculum decoctionis eius, ad incipienté aquam intercutem salubriter propinatur: necnon his quos lotij difficultas, aut tormina malè discruciant. Folia arida ex melle illita, suggillata emendant: & remorantes menses, in pesso subdita sensim euocant. Oculorum inflammationes prohibent, & cum polenta, tumores. Scorpionibus ex aceto & melle inuncta aduersantur, & cum cera luxatis mirè prosunt. Succus expressionis maceratorum in vino, naribus attractus, aut immissus, sternutamenta mouet, & à pituita cerebrum expurgat. Oleum ex ijs concinnatum, matricis coarctationem laxat: modò collum vteri, vt scribit Auicenna, illo inungatur. Mirabile sanè est, nedum memorabile, mures radicibus maioranæ certatim insidiari (sicuti à nobis sæpius obseruatum est) ac si medicamentũ & præsens auxilium ab illis deposcerent: sed in quem affectum, aut quam in rem, nos adhuc planè ignorare fatemur. Postremum id est. Ex maiorana quæ tenuior est, delicatior ac odoratior, minuta nuncupata oleũ fit stillatitiũ, quod coagulo leporino remistum, cum tantillo moschi veri, præstantiss. auxilium multis fuisse conceptui solicitando & fœlicitando autores sunt viri docti, arcanorum naturæ scrutatores summi.

Mures radicibus maioranæ insidiari.

Fœni-

Fœniculum, & eius medica auxilia.

AREA V.

HOrtis omnibus innotescit fœniculum, à serpentibus summè nobilitatum. Nam gustatu eius senectam exuere & oculorum aciem reficere traduntur. Vnde intellectum est, inquit Plinius, hominum quoque caliginem eo præcipuè releuari. In lactis defectu potum illius semen mammas implet: quod vnum etiam præstat, autore Dioscoride, si cum ptissana exhibeatur, imò verò herba ipsa. Idem semen ex aqua tritum nauseam sedat, & stomachi æstus compescit, ac dissolutum ventriculum recolligit: éstque pulmonibus, ac iocinori laudatissimum. Ventrẽ sistit, cũ modicè sumitur, ac lotium mouet, & tormina, si tostum fuerit, illicò mitigat. Decoctum comæ renum doloribus prodest, ac menstrua soluit: valétque radix cum ptissana ad eadem: quæ etiam hydropicis cum vino pota, necnon cõuulsis mirè auxiliatur. Folia vtiliter illinũtur ex aceto tumoribus quibuscunque ardentibus. Et puluis seminis cum mentha & axungia tritus, mammillarum tumores laxat. Prætereà vẽtriculo perfrigerato, & ijs quibus crassa pituita est incidenda, summè prosunt vnciæ sex corticis radicis fœniculi cocti in aceti & mellis libra vna. Post coctionem, facta expreßione, abijciuntur radices, & melle superfuso iterũ coquuntur omnia ad spissitudinem, & de ijs exhibentur cochlearia tria cũ aqua, plus, minus, pro ætate sumentis. Plerique radice vtũtur cum cera ad suggillata: cum melle ad canum morsus, necnon oculorum caliginem, & cũ aceto ad tumores ictu illatos. Cuius rei te-

Caligo oculorum, lac, nausea, ventriculus, pulmo & iecur.

Venter.

Lotiũ, tormina, renes, menstrua, hydrops, tumores, mãmæ, ventriculus.

Suggillata, canum morsus, caligo tumores.

ſtem citamus poëtam herbulariū, de marathri, ſeu fœniculi planta, in hunc ſcribētem modum,

Radicis ſuccus oculis cum melle perunctus,
Pulſa reddit eos omni caligine claros:
Illatos, ictu ſubito, quoſcunq; tumores,
Apponens tritam iuncto ſedabis aceto.

Semina ad diſsipandos & vacuandos ventriculi ac inteſtinorum flatus ſummè proſunt, vel vulgato id atteſtante verſiculo rythmico,

Semen fœniculi reſerat ſpiracula culi.

Flatus, genitura, pudendum.

Cæterùm, híc de multis tacendum non eſt, quòd fœniculum quomodocunque hauſtum, genituræ abundantiam promouet: éſtque pudendis amicisſimum, ſiue ad fouēdum, radice cum vino cocta, ſiue ad illinendum, eadem cum oleo trita. Fit ſuccus è ſemine adhuc lacteſcente & muſteo, vna cum folijs, ramis & cauliculis tenellis trito, & ſimul expreſſo, qui in ſole ſiccatus vtilis eſſe traditur medicamentis quæ parantur ad excitandam oculorum aciem. Prodeſt idē ex radicibus prima germinatione contuſis. Sunt qui caulem demetunt vbi floret, igniq; admouent, vt caloris vi exudantem, vice gummi, liquorem excipiant, qui vnus oculis multò efficacior ac præſtantior eſſe ſolet, quàm ſuccus pręcedens. Q. Serenus eam in rem vtitur liquore fœniculi melle excepto: cuius carmina hîc ſubſcribemus.

Oculorum acies caligans.

Si tenebras oculis obducit pigra ſenectus,
Expreſſæ marathro guttæ cum melle liquenti,
Detergêre malum poterunt.

Modus conficiēdi aquā caligantibus oculis vtilē.

Paulus Aegineta aquam oculis caligantibus vtilem ad hunc cōcinnat modum. In fictile nouum virētem fœniculum cum pluuiali aqua inijcit, & ibi

[i]bi dies aliquot simul esse sinit, deinde extrahit, [e]t aquã in vsum seruat perpetuo mense oculis in[s]tillandam matutinis horis. Hîc non omittam, [q]uòd fœniculo, tanquam aliméto vtendum non [e]st, quin potius vt medicaméto: nam tardissimè [c]oquitur, ac prauum & exile nutrimentum præ[s]tat. Nonnunquam tamen exhiberi solet ad cor[r]igendam ciborum quorundam prauitatem ac [m]alitiam. Quemadmodum enim lactucæ inter[d]um addimus petroselinũ, mentham, maioranã, [a]ut quid simile, vt eius frigiditatẽ obtundamus, [v]el contemperemus: ita & fœniculum nonnun[q]uam cucurbitis, & napis, vnà incoquimus, vt [i]llorum noxam & prauam qualitatem emende[m]us. Quod etiam in coquendis piscibus multis, [p]ræsertim marinis, locum habere solet: quos fœ[n]iculi folijs nunc obuoluimus, nũc infarcimus, [a]d conciliandã saporis suauitatem, & fallendam [m]arinæ auræ graueolentiam delicatulis palatis [p]lerunque molestam. Sed hæc coquinam potiùs [s]ubolere mihi videntur quàm medicinam, qua[r]e verbum non ampliùs addo.

Pulchra & notatu dignissima.

Mentha hortensis, & medica eius auxilia. AREA VI.

MEntha nomẽ suũ in Gallia retinet, quam Florẽtinus rusticæ disciplinæ apud Græ[c]os professor eximius, scripsit vel ob id inutilem [e]sse, quòd vulnerato exhibita, vulnus illius sane[s]cere & cicatricem ducere prohibeat: datur nihi[l]ominus in sorbitionem sanguinem excreãtibus, [v]el Q. Sereno teste, cuius hæc sunt verba, licet à [n]obis alibi producta,

Vulnus, sanguis, testes, aures, lingua, partus & canis morsus.

Sin etiam rutilus referetur pectore sanguis,
Sorbitio menthæ, raphanus vel cocta iuuabit.

Plantam hanc diuersis testium morbis occurrere certum est, si eius decocto opportunè foueantur: adhęc aurium dolores & linguæ asperitates cum melle iuuare, & cum sapa, partum accelerare, canisq́ morsus, cum sale curare. Si in lac proijciatur, neque illud coalescere, neque spissari permittet, etiam si ei coagulum remisceatur, quemadmodum scripsit Florentinus: qui eadem vi illam generationi resistere, & proinde parum vtilem esse arguit. Alij contrà, perquam salubrem habere defendunt, adeò quòd si mammis familiariter accesserit, nec coire lac patiatur, nec densari: quare lactis potionibus illam consultò addi promittunt, ne eius coagulatione periculum strangulationis immineat. Multi fidem mihi fecerunt, se probauisse, caseos nec corrumpi, nec putrescere qui mēthæ succo aut decocto illinerētur. Ex quo non ineptè post Græcos scripsisse videbitur herbularius poëta de hac planta hunc in modum,

Lac, mammę & casei.

Caseolos succus putrescere non sinit eius
Admixtus, vel si viridis superadditur herba.

Decoctum exhibitum ad tres dies, ita à colico dolore liberare fertur, vt nunquam repetat: autor est Aëtius, testās se eo auxilio à colico cruciatu liberatum fuisse. Singultus & vomitiones tam pituitosas quàm sanguineas menthæ succus cum succo granati sistit, vt Democritus in suis adnotauit Georgicis. Cum amylo & aqua, cœliacorum impetus fręnat, ac mulierum purgationes immodicas cohibet. Huius odor vt animū excitat, ita sapor auiditatem & appetentiam in cibis proritat

Singultus, vomitus, cœliaci, mulierum purgationes, appetētia, nares, caput & sanguis.

tat. Recẽtis ſuccus ſpiritu ſubductus, narium vitia emendat: qui etiam in capitis dolore, temporibus vtiliter illinitur. Idem cum acceto, ſanguinis fluxiones internas continet. Quin aiunt plantam ipſam impetigines, vel ſi teneatur tantùm, prohibere: quod alijs de mentaſtro ſcriptum placet. Non eſt hìc tacendum, quòd ſtomachum valde roborat, eiúſque putrefactiones ſummoperè emendat, vermes eò reptantes, & ventrem inferiorem obſidentes, ſusq́ deq́ exturbando. Cuius rei teſtem proferemus Salernitanam academiam ſic de mentha rythmicis verſiculis ſcribentem,

Impetigo, ſtomachus & vermes.

Mentitur mentha, ſi ſit depellere lenta
Ventris lumbricos, ſtomachi vermesq́ nociuos.

Exhibenda eſt autem eius decoctio (velut abſynthij) & non ſubſtantia. Cornel. Celſus de teretibus vermibus qui pueros ſolẽt infeſtare, id accipiendum & intelligendum cenſet. Dioſcorides ſuccum ex aceto propinatum idem præſtare pollicetur. Sed pulchrum erit audire Q. Serenum ſuper ea re pulchrè philoſophantem.

Pulchri verſus.

Quid nõ aduerſum (inquit) miſeris mortalibus addit
Natura? interno cùm viſcere teinea ſerpens,
Et lumbricus edax viuant inimica creanti?
Quod genus aßiduo laniat præcordia morſu:
Sæpè etiam ſcandens oppletis faucibus hæret,
Obſeſſasq́ vias vita concludit anhela.
Democritus memorat mentha conducere potum.

Partus, lac, & mammæ.

Bibita partũ accelerat, lac auget, ac mammarum purities ſoluit, cocta & emplaſtrata. Hìc omittendum non eſt, cultus mangonio humorem ſibi aſciſcere menthã, qui ad Venerẽ valde ſtimulos exacuit: quod eſt omnibus commune rebus quæ

Quomodo mentha adj Venerẽ ſtimulos exacuat.

ſemicocto humore, eoq́ʒ ſpirituoſo ac flatulento participant. Quæ res problematicum hoc Ariſtotelis Adagium ſoluet: *Mentha, belli tempore, nec ſeri, nec edi debet*. Hoc enim cibo largè veſcentes in libidinem ruunt, quæ corpus debilitat, vires frangit, ac animos eneruat. Quæ tria fortitudini & audaciæ ex diametro pugnare nemo eſt qui neſciat. Ariſtoteles tamen aliam arbitratur eſſe cauſam, nimirum quòd mentha corpori frigus adducat: eius rei argumento, quia ſemen genitale hauriendo corpus refrigerat: frigus autem fortitudini atqʒ audaciæ aduerſari certum eſt. Vt vt fuerit, Dioſcorides mentham, vt diximus, Venereis voluptatibus valde commendat. Vnde nihil mirum eſt ſi antiquitas, flagrante bello, militibus illius eſu interdixerit: ſcripſeritq́ʒ Ariſtoteles,

Cur olim militibus interdictus mēthæ vſus.

Mentham nec comedas, nec plantes, tempore belli.

Nam frequenti Veneris vſu fortiſsimi quiqʒ, ceu effœminati ac molles, facilè contorpeſcunt. Sed in his verſatum ſatis, vel fortaſſe plus quàm par fuerit, nam medicis ex mentha remedijs nihil conferunt.

Thymus, & medica eius auxilia.

AREA VII.

THymum vulgò Gallorum *Thym*, nuncupatum, plerique maioranam Anglicam dicũt: cuius flores apibus ſummè amicos eſſe norunt omnes: nam gratum colorem & odorem melli addunt iuxta Virgilianum illud,

. redolentq́ʒ thymo fragrantia mella.

Orthopnoici, ſuſpirioſi, pulmonarij, pectus,

Decoctum huius cum melle, orthopnoicis & ſuſpirioſis valde prodeſt: necnon ad pectoris vitia quæuis excreanda. Remoratos fœminarum menſes,

ſes, & enectos partus, ac ſecundas pellit, vrinasq́ promouet. Thymos ac verrucas herba trita tollit, & iſchiadicis cum vino ac polenta medetur, atq; optimè comitialibus datur, quos correptos olfactu eius excitari ſæpè audiuimus. Quin & illos dormire aiũt oportere in molli thymo. Folia trita & lanæ inſperſa, luxatis vtilit[er] ex oleo apponuntur: & ambuſtis, ex adipe ſuillo efficaciter linũtur. Sed vitari debet is thymus qui niger eſt, & eligi qui flore illuſtratur cæruleo vel albo. Verum enimuerò iucũdum erit hîc audire philoſophantem de thymo Ioannem Meſuæ. Calfacit, inquit, tenuat, incidit, reſoluit, obſtructa aperit, ac craſſos flatus diſsipat. Pituitam clemẽter educit per aluũ (cum ſale & aceto vt Dioſcoridi placet) &, vt quibuſdam libet, etiam melãcholiam, ſed imbecilliter, cum ſale gemmeo vel Indo. Pituitam etiam craſſam & lentam à thoracis & reſpirationis partibus euocat, necnõ à cerebro. Ob id partium harum et neruorum frigidis & pituitoſis affectibus mirè ſuccurrit: vt aſthmati, tuſsi, pulmonibus à frigido dolentibus: præſertim ſyrupo ſuo, vel decocto, vel oleo ex eius floribus incoctis facto: quod etiam viſum acuit & ſanitatẽ conſeruat. Partes neruoſas calore ſuo roborat, & ſuffitu auris dolorem ac tinnitum flatuoſum emendat. Saluber thymus eſt ſenibus cõtra hyemis iniuriã: appetenitam excitat, coctionẽ iuuat, cum melle & nitro lumbricos necat, menſes ac vrinas mouet, et rigori febrili opitulatur. Eius vehemens caliditas aliorũ miſtione obtũditur, ſiue coquatur cum vuis paſsis, ſiue aceto infundatur, ſiue mulſæ cum pauco ſale gemmeo, qui purgationem eius auget. Coctionem & triturã medio-

menſtrua, partus, ſecũdæ, vrinę, verrucæ, iſchiadici & comitiales.

Luxati & ambuſti.

Flatus, pituita, melãcholia, thorax, cerebrum, nerui, aſthma, tuſsis, pulmo, viſus, & aures.

Senes, appetentia, coctio, lumbrici, menſes, vrina & rigor febrilis.

crē ſuſtinet, Præter has thymi vires à Meſue Damaſceno deſcriptas, alias quoq; ei reddidit præclaras Aëtius Cappadox, hîc etiam nobis proponendas. Hæc, inquit, experimētis de thymo comperta ſunt. Dato ieiunis articulari morbo laborātibus thymi aridi minutiſsimi drachmas quatuor, cum oxymelitis cyatho: bilem enim, reliquosq́; humores, atq; acrem ſaniem vacuat. Facit & ad veſicæ affectus. Ventre autē inflato, vbi ſcilicet intumeſcere cœperit, drachmam vnam dato ieiunis cum cochleari aquę mulſæ. Ad lumborum, coxendicumq́; dolorem, ac lateris & thoracis. necnon hypochondriorum ſuſpēſiones et inflationes, pondere vnius drachmæ cum oxymelite cochlearis menſura, ieiuno exhibetur. Similiter etiam melācholicis & mente turbatis, timoreq́; detentis, drachma cum oxymelitis cochleari præbetur. Datur item ieiunis & ante cœnā aduerſus lippitudinem & vehementem oculorum dolorem. Prætereà contra podagram, etiam quæ motum omnino interceperit, cum vino vtiliſsimè propinatur. Poſtremò ad tumefactos teſtes, ieiunis duæ drachmæ ſalubriter exhibentur. Hactenus de thymo, cuius medicam hiſtoriam fusè dilatauimus, quòd magnarū virium plātam eſſe intelligeremus, ac hortis omnibus paſsim obuiam & familiarem.

Arthritis, bilis, veſica, hydrops, lūbi, coxēdix, latus, thorax & hypochōdria.

Melācholici, lippitudo, oculi, podagra & teſtes.

Ocimum hortenſe, ſeu Baſilicum, & medica eius auxilia. AR. VIII.

OCimum hortenſe (aliud enim eſt ocimum pabulare & ſegetarium) vſq; adeò notum eſt, vt perraræ vbiq; ſint ædium feneſtræ, & perrara

rara viridaria, quæ illo longè ac latè non redoleant, tanta est fragrantia & suauitate : à qua etiam ozimū rectè dici, ac scribi posse contendunt multi: vt sit ab ὄζω, quod est redoleo. Græci recẽtiores qui de re herbaria scripserunt, Psellum sequuti, βασιλικὸν, id est regium appellant : quod nomen apud Gallos passim vsurpatur. Sic fortasse dictū, quòd in solis Regū hortis aleretur, vel quòd Regibus ob præstantiam odoris, dignum esset. Verùm hæc nihil ad medicas eius facultates, de quibus nunc demum seriò nobis agendum. Inter veteres parum conuenire lego, vtile ne sit an noxiū cibis. Chrysippus medicus antiquiss. caçostomachum esse dixit. Galenus & Paulus Aegineta ob humorem excrementitium internis partibus officientem, cibis abdicarunt (quod de immodico vsu intelliges) non tamen exteriùs damnarunt. Qui contrariam tuentur opinionē Dioscorides & Plinius, hæc ceu commentitia rident, asserentes stomacho prodesse, quòd eius inflationes discutiat ex aceto sumptum. Sanè sicuti eius vsum largum & liberalem nocere arbitror, ita sobrium & temperatum iuuare credo. Nam si quis eo, perinde ac reliquis oleribus affatim & prodiga manu vti velit, proculdubio intestina sentiet incommoda. Si verò parcius, ac si medicamentum esset, interna percipiet commoda. Ventrem remollit, flatus discutit, lotium mouet, ac lactis prouentum mulieribus adfert. Tritum & naribus inditum sternutamenta ciet: quibus instantibus conniuere oportet. Odoratu tristes exhilarat, ac timidos animat, mixtoq; atramento sutorio, verrucas tollit. Venerem stimulat ex quo tam equis quàm asinis, admissuræ tempore, vtiliter ingeritur ac exhibetur.

Stomachus & eius inflationes.

Venter, flatus, vrina, lac, sternutamentum, verrucæ & venus.

Lipothymia, caput, pulmones, distillatio, dysuria & atra bilis.

vsu quoque compertum est, ex aceto salutare esse deficientibus animo: adhæc caput dolentibus, de causa frigida, cum rosaceo, vel eodem aceto. Dioscorides cum polline polentæ, aceto & rosaceo illitum contẽdit pulmonum inflammationibus auxilio esse: eiusq́ꝫ succum distillationes exsiccare: & semen potũ difficili vrinæ auxiliari, necnõ atram bilẽ gignentibus, opẽ adferre summã. Refert Plinius, Chrysippum medicum grauiter ocimum increpuisse, & fugiendum hominibus præcepisse, quòd capræ illud aspernentur. Quæ cùm cæteris pabulis omnibus auidissimè vescãtur, ab hoc vno, etiam famelicæ, cautè abstinẽt. Quod à Sotione Græco geoponico etiam adnotatum inuenio. Qui vltra hæc asserit, insanos fieri qui ocimo vtuntur: additq́ꝫ eum qui ocimum manducauerit, si eo die à scorpione feriatur, seruari non posse. In quem & Chrysippum videtur pugnare Plinius, scribens, capras libẽter ocimum esse, nec cuiquam mentẽ motam qui illud manducauerit: quin & terrestrium scorpionum ictibus ex vino & pauco aceto sumptum salubriter mederi. Dioscorides ex Africanorum placitis tradit, eos qui ocimum ederint, nullo cõflictari dolore, si à scorpione feriantur. Ex quibus opinãdum relinquo, num expungenda sit negatio apud Sotionem. Diodorus in Empeiricis credit ocimum pediculos creare, si quis eo largiùs vtatur, ob excrementitiam humoris superfluitatem quo imbuitur. Mirabile sane, & ob id memorabile, quod à Iacobo Hollerio Medico præceptore nostro doctiss. visum & adnotatum fuit: Cuidam Italo ex odoratu frequenti basilicæ herbæ natum scorpionem in cerebro qui vehementes dolores & longos,

Insani & scopionis ictus.

Pulchra de ocimo, & notatu dignissima.

Pediculi & partus.

mor-

mortem deniq; ei attulit. Postremũ hoc sit, quod ab amico erudito probatum intellexi: Si ex partu laborans mulier, ocimi radiculam cum penna hirundinis tenuerit, absque dolore illicò pariet. Sunt aliȩ plantæ huius admiranda secreta, paucis hactenus cognita, quæ cum alijs plerisque publicabimus, si isthæc grata fuisse audiuerimus.

Orualla, seu satiuum Horminum, & medica eius auxilia. AR. IX.

ORualla herba perquam odorata, Parisiensibus *Tota bona* dici solet, quibusdam sclarea, vel scarlea, alijs matrisaluia & gallitricũ: necnon herba S. Ioannis. De eius facultatibus hæc in præsentiarum à me accipies. Herba trita aculeos ac spinas extrahit, & remorantes difficilesque partus accelerat. Vino præterea iniecta mentem exhilarat, & Venerem extimulat: verùm liberaliùs sumpta, caput tentat. Tam satiuum quàm syluestre horminum medicatum habetur: sed vehementius syluestre ad venerea illicita. Vnde illi nomen ἀπὸ τοῦ ὁρμᾶν. Semen in calyculis nigrum καρηβαρίαν, capitisue grauitatem facit, odore quem vniuersa vibrat & spirat planta. Idem semen lippitudines tollit, & oculis immissum, ac multa frequentique reuolutione per illorum orbem raptum, quasi humore prægnans, & tenuibus membranulis onustum, sordibusque conuestitũ, tandem egreditur: secum educens & euerrens quæ inciderunt & molesta fuerunt. Id quod multis multorum experimẽtis, tam est notum, quàm nota fuit canibus casta Diana suis. Insuper ὀργίματα & oculorum albugines cum melle purgat, tussi-

Aculei, spinæ, partus, venus, lippitudo, albugo, tussis.

tuſſientibusq́ vtile cenſetur eſſe. Mulierculæ prę-terea illud caligantibus oculis imponunt, nec ex oculo auferunt, niſi caligine ſoluta. An verò hæc planta, Plinij alectorolophos dici poſſit viderint eruditi. Non omittam, & ſi nihil ad medicum hoc noſtrum inſtitutum, quòd flore hortenſis hormini & ſemine in dolio vini poſito, dum adhuc feruet vinum, tanta gratia ipſi vino conciliatur, vt Cretici, aut Maluatici guſtum præ ſe ferat. Arrigite aures œnopolæ, ſed neminem, obſecro, veſtris improbis & noxijs miſcellaneis defraudate, animorum & corporum iactura irreparabili, & capitali edicto plectenda, in hac præſertim Galliarum metropoli Lutetia, vbi maximè ea peſtis viget, ſummo ſtudentium & lucubrantium incommodo.

Secretú pro vinis.

Roſmarinus, & medica eius auxilia.
AREA. X.

Lipothymia deſtillatio, tuſſis, ictꝰerus peſtilentia & capitis affectiones.

RVra & officinæ Roſmarinum appellant, quod alijs libanotis dici ſolet. Frutex eſt topiarius, necnon coronarius, cuius odor, reſinam aut thus vtcunque præ ſe fert: tam ſuaui ac iucundo ſpiraculo, vt quos animus defecerit, illicò recreare poſſit. Suffitu deſtillationes ac tuſſim continet, regiumq́ morbum ſuo curat decocto. Et quod illi de multis nobile eſt ac inſigne, ſolo nidore in peſtilentia tutam reddit domum, expiando & repurgando improbam aëris perniciem ſuffitu ac vapore ſalutari. Paratur oleum diſtillatione perquam odorum & vtile ex ſummis virgultis & floribus Roſmarini, paralyticis & indurátis articulis ſchirro detentis apprimè commodum.

dum. Cordi & ſtomacho valde prodeſt aqua: flores caput ac cerebrum maximè roborant: ex quo illorum vſus admodum efficax eſſe ſolet contra capitis affectiones. Sunt qui ſaccharo eos condiāt & ſibi ac amicis eam in rem diligenter cuſtodiāt. Totus frutex vtilis eſt omnibus frigidis ægritudinibus, membra ac neruos egregiè roborans & calfaciens. Sed paulò particularius hîc nobis eſt medicè philoſophandum in expertis & probatis Roriſmarini auxilijs. Itaque, ſuccus radicum & foliorum eius defæcatus, & cum melle deſpumato in modum collyrij concinnatus, plurimum valet ad defluxiones pituitæ in oculos. Quæ ſi calidæ fuerint, licebit addere oui albumen, cum ſucco pomi generoſi, & aqua roſacea confuſum ac diu agitatum. Semen cum pipere & vino hauſtū, ſingulare adfert præſidium contra icterum, hepatis obſtructiones & inflationes. Radix ſiccata, puluerata, & cum vino bibita, vētris dolores, etiam ſi colici fuerint, perbellè caſtigat & demulcet. Quod etiam faciunt ruta & ſatureia. Reliqua ſcribentur in opuſculo vinorum medicatorum & rerum aliarum hortenſium.

Nerui, oculi icterus, obſtructio hepatis, inflatio, & ventris dolor.

Defluxio.

Lauendula, quibuſdam Pſeudonardus, & medica eius auxilia.

AREA. XI.

Lauendula quæ Pſeudonardus quibuſdam dici ſolet, noſtratibus verò *Lauanda* (quod in balneis, lauandis corporibus ſummè expetatur, & elota omnia, ſi eis permiſceatur, odoris ſuauitate commendet) frutex eſt omnibus notus. Qui, quia non minùs placet fragrantia quàm nardus,

Vnde dicta ſit Lauendula.

dus, idcircò apud nos Spicæ nomen ſibi arrogauit, & *Aſpicum* dici conſueuit. Licet ad maiorem Lauendulam multi detorquere ſatagant. Huius ſpicata cacumina & tonſiles vertices, manipulatim in ſcopas & muſcaria concinnatos, bigis ac clitellis Lutetiæ per æſtatem venales vicatim proclamari, & paſſim à ruſticis in varios vſus plenis vlnis certatim comportari, nemo eſt qui non videat. Sed hæc nihil ad medica lauendulæ auxilia, de quibus nunc demum nobis agendum. Omnibus cerebri frigidis affectibus, conuulſisque ac reſolutis illam auxiliari ſcribũt Arabes, Græci, ac Latini medici : adhæc, ventriculum roborare, & iecur ab infarctu liberare. Obſtructos etiam lienes valde iuuat, & vterum calfacit, ac menſes ſecundasque educit. Lauendulæ plurimum ineſt aromaticæ gratiæ, eoque affectibus matricis ſemen & folia commendatiora habentur : tum fomentis & lotionibus, tum pulueribus & dilutis intrò ſumptis, ad ſuffocationem & aſcenſum ex vaporibus putridis, & ad partus accelerandos. Fit è floribus ſtillatitium oleum vitreis organis expreſſum, quod vnguentarij oleum de ſpica vulgo nuncupant, tanta odoris prꝗſtantia & fragrantia, vt cætera odoramenta ſuperet ac obtundat. Quò fit vt extra officinas & myropolia illud aſſeruent aromatarij, ne moſchi, ambari, zibbeti, aliorumque vnguentorum & aromatum ſuauitatem intercipiat. Valet ad eadem quæ planta ipſa, & multò præſtantiora, à nobis alibi exponenda.

Cerebrũ, cõuulſi, reſoluti, ventricul⁹ iecur, lien, vterus, mẽſes & ſecundæ partus.

Oleum de ſpica.

Hæc ſunt quæ de hortorũ herbis & fruticibus odoratis in præſentiarũ adferre poſsũ. A quibus ad herbaceos & ſuffruticeos fœtus, eadẽ medica metho-

methodo explicandos & illustrãdos opportunè transeo: modò commonefecerim lectorem, me lauandulam inter flores odoratos noluisse transferre, quòd vniuersum folium æquè odoratum habeat, atque florem. Quæ res floribus in quinto campo describendis, planè denegatur. Verumenimuerò quia eius flos absque folio solus potest decerpi, si quis ad florum regionem illam traducere voluerit, vnguem non verterim.

HORTI MEDICI CAMPVS QVARTVS, FRVCTVS CARTIlagineos, herbaceos & fruticeos, sex areolis distinguens.

Cucurbitæ, & medica earum auxilia. AREA. I.

QVia in censu fructuum herbaceorum qui cartilagineo generi ascribuntur, Cucurbitæ primas tenent in hortis, idcircò de illis primo loco hîc agemus: & si Chrysippus medicus eas in cibo damnarit, ceu stomacho inutiles, contra Diphilum, qui illas affirmat ex aqua & aceto coctas ventriculum roborare. Afri, & item Græci geoponici, aluum lubricare tradunt, earundemq́; succum instillatum, auribus dolentibus valde prodesse. Caro interior suis spoliata seminibus, pedũ clauis auxiliatur, & decoctæ succus dentes mobiles stalibit, illorum dolores cohibendo, à calida causa contractos. Aluum præterea sua humiditate remollit, tametsi pessimè corpus alat sicuti hoc disticho eleganter expressit poëta Hessus,

Ventriculus, aluus, aures, pedum claui & dentes.

Humida frigoribus cognata cucurbita, paruo,
Quod vires faciat, pondere corpus alit.

Si su-

Cucurbita humida & frigida.

Si sumatur vt simplex medicamentum, refrigerabit ac humectabit: si vt alimentum, calida ei remisceri debent, veluti petroselinum, cepa, piper, mentha, thymus, & similia: alioquin humorem gignet aquosum & promptè corruptibilem, præsertim si frigidum nacta fuerit ventriculum. Corticis ramenta, tusa & infantium capitibus illita, ardores extinguunt ex siriasi. Et si quis in crudã cucurbitam excauatam merum infundat, & sub dio contineat, illudq; temperatum propinet quibus aluus est suppressa, ad excernendum prorritabit. Cinis aridæ impositus ambustis, mirè illis opitulatur.

Siriasis, aluus, ambusta

Cucurbita frixa & elixa

Sed hic ne, quæso omittamus, quòd cucurbita in patinis aut sartagine frixa, multò est salubrior quam elixa. Nam inter assandum vim magnam humoris aquosi deponit: ideo valentius ac præstantius exhibet alimentum. Si elixa fuerit, acrium societatem postulat, alioquin fatua habetur, & insipida: gaudetq; acidorũ, austerorũ, salsorum & aliorum contubernio, quorum vires corpori nostro communicat: fitq; ita, vt nausea, quam alioquin creare solet, prorsus vacet: quemadmodum doctè & eleganter scripsit Galenus, post Hippocratem vbiq; magnus. Sed his prælibatis, medica & experta cucurbitarum auxilia repeto. Itaque, si fictili torreantur, & cum anserino adipe terantur, incredibile auxilium vulneribus adferent. Et succus exceptus de ramentis illarum per se tusis, aut cum rosaceo, cutis adustiones quasuis emendat.

Vulnera & adustiones.

Sed de omnibus mirabilis est earumdẽ aqua aduersus febres acutas & ardẽtes ad hunc modum comparata. Recens cucurbita recenti pasta conuestitur, calente clibano cum pane assatur, aperitur, & aqua intus natans colligitur.

Aqua cucurbitæ præstantissima.

gitur. Si alia via placet incedere, cucurbita tota integra frustulatim secatur, fictili nouo includitur, clibano (vt prius) coquitur, & hinc expressa aqua seruatur. Vsus erit cum saccharo ad restinguendos febriũ ignes, sitim temperandam & aluum clementer mouendam. Quod etiã præstabit aqua infusionis & macerationis seminũ psylij cũ saccharo rosato, vel iulebo violaceo, sicuti multis experimentis fœliciter obseruauimus factum. Non tacebo ex Auicenna, quòd qui colicis cruciatibus est obnoxius, religiosè abstinere debet à cucurbita & cucumere, quouis modo paratis: alioquin suo damno acclamare poterit,

Febris, aluus & colici cruciatus.

Heu patior telis vulnera facta meis.

Cæterùm, nec vtile nec ociosum erit admonuisse, quòd cum insipida sit cucurbita, & ex eorum genere quæ græci ἄποια vocant, hoc est qualitatis expertia, tamen dum coquitur, quouis sapore & odore, imò verò colore facilè imbui potest, pro natura eorum quæ illi miscebuntur. Quomodo autem fieri debeat deiectoria in suo cucurbitario docemus in opusculo Secretorum hortensium, & methodo comparandorum fructuum, olerũ, radicum, vuarum & vinorum, quæ corpus blandè & innocenter purgent.

Cucurbita ex se insipida.

Cucumeres, & medica eorum auxilia. AR. II.

CVcumis tam est notus vrbanis ac rusticis mensis omnibus, vt nihil notius esse possit in tota hortensium familia. Hunc Matron suis carminibus terræ filium nominauit, quòd ex ea veluti prodiens, in illius gremio perpetuò iaceat.

Cucumis terræ filius.

Heraclides Tarentinus hedygeon, quasi terrę sui uitatem, nuncupare voluit: quem Diphilus Carystius, medicus apud Græcos doctiss. & agricola optimus, primis mensis veluti noxium damnauit, vt qui raphani modo sursum feratur: sed postremo cibo sumptum, concoctu faciliorem promisit: alioquin epulis illum abdicauit. Semen vrinas acres contemperare tradunt qui de rebus agri & medicinæ scribunt. Vim habet refrigerandi pulpa tota, ex quo ægrè in corpus dispensatur ac difficulter per vẽtris anfractus permeat: febriles horrores nonnunquam hinc mouens, & Venerẽ consopiens. Quod postremum Græci celebratissimo hoc prouerbio testatum voluerunt, Mulier pallium texens, cucumerem deuoret. Quoniam textrices magna ex parte, si Aristoteli credimus, sunt impudicæ, & Veneri admodum opportunæ. Naribus admotus cucumis valde confert ad syncopen à causa calida. Et semen in lacte vel passo vtiliter ijs propinatur, quibus vesica exulcerata est, vel sumptæ cantharides negocium faciunt: adhęc tussientibus, si quantum tres digiti prehenderint, cum cumino teratur, & ex vino bibatur. Prodest etiam phreneticis, in lacte mulieris, & dysentericis, acetabuli mensura: necnon purulenta excreantibus, pari pondere cum cumino. Totus abstergendi & incidendi facultate pollet, ex quo splendida reddit corpora: eoque magis, si quis semine arefacto, tuso & cribrato, vice pulueris abstersorij vtatur. Sed vtile erit & pulchrum audire Claud. Galenum de Cucumerum vsu eleganter, suo more, differentem. Quibus cucumeres, inquit, probè concoquere datum est, dum in hoc fisi, intrepidè affatimque ijs sese ex-

Vrinæ acres, & febrilis horror.

Syncope, vesica tussis, phrenesis, dysenteria, & purulenta excreatio,

explent, longi temporis tractu, frigidum & vtcumque crassum humorem in venis coaceruant. Qui per eam qua venæ funguntur coctionem, haud facile in probum sanguinem potest conuerti. Ob eam igitur causam, omnibus praui succi edulijs abstinendum censeo: etiam si ea quibusdā concoctu sint facilia. Nobis enim non aduertentibus prauus succus ex ipsis post longum tēpus in venis colligitur, qui postea exiguam ad putrendum occasionem nactus, febres malignas accendit. Hæc sunt aurea Galeni verba, omnibus qui valetudinem inculpatam tueri satagunt, alto corde præuidenda, & mordicus tenenda.

Aurea Galeni verba sūme notanda & obseruāda

Memorabile sanè est quod in Græcis Quintilliorum georgicis legi, & à multis non infœliciter expertum audiui. Quid illud, inquies? Si febricitanti infanti, qui adhuc lacte nutritur, aut paulò grandiori, paris longitudinis cucumeres dormienti apponantur, & quasi condormiscant, statim sanabitur, febrili calore omni ab illis presso, hausto & extincto. Athenæus scribit cucumeres plenilunio in hortis maximè gliscere, & manifestum incrementum capescere, necnon more echinorum marinorum impleri, quod aquei humoris summum est argumentum. Suffragatur Athenæo Plinius, addens insuper eos velut timore perterritos, quoties cœlum tonat conuerti, & quasi tabescere: cuius rei certam fidem mihi fecit experiētia, præsentibus aliquot amicis meis, qui rerum naturas & secreta per experimenta quęrūt & explorant. Ne, obsecro, pretermittamus quòd cucumeres à mulis, felibus, & asinis summoperè expetūtur, mira & incredibili eorum voluptate illecti: quorum odorem vel eminus sentiunt.

Febres paruulorum.

Cucumeres lunares esse.

Cucumeres felibns, mulis & asinis, summè expetiti.

Quare munienda sunt cucumeraria, ne illuc erũ-pentes, ea depopulentur, conculcent ac proterãt. Sed instituti mei oblitus, quorsum rapior? medica itaque auxilia repeto. Si quis seminum cucumeris, cucurbitæ & citrulorum partes ęquales acceperit, ac seminum lactucæ & portulacæ partem mediam, adhæc succi glycyrrhizæ, quartam vnius, & cum mucilagine psylij paruos trochiscos ex his formauerit, ac in ore tenuerit, vel syrupo aliquo acetoso diluerit cum aqua hordei, habebit præsens auxilium aduersus sitim & febrilem æstum.

Aduersus sitim & æstus febriles.

Pepones, melones ac melopepones, & medica eorum auxilia.

AR. III.

QVia tres isti hortenses fœtus qualitatibus inter se ferè conueniũt, idcircò, vna (quod dicunt) fidelia nobis hîc dealbabũtur omnes sub pepone, qui tum maturus ac edulis esse videtur, cùm pediculus à corpore secernitur, & suauis odor ab eius vmbilico nares ferit. Diocles Carystius scripsit in libris salubrium quos edidit, peponem concoctu facilem esse, mirumque in modũ cordi placere, sed parum iuuamenti adferre. Diphilus prompte crassescere tradidit, ac paucam alimoniam suppeditare, & per aluum ægrè exigi. Phænias eum duntaxat crudum censuit edendũ qui est citra seminium. Galenus pepones omnes refrigerare, & largo humore imbui dixit: sed nõ absque manifesta detergendi facultate: vel eo nomine quòd obsitam pædore cutim illustrent, ac lentigine: & vitia insolatæ faciei, cum vitiligini-bus

Quando maturus esse dicatur pepo.

Cutis pędor, lentigo, vitiligo, cholera & pituita.

bus emaculent, prȩſertim ſemine. Addit, improbum creare ſuccum, etiam ſi à ſtomacho probè conficiantur. Præterea, choleram morbum præcipitem ac periculoſum in multis concitare, & ſuperfluarum humiditatum copiam ſusq; deque effundere. Primo cibo ſumi debent, ita tamen, vt qui pituitoſi ſunt, vinum vetus ſuperbibant: & bilioſi acidulum cibum præſumant: nam ſic omnis abigetur noxa. Peponarius enim cibus ſanè quàm facilè in flauam bilem, vel pituitam degenerat. Qua ex re, bilioſos prædulcis pepo, pituitoſos verò immaturus offendit. Longos rotundis multi præferunt: omnes tamen aluum mouent, & vrinã cient, modò fuerint maturi: proindeq; renibus vtiles eſſe cẽſentur: ſed ſemine magis, adeò vt cõcretos inibi calculos efficaciter deturbet. Si cortex oculis humore calido vexatis frõti ligetur, ruẽtes in illos fluxiones pulchrè ſiſtit ac compeſcit. Succus cum ſemine in farinã ſiccatus ſmegma facit ad cutẽ emundandã, & conciliandũ in facie nitorẽ, ſanè quàm illuſtrem. Cæterùm, pepones omnes in paratis corporibus, vomitum eliciunt, niſi cibus ſucco bono præditus ſupermandatur: nam ſic feſtinantiùs deorſum prouoluẽtur. Plerique medici tradũt, illos deſideria ruentiũ in Venerem frænare, & genitură minuere. Sunt qui pro comperto ſcribant melonis fruſtulum ollæ immiſsũ, celerem carniũ coctionẽ iuuare. Quod etiam præſtare aiunt vrticæ aut ſinapis ſemẽ, vel fici ſurculum vt ſuo dicemus loco. Finis hîc eſto, Pepones à felibus ſummè & auide expetuntur: quare à peponarijs longè ſunt arcendi, ac procul abigendi. Non omittam quod ſemina melonum ex corticata & ſaccharo cõdita, multũ valent ad

Aluus, vrina renes, calculus & oculi

Vomitus, Venus & genitura.

Pulchra & notanda.

Vrina, renes, siriasis infantum.

ciendam vrinam & renum dolores demulcẽdos. Imprudenter omisi quòd raměta peponum vtiliter syncipiti apponuntur, contra adustionem infantium quam siriasim vocant.

Cinara, seu Carduus hortensis, & medica eius auxilia. AR. IIII.

Quomodo cinara ex agris in hortos venerit.

PAuci sunt hodie horti in Gallia, qui longè ac latè non syluescant hac planta, adeò vt opipara nulla sit mensa, absque echinato eius cibo nisi anni tempus illum negauerit. Altilem & hortensem nuncupamus, quòd re vera sit ex carduorum genere: quem culturæ mangonium domita feritate ex agris in hortos venire compulit, nescio qua gulæ audacia, quæ campestria terræ portenta, & asinorũ pabula, in ganeam & luxum vertit, à quadrupedibus plerunq; neglecta: vsqueadeò ventris & veneris desiderijs ac illecebrosis voluptatibus obsonantur epicurei homines, telluris inutile pondus. Vulgus Gallorum plantam hanc *Alticocalum* nuncupare solet: ab articulo Arabũ *al & cocalos*: qui Hippocrati, Galeno teste, nucleus est pineæ nucis, cuius quidem nucis imaginem pulchrè æmulatur cinara: quam iuribus, asparagorum modo, incoqui, & ex butyro, sale atque aceto, diuitum mensis apponi, nemo non videt. Sunt qui asperso sale, & piperis, aut anisi vel coriandri addito polline, cruda illa vtantur, & ita natiuam nucleorum eius squammatim hærentiũ suauitatem excipiant. Sed hic rursum ad eundem impingo lapidem, oblitus me medicũm agere, non coquum. Venio itaque ad facultates cinaræ, quam Galenus tradit praui succi edulium esse, & maxi-

Quomodo coquenda & paranda cinara.

Cinara praui succi edulium.

maximè cùm plusculum obduruerit, festinando scilicet ad florem: tunc enim biliosum succum in se copiosum habet: ex quo satiùs fuerit, eo tẽpore elixam mandere, quàm crudam. Recentes & tenelli eius nuclei, vrinas ciere feruntur: & Venerẽ in vino generoso præmacerati stimulare, Hesiodo teste: qui florente cinara, cicadas acerrimi cantus esse scripsit, & mulieres libidinis auidissimas, virosque ad coitum pigerrimos. Radix emedullata, & in vino decocta, si bibatur, alarũ tædia hircosa, ac graueolentiam emendat: quam Xenocrates experimẽto promittit per vrinas ob id effluere. Eadem in aqua excocta, stomachum roborat, & vuluis nonnihil confert vt gignantur mares: sicuti Cherias Atheniensis & Glaucias asseruerunt. Sed hoc loco tibi coniectandum relinquo, an vna eademque sit nostra & antiquorum cinara. Restat hic admonendum (quãquam præter institutum) quòd à duobus animalculis summè infestantur, & auidè expetuntur cinaræ. A muribus primùm, qui radicũ voluptate semel illecti, turmatim vel è longinquo accurrunt. A talpis prætereà, quas crebro defossu & cuniculatione, sæpè vidimus cinareta ac cardueta funditùs vna nocte euertisse. Remedia eam in rem quærenda sunt ex nostris rerum hortensium Secretis. Sed repeto medica scolymi ceu cinaræ auxilia. Huius radix in vino cocta & pota, copiosam, vt tradit Oribasius, & graueolentem vrinam prolicit, alarumque hircos ac virosum corporis odorem, vt diximus, tollit. Quo nomine etiam venereæ gonorrhϾ præsens esse remedium, fœlici successu se probasse scribit Ioannes Langius, illustriss. Comitum Palatinorum medicus doctiss.

Vrinæ, venus & graueolẽtia alarum.

Stomachus vulua & generatio.

Pulchra & notatu digna.

Vrina, alarũ fœtor, Venus & gonorrhœa.

Cæterùm, aſparagi cinaræ cùm butyro in iure elixati, ſopitam Venerem in vtroq; ſexu ſtrenuè excitant: æſtate viris ad eius conflictum languentibus, hyeme verò mulieribus ad eam pigris: ſicuti ante Plin. adnotauerũt Heſiodus & Ariſtot. Nil igitur eſt mirum, mulieres adeò ambire plantam cinaræ, & cura admodum ſolicita illam curare & colere.

Cur ſolicitè à mulieribus colatur cinara.

Fragaria & Fambroëſia cum medicis auxilijs vtriuſque. AR. V.

FRagariæ fructum vulgus Gallorum *Freſam* nuncupat, & nomine paterno inautorat Fambroëſiæ fœtum, patria lingua *Framboiſe*, ac ſi dicas fragum ligneũ aut ſyluoſum à rubẽte moro non valde diſſidens, niſi quod ſapore & fragrãtia indicibili, palato magis applaudit. Vnde cùm vinum aliquod à generoſo ſapore laudare volumus, olere framboeſiam, noſtro vernaculo ſermone dicimus. Vtriuſque fructus citam ſentit corruptionis labem: quapropter febrim facilè experiuntur, qui largiùs fugaci hoc cibo veſcuntur. Fragariæ tamen folia in iuſculo cocta & ſumpta, lienoſis medentur: idemque præſtat ſuccus eorum ex melle hauſtus. Eadem folia cum radice tam vulnera quàm vlcera ſanant, muliebreſque fluxus ac dyſenterias cohibent, & vrinam cient. Decoctum herbæ ac radicis, inflammationibus iecinoris auxiliatur, & renes ac veſicam mundat. Idem ore contentum collutioniſque modo agitatum, gingiuas roborat, dentes commotos firmat, & defluxiones continet. Exſtillatitia aqua fructuum maturorum mulierculę eriſypelateas, lentigi-

Febris, lien, vulnera, vlcera, fluxus muliebris, dyſenteria, vrina, iecur, renes, & veſica.

Gingiuæ, dẽtes, diſtillatio, lentigines, calculi, inflammatio faciei

lentiginosasq; faciei fœdationes leniunt & abigunt. Eadem epota ad calculosos, & inflammationes optimè facit, Petro Pena medico præstantiss. autore. Vinum quod ex fragis elicitur distillatione & sublimatione, aut putrefactione vlcusculis quæ in facie pullulant ab hepatis caliditate, salubriter medetur, varosq;, & oculorum nubeculas, ac calidas defluxiones impositum, mirè tollit. Quin multi etiam de experimento mihi affirmarunt, elephanticorum maculas ac tubercula emendare: adhæc, herbam fragariam cum sua radice in vino coctam & ieiunis ictericis ex iusculo dies aliquot propinatam, certum illis præsidium adferre. Mora framboësij cærulea purpura nitentia condiuntur & esitantur ad voluptatem & sitim aspectu amœniore.

vlcuscula, vari, oculorum nebulę, icterus & elephanticorū maculæ.

Grossularius, tam albus quàm ruber, & medica vtriusq; auxilia. AR. VI.

FRequens non solùm in hortis, sed etiam sepibus rusticis esse solet grossularij frutex, maximè qui baccis oneratur cādidis, & ante maturitatem iucunda acerbitate gratis: ex quo tam pauperum quàm diuitum iuribus suo tempore innatare consueuerunt, & in dulciarias placētas, ac farcimina, farctáque passim transire loco vuæ acerbæ. Quo nomine etiā grauidis summè expetuntur. Est frutex alter hortensis huius ferè plumæ, rubentem ac pendulam ferens acinorū multitudinem racematim congestam: quæ more nucleorum punici mali, abeuntem appetentiam reuocare, & nostratibus *grosella rubra vel trāsmarina* nuncupari vulgò solet. Non desunt qui putēt id

Grossularū descriptio & vsus.

esse quod Arabes medici *Riben* appellant. Fructus vtriusq;, candidus nimirũ vel ruber, æstuantem stomachum refrigerat, & sitim restinguit: quæ cùm alios, tum maximè febricitantes excruciare solet. Vomitiones sistit, stomachum roborat, alui profluuium retinet ex flaua bile, ac ventris rosiones & villicatus hinc obortos emẽdat. Prætereà sanguinis feruorẽ demulcet, bilis acrimoniam obtundit, abundantiam fœminearum purgationum cohibet, cœliacisq; & dysentericis, necnon cholera laborantibus valde prodest. Salgamari, saccharo, aut melle vtrunq; condiunt ad anni totius vsum. Scio non deesse, qui hæc ascribenda contendant fructibus oxyacanthæ: quod vt obstinatè non nego, ita grossulis nostris conuenire de experientia probatum habeo.

Stomachus, sitis, febris, Vomitus, aluus, tormina, sanguis, bilis, menstrua, cœliaci, dysenterici & cholerici.

HORTI MEDICI CAMPVS QVINTVS, FLORES ALIQVOT, *tam odoros, quàm inodoros, nouem Areolis complectens.*

Rosæ, & medica illarum auxilia. AREA I.

Rara rosarũ excellentia.

QVoniam Rosæ, floris ac odoris raro priuilegio, inter omnes hortorũ flores vbique nobilitantur, & aspectu perquàm iucundo ac vario omnibus arrident, hortorúmque ornamenta censentur esse: idcircò si de medicis illarũ facultatibus primo loco inter flores hîc scriberẽ, precium operæ facturum me duxi. In quam rem gra-

gradum mihi ſubſternent illarum partes paucis animaduerſæ: quas antiqui ſex nobis propoſuerunt, ſcitu dignas, & in rebus medicis nequaquã neglectas. Duæ in folijs, aut ſi mauis in floribus reperiuntur, Vna, vbi calyci inſerũtur, & vnguiũ modo albicant: ex quo vnguis roſarum pars ea dici ſolet. Altera, reliquum foliorum explet. His ſuccedunt aliæ duæ, quæ veluti minutiſsima ſemina in roſarũ vmbilico flaueſcunt, tenuiſsimis capillamẽtis alligata, quorum partẽ conſtituunt granula, partem verò filamenta. Reliquæ, in ipſo roſarum alabaſtro, ſeu calyce continentur, vna in cacumine, altera in fundo. Quod ad facultates partium iſtarum attinet, folia, cor, ventriculum, iecur, & vim retentricem roborant, dolores ex caliditate leniunt, & inflammationes diſcutiunt. Vngues vtiliter inſeruntur lotionibus, fomentationibus, et clyſteribus ad inhibendas fluxiones. Floſculi medij cum ſuis fibris ac filamentis, gingiuarũ defluxus, & alba mulierum effluuia mirificè cohibẽt. Calyx, quem etiam caput nonnulli dicunt, cum reliqua parte baſis, alui fluores & cruẽtas excreationes ſiſtit. Porrò, præter ſex iam dictas partes, quæ in florentibus roſis ſe produ͂t, tres aliæ in fructu reperiũtur, vbi maturuit. Vna in ſubſtantia carnis rubeſcente, altera in ſeminibus, tertia in lanugine concluſa, quibus omnibus non obſcura ineſt adſtringẽdi vis. Vnde præſtanti admodum remedio & auxilio cẽſentur eſſe contra alui fluores, & fœmininorum excremẽtorum abundantiam qualemcunque: adhæc aduerſus gonorrhœam, in qua pręcipuę valẽt. His vtcunque propoſitis, medica roſarum præſidia ſigillatim aggredior. Si corona ex nouis & recentibus

Pulchra philoſophia ſex partiũ roſæ.

Inflãmatio, fluxio, gingiuæ, menſtrua alba, alui fluor & cruenta excreatio.

Alui fluor, menſes, gonorrhœa & capitis dolor.

tibus rosarum floribus cõcinnata, capiti coaptetur, illius dolores ac molestias ex insolatu, vel ebrietate contractas, salubriter leuabit. Sed recentiũ penuria, veteres madefacere poteris in aqua, addito pauco aceto, & illis cõmodè vti, Galeno monitore: qui ad æstiuas lippitudines siccarum rosarum decocto etiam vti iubet, palpebras eo per spongiam continuè fouẽdo. Suadet idem ad scabiosas oculorum lippitudines ex sole & pulueribus obortas, rosis aridis in vino albo tritis, & angulis oculorũ admotis, vti: modò sub somnum oleo inungantur oculi, & ægrotans ab omnibus acribus abstineat. Rosæ siccæ vino albo vsque ad tertias incoctæ, & ad colluendũ continuò datæ, cruciatus dentium emendãt, maximè à causa calida. Eædem in aqua elixatæ, vel illarũ flos, summo sunt remedio inflãmationibus oris, gutturis, ac columellæ. Et si rosarum vncias tres, & ouorum tostorũ lutea duo vino albo læuigaueris ac cerato rosaceo exceperis, igneos & æstuantes sedis dolores mitigabis, perinde atq; etiã hæmorrhoides. Sed priusquam alia rosarũ medica auxilia persequamur, iucundũ erit audire Damascenum Mesuen de illarum facultatibus doctè & medicè hunc in modum philosophantem. Rosa frigida est primo gradu, sicca secũdo, ex diuersis substãtijs & separabilibus composita: aquea mediocri, terrea adstringente, aërea dulci & aromatica, deniq; ignea tenui, in qua est amaror, rubor, perfectio & forma. Recentes sunt amaræ magis quàm adstringentes, & ob eam amaritudinẽ, succo præsertim, purgant. Siccatæ substantiam adstringentem et constipantẽ retinent, sed albę magis quàm rubræ. Resoluunt, aperiunt, tergent, calidas

Lippitudo, dentes, inflammatio oris, gutturis & columellæ, sedis dolor, & hæmorrhoides.

Rosarũ natura & qualitates ex Ioan. Mesue.

lidas intemperies emendant, & cogendo atq; adstringendo roborant, maximè pilis & semine in calycis medio inuentis. Præstantior est in vtroque genere (albarum, inquam, & rubrarum) cui color genuinus inest, & folia adsunt pauca ac plana. Albæ nihil aut minimùm purgant, sed potentiùs adstringunt & roborant quàm rubræ. Aqua vbi recentes sunt maceratæ, vel earũdem succus, bile flaua purgat venarum & arteriarum sanguinem, obstructiones ventriculi & hepatis aperit, ictero cõfert, febribus biliosis auxiliatur, viscera roborat, cordis tremorem curat, retentricem facultatem continet, omnem inflammationem extinguit, & ab ea dolorem sedat, somnũ conciliat, vuulam stringit, guttur roborat, crapulã aufert, & catarrhis obest. Cæterùm cùm sit medicamentum benignum, sed ad purgandum imbecillum, adminiculis quibusdã eget, vt sero lactis vel melle. Nam succi rosarum vncia vna, cum seri lactis duabus vncijs aut tribus, & pauca spica, commodè vacuat. Foliorum quoq; sero lactis infusorum expresſio, cũ pauco melle, sine molestia purgat. Rosæ melle cõditæ tergent, purgant & roborãt: saccharo autem exceptæ minùs tergent, sed magis roborant & adstringunt. Acetum rosatum inflammationes omnes sedat, incîdit, purgat, roborat. Recentes rosæ nullam coctionem, vel quamminimam, sustinent: nam facultas earum tergens & purgatoria, statim igni resoluitur. Succus mediocriter coquendo fit tenuior, & potentiùs terget. Hactenus Mesues, à quo ad nostrum institutum & medica rosarum præsidia commodũ redeo, nihil in his prætermissurus quod apud probatos autores legerim, vel ab expertis didicerim,

Obstructio, icterus, febres, cordis tremor, inflammatio, somn⁹, vuula, crapula & catarrhus.

Rosę conditæ, & acetũ rosatum. Inflãmatio.

Autoris modesta excusatio.

rim, aut ipse diligenter obseruauerim. Si cui autem hîc prolixus esse videbor, id (quæso) factum putet in gratiam popularium, quorum horti & scrinia vbique rosis scatent. Verùmenimuerò, ne quid in hac historia etiam vulgare omittam, paucis rosarum Cõseruam, vt vocant, describo. Quæ fieri solet rosis tantùm rubris, recentibus, exunguatis, in mortario lapideo diligenter tritis, superaddito optimi sacchari duplo. Mox citra insolatum reponuntur omnia, sed vase nõ repleto ad cumulũ, ne tritura foras exiliat, & sit feruendi locus. His positis, rosarũ auxilia medica persequor. Zoroastres in suis de Agricultura obseruationibus Græcis tradit, oculos eius dolorem non sentire anno toto, qui rosarum calyces antè quam in florem explicẽtur, leni tactu lustret, tribusq; earum alabastrulis visum detergat, illis in rosario parente relictis. Quod multi verum esse cõtendunt, in eo qui primus calyces in frutice occultatos viderit. Vt vt fuerit, ros ille qui rosis inhæret, pinnula mũda lectus, & specillo, genarum palpebris illitus, oculorũ lippitudini medetur. Cremor è rosis aridis in vino decoctis expressus, ad capitis, oculorũ, gingiuarum & auriũ dolores summè probatur. Prodest etiã vitijs sedis, ac recti intestini, penna illitus, aut infusus. Trita rosa sacrum ignẽ, si apponatur, compescit, calentémque stomachum & præcordia mitigat: fluxum vẽtris ac matricis cum vino pota, vel infusa, cohibet. His addendum quòd siccæ rosæ puluis efficaciter medetur oris vitiis, per se, aut cum melle. Rosaceam aquam, vi ignis diuersis instrumentis extractam, hîc conticeo. Quâ multò præstantior ac odore fragrantior solet esse, quæ vasis

Rosarũ conserua quomodo fiat.

Oculi, lippitudo, caput, gingiuæ, aures, anus, ignis sacer, stomachus, præcordia, venter, matrix & os.

Aqua rosacea quomodo eliciẽda.

in aquam feruentem suspensis, aut priscorũ more, per balneum calẽtis aquæ, vitreis organis elicitur, quemadmodum alibi docebimus. Hoc postremum erit. Rosæ, vt flores alij, Sole blando, vel clibano, pane ablato adhuc calente, siccatæ, odorem ac vires magis retinẽt, quàm si in vmbra siccentur, modò metam moræ non excedant. Idẽ de folijs & radicibus odoratis existimare tibi licebit. Quod pro reliquis floribus semel dictũ ac scriptum velim. Supersunt multa rosarum occulta miracula, quæ tibi cum alijs plerisque hactenus desideratis, libenter in nostris rerum medicarum arcanis aliquando impertiemur.

Flores odorati, radices & folia quomodo siccari debeant.

Lilium hortense, & medica eius auxilia.
AREA II.

QVia Lilium Rosis nobilitate proximũ esse scripsit Plinius, & medio prouẽtu earum incipere, ideo secundum, post rosas, locum illi dabimus, vt eximium florũ par, &, vt Græci loquuntur, ἄνθος ἀνθῶν rosa & lilium socio maritentur cõnubio: ob perẽnem illum ῥοῦν effluuiúmve diuini quem habent odoris. Hilariter itaque de flore illo perquam nobili scribã qui Regibus nostris & frãcigenis sceptris auspicatissimum dedit symbolum: & quibusdam ob insignem præstantiam flos regius, & Iunonis rosa dici consueuit, candore emaculato et odore eximio arridẽs. Huius radices ex vino potæ, contra serpẽtium ictus plurimùm valent: & ex mulso propinatæ, inutilem sanguinem per aluum detrahunt, ac ita lieni summè prosunt. Lichenas ac furfures in facie emendant, & corpora erugant. Cum adipe & oleo

Serpentes, sanguis, liẽ, lichen, furfures, adusta & matrix.

deco-

Vulnera, vulua, ſudor, ſuppuratio, ſerpẽs, aduſta, vlcera, nerui, luxata, vtiligines & pedum claui.

decoctæ, aduſtis proſunt, ac ijſdem pilos reddũt, induratáſque matrices remolliunt. Folia in aceto elixata, vulneribus efficaciter imponuntur: & ſuccus ab ijſdem expreſſus, ad vuluas eruganda. vtilis eſt, mouendóſque ſudores, et excoquendas ſuppurationes. Auxiliantur eadem ſerpentium morſibus impoſita, et aduſtis feruefacta. Radices toſtæ cum roſaceo, vlcera cicatricibus claudunt, & cum melle neruis præciſis admotæ, luxatíſque partibus, maximè ſuccurrũt, ac vitiligines emaculant. Quod etiam præſtant elixata folia, cataplaſmate facto: è flore lilij ſuccus exprimitur ſuppurationes cõcoquens & vuluas emolliẽs: quod mel & ſyrion veteres appellarunt: non autem ſyræon vt multi ſcribunt: quod eſt melligo è coctis caricis, detergendo, emolliendóque idoneũ. Valet radicum bulbus ex vino coctus & intritus, ad pedum clauos: ſed hinc amouendus non eſt, niſi cùm lux tertia venit. Teſtium inflãmationes cum hyoſcyami folijs & tritici farina etiã leniunt ac demulcent dictę radices. Fit aqua è floribus liliorum, vitreis organis in Mariæ balneo excepta (vt proprio ſcribemus opuſculo) ad facies mulierũ erugandas, & niueo candore illuſtrãdas, ſummè expetita. Radix quomodocunque ponatur, hæmorrhoides aperit. Et vnguentum ex ea factum cum oleo amygdalarum amararum et cera alba, mirandum in modum erugat, terget & expolit faciem muliercularum. Eadem in aqua elixata, vel ſub prunis cocta, & cum dulci oliuo ſubacta, ſingulare adfert præſidium combuſtis tam igni, quàm aqua, ex Galeni & Auicennæ teſtimonio. Si in aceto coquatur, calida teſticulorum apoſtemata emendabit: & ſi cum melle teratur, caput à furfuri-

Inflammationes teſtiũ.

Faciei decor.

Hæmorrhoides, facies, combuſtio, teſticuli, furfures, vlcera capitis, ſplẽ, & ictus venenatorum.

furfuribus, tonſum & vnctum vindicabit. Prodeſt etiam ad vlcera capitis manantia. Aceto incocta folia, & ſpleni admota, vnicè cõferunt contra illius duritiem & ſcirrhum, modò quid eorũ decocti præbibatur. Succus etiam eorũdem cum ſemine tritus & hauſtus, pũcturis venenatorum mirè auxiliatur: & expreſſus de floribus ſuccus, vomicas vteri valde iuuat. Præterea, radix ſub prunis cocta, & oleo ſubacta, vteroq́ per linteolum immiſſa, menſes trahit, matricem emollit, & vuluam aperit: adhæc ſemen vino albo intritum ac epotum, fœtum mortuum celerrimè educit. Oleum ex floribus recẽter confectum & croco coniunctum, omnes inflammationes diſcutit. Fotus pudibundorum mulieris ex aqua decoctionis foliorum, & radicis, plurimùm valet ad mouenda menſtrua, quæ à partu cum ſecundis excludi debuerant: ſed poſt fomentum, debet in eodem decocto linteolum tingi, & vſque ad os vteri immitti, & exteriùs fotus continuari. Sit hoc poſtremum: Radix cum allijs cocta, & in fæce rubelli vini trita, mulierum faciem, quæ poſt dolores partus diſcolorata remanſit, perbellè emendat ac reſtituit, ſi hiſce miſcellaneis ſero inungatur, & mane aqua hordei detergeatur, idq́ toties repetatur, donec priſtinum decus, ſed maiore cum elegantia, reſumpſerit. Quod ruſticis mulieribus puerperis (quibus allia ſuauiter olẽt) ſcriptum ſit, non vrbanis, & aulicis, quæ moſchũ olere, ac roſas vbique ſpirare ſatagunt. Sed heus tu? non redolet, ſed olet, quod redolere ſolet. Nec cuiuis bene olet, quod bene ſemper olet. Verùm hæc nihil ad hiſtoriam noſtram.

Vteri vomica, menſes, vulua, fœt⁹, inflãmatio, menſtrua, ſecundæ, & diſcoloratio faciei poſt partum.

Leuconij & Violarum congenerum medica auxilia. AR. III.

INuenio summum honorẽ fuisse Violis apud antiquos, post Rosam & Lilium. Quarum genus omne partim *Violetæ* nomine, partim odore garyophylli in hortis, & illorum macerijs, ędificiorumq; ac templorum parietibus familiariter hærere videmus: & omnium maximè lutearum, Mauritanis & pharmacopœis *Keiri* nuncupatarum. Quæ Veris sunt preuiæ, & omnium fragrantissimæ. Sunt etiam in fenestris & pẽsilibus hortulis genera omnia frequentissima, figulinis aut ligneis vasis, à mulierculis, & his qui claustra sequuntur, studiosè exculta, mira sanè coloris, albi, purpurei, cœrulei, crocei & vermiculati, varietate, odorisq; suauitate, vel eminus commendata, ditissima peræquè omniũ fœtura. Sed maxima autoritas luteolis esse solet: quæ omnium primæ emergunt, & odorem vsque adeò vehementem spirant, vt caput plerunque tentet, ac nares feriat. Hæ, luteæ inquam violæ, parietinis sponte vernant & florent, hyemis, glaciei, niuis, grandinis & aliarum aëris iniuriarum patiẽtissimæ, lignosa radice ac fibrosa, rimis parietum & commissuris adeò incuneata, vt vix hinc diuelli possit. Has quandoque Christi natalibus floribus luxuriare vidimus. Verũenimuerò hæc ad medicas violarum facultates nihil attinent, quas nunc demum explicare iuuat. Aridi flores Leucoij feruefacti, menstrua educũt, oris vlcera cum melle sanant, cum cerato rimas sedis emendant, & in desessionibus, vt scribit Dioscorides, contra vuluæ inflammationes plurimùm pol-

Violarũ dignitas & cultus.

Violæ luteæ præstantissimæ.

Menstrua, oris vlcera, rimæ sedis, vulua, lien, podagra, menses, par-

[b]ollent. Radices cum aceto illitæ, lienem reprimunt, ac podagricos valde iuuant. Semen vnius [d]rachmæ pondere ex vino potum, aut cum melle, genitalibus mulierum inditum, menses, secundas, ac partus, etiam mortuos, extrahit. Frutex omnium, ex Galeno facultatem habet extergentem, ac tenuium est partium: plus tamen flores, & inter hos qui sunt sicciores, quàm virides, exhausta excrementia omni humiditate: vnde oculorum cicatrices, etiam crassas, extenuant. Si quis vehementiam virium quæ in floribus latitat, multa aqua, aut aliter retundat, optimum habebit medicamentũ ad phlegmonas tam vteri, quàm partiũ aliarum: potissimùm quæ diuturno tempore ad scirrhi modum induruerunt: hic cum cerato vlcera ad cicatricem ægrè venientia valde emendabit. Sunt qui phlegmonas in articulis induratas, radice cocta, trita & apposita curant. Semina lutearum in vino albo contusa (si febris absit) & hausta, menses potenter educunt, & fotu, frigidæ podagræ dolores leuant. Flores earundem, dimidio cyatho in aquæ tribus, eosdem menses, diebus aliquot hausti, euocant. Hîc adnotandum duxi, quia in nostris hortorũ secretis omissum, quòd mangonio holitorio, & repetita crebriore transplantatione, tum lutearum, tum purpurearum violarum flores, vt etiam aliarum, eximiam assequuntur magnitudinem multiplici foliorum fœtura, moschatã rosam quandoque æquante.

tus & secundæ.

Oculi, phlegmone vteri, vlcera, articuli, menses, & podagra.

Viola Martia nobis dicta, & medica eius auxilia. AR. IIII.

Viola cur Martia nobis dicatur.

IN eo violarum genere, quas Martias nũcupamus (fortasse quòd mẽse Martio plurimùm prodant, & Ver aperiant) non solùm purpure apud nos visuntur, sed etiam albæ, æquè suau & odoræ atque priores: licet id non agnosc Andr. Matthiolus medicus doctiss. ac diligenti sicuti apud Dioscoridem testatũ reliquit. Quo ad illarum vires & facultates attinet, Tarẽtin in Græcorum agricultura & medicina exercit tissimus scribit, flores Violæ purpureę refriger re, & ea de causa inflãmationibus prodesse, pe inde atq; oleum, & acetum, vt mox dicemus, illis compositum. Aqua infusionis & macerati nis earundẽ, vlcuscula in ore paruulorum obo ta, ac apostemata valde emẽdat, & pleuritidi, a ginæ, tumoribúsque thoracis summè auxiliatu Valent etiam flores ijdem aduersus crapulam capitis grauedinẽ olfacti, vel coronæ modo fi cipiti admoti. Addo quòd epileptici odore vio (fortassis luteæ) summè recreantur, ac nonnihi iuuantur, & maximè pueri: nec tantùm odor sed etiam potu aquæ, in qua illius flores perm duerint. Radices cum myrrha & croco tusæ, i flammatis oculis mirè opitulantur: & trita fol cum melle & aceto, capitis vlcera sanant. Eade elixata omnem matricis tumorem curãt, si te da elixationis aqua vterus foueatur. Prosunt tiã in cerato fissuris ani, quas rhagadias nunc pant. Semina cũ vino albo trita, calidã podag fotu recreant: cui succedere debent folia in ros ceo tusa, & ex linteolo apposita ac subinde mu ta. Penè præteribam quòd dicta semina vino a bo (si febris absit) intrita & pota, choleram, m do rhabarbari, de ventriculo exturbant. Quo

Inflãmatio, vlcuscula oris, apostema, pleuritis, thorax, crapula, grauedo & epilepsia.

Oculi, vlcera capitis, matrix, rhagadiæ, & podagra.

etia

tiam præſtare ferunt virentia folia, aut flos in a-
qua vel oxymelite, multa maceratione permuta-
us. Quin & bilioſos morbos, vel è ſanguine fa-
tos, coſtales & pulmonarios, vt diximus, idem
tiam iuuare ſolet, ac infantulorũ tuſſes & ſuſpi-
ia componere. Folia eadem per ſe, & ex polenta,
æſtuanti ſtomacho, et oculorum inflammationi-
bus, ſedíque prociduæ aptiſsimè illinuntur. Hîc
me ſubinuitat commune iuuãdi ſtudium, vt non
omittã vnum ac alterum Violarum arcanũ, mi-
hi à medico Italo, haud ita pridè familiariter im
pertitum, ſed quod poſtea apud dignum fide au-
torẽ legi & adnotaui. Si os capitis, dicebat, ado-
leſcenti, vel alteri, violenter tactum fuerit, da illi
ſtatim bibere violas tritas, & id dies aliquot fa-
cere perſeuera. Prætereà, ſi cuipiã pes dexter læ-
ſus fuerit, liga violam cum vino tritam ſub plan
ta pedis ſiniſtri: ſi ſiniſter, ſub dextra. Rem vtrã-
que facili experimento excutiendam, rerum ab-
ditarum ſtudioſis propono. Sed Ioannem Me-
ſuæ de Violarum facultatibus differentem iuuat
in medium accerſere. Viola recẽs, inquit, frigida
eſt & humida ordine primo: ſiccata, minùs. Nam
in recẽte excrementoſa humiditas ſuperficiaria,
quæ lubricando purgat, caliditatem obtundit:
in ſicca, humiditate illa reſoluta, caliditas priùs
obruta emicat: ex qua emergit ſapor amarus, qui
trahendo purgat. Recens ergo refrigerat, dolo-
res calidos, narcoticorum et ſtupefaciẽtium mo-
do ſedat, inflammationes extinguit, thoracem &
aſperam arteriam lenit, bilem flauã purgat, & ab
ea calorem ſequeſtrat. Somnum prætereà conci-
liat, vuulæ confert ac cynanche, cephalalgiam à
cauſa calida conſopit, hepatis phlegmonem &

Bilis, ſanguis, pulmo, tuſsis, ſuſpiria, ſtomachus, oculi, & ſedes procidua.

Vulnus capitis, & pedum læſio.

Violæ recentis & ſiccæ temperamẽtum.

Inflãmatio, thorax, aſpera arteria, bilis, ſõnus, cynanche, cephalalgia, hepar, icterus, coryza, ſitis, febris.

eius obstructionem, vnà cum ictero valde iuuat: sitim sedat, & febres inflammatorias mitigat, sed coryzam excitat. Cæterùm, eligenda & decerpenda est matutina viola, cuius virtutem neque Solis calor resoluit, neque pluuia dissipauit. Si melle condiatur, magis terget ac minùs refrigerat, cum saccharo contrà. Succus, atque syrupus ex multa repetitáque eius infusione concinnatus, leniendo, clementer, vt ex rosis, purgat: datúrque vtiliter pleuriticis ad ducendam aluum. Acetum similiter compositum, febrium ardores emendat. Hactenus Mesues, cum quo medicam hanc Violarum historiam claudimus.

Vetonica hortensis, seu vetonicum coronariũ, aut caryophyllatum, & medica eius auxilia. AR. V.

Altilis Vetonicę pulchra historia.

GAllorum vulgus altilem Vetonicam & coronariam *Ocellum* seu *Oillethum*, à floris figura nuncupare solet: quæ tantam gratiam apud mulierculas, et monachos, inuenit, sui odoris iucunditate & coloris prę̄stantia, vt tam in hortis, quàm fictilibus, cura admodum diligẽti ab illis, etiam fenestratim, excolatur ac foueatur. Flores caryophyllum olent (vnde illis caryophyllati nomen) & aliquid suauius, artificio et mangonio in nostris hortorum Secretis expresso. Mirum sanè est, quòd tam illustris flos, tam suauis & iucũdus, à veteribus silentio inuolutus fuerit (quamquam nõ desunt qui Lychnidẽ coronarium esse putent) qui vnus pulchritudine, varietate & amplitudine, cũ rosa de principatu vel ad victoriã, non temerè mihi certare videtur: ei nec colore

Vetonica hortẽsis priscis incognita.

cedens,

cedens, nec odore: nisi quòd è longinquo plus olet recens rosa, sed cui decerptæ, natiui vigoris longissima mora dies esse soleat: vetonicæ, quatriduum, vel ampliùs, vita, vigórque perseuerat. De eius facultatibus & medicis auxilijs, & si ne verbum quidem, quod sciã, prisci rerum agri & medicinę cultores scripserint, nihilominus de illis quæ ab Andrea Matthiolo adnotata legi, libẽter proferam. Calida, inquit, & sicca facultate pollere vetonicum indicio esse potest odoris fragrantia & saporis amarulentia quædam: flores, præsertim purpurei, præstant ad omnes cordis affectus: nempe ad animi deliquia, & cordis ipsius tremorem. Præstant item ad vertigines, epilepsiam, paralypsim, & cõuulsiones, ex vetonicæ vel amaraci decocto poti: asseruantur saccharo perinde ac rosæ: vtiles admodum non solùm ad prædicta omnia, sed etiam ad cuncta venena, & venenosorum ictus. Dantur ad intestinorum animalia necanda, & aduersus pestilentiæ contagia. Valentiùs tamen id facit succus ex vniuersa planta expressus: Nam is haustus quat. vnc. pondere, vbi morbus inuaserit liberat. Fit etiam è floribus acetum præstantiss. Quæ de hyacintho circunferuntur, nihil, quod dicunt, ad hanc Parmenonis suem. De agresti Vetonica, & eius facultatibus, præter ea quæ à Græcis & Arabibus tradita sunt, extat pulcherrimus & elegantiss. libellus Antonij Musæ D. Augusti medici, ad M. Agrippam.

Agrestis Vetonica ab Ant. Musa descripta.

Phlogium, & Bellis hortensis, cum vtriusque medicis auxilijs. AR. VI.

PLantæ & floris inodori genus illud quod gallicū vulgus *Penseam* vocat, & pharmacopœorū collegium, Trinitatis herba, à triplici florum colore, Phlogiū proculdubiò mihi esse videtur: à Petro Pena medico doctiss. et eloquētiss. Viola flāmea nūcupatum, vere statim post violā purpuream emergens, & flosculum coronis sanè quàm aptum, folio triquetro gerens, colore vbique commendato, licet inodoro, vt anteà diximus. Durat inter flores longo tempore: nam in autumnum, imò etiam in hyemem his prorogatur locis & hortis, in quibus cœlum clementiùs arridere solet, & vigilis adesse cura coloni. Quod attinet ad medica eius auxilia, hoc idem possum testari quod de superiore, nimirum nihil extare, quod sciam, apud Græcos, Mauritanos, ac Latinos medicos. Scribam tamen ex quorundam experientia, quòd planta hæc maximè probatur ad glutinanda vulnera, tam exteriùs illita, quàm interiùs sumpta: adhæc ad enterocœlas. In quem vsum puluerem eius, mensura dimidij cochlearis, ex vino austero, fœlici successu propinant. Sunt qui plantam ipsam ægrè spirantibus, & pulmonum inflammationibus non obscuram opem ferre tradant. Quin & scabiem sanare, & cætera cutis vitia delere affirmāt. Probatur etiam ad puerorū tormina stillatitia eius aqua hausta, illiniturq́ herba tota, vel pabulo datur ad porcorum anginas.

Phlogij pulchra & elegans descriptio.

Vulnera & enterocœlæ.

His positis, transeo ad Bellidem, seu Bellium hortense (nam campestre quoq; & pratense spectatur) de quo, priùs quàm medicè aliquid proferam, monebo quòd flores eius à Gallis *Margaritæ* vulgò nuncupantur, & à nostratibus Borbo-

Florum Bellidis nomenclatura.

nijs *Pasquetæ*, fortaſſe quòd circa Paſcha oriri incipiant, vel quòd grato & vario colore, licet inodoro, oculos paſcant. Sed hæc nihil ad medicam hiſtoriam, de qua nunc demum paucis agendum reſtat, ex recentiorum obſeruatione: nam nihil ab antiquis ſcriptum quoque reperio. Bellis itaq; trita per ſe, vel cum artemiſia, perbelle ſtrumas emendat. Laudatur etiam ad Podagras, iſchiadē & paralyſim, vndè à nonnullis herba paralyſis dici ſolet. Valet præterea, ad capitis fracturas, & thoracis vulnera, quę in eius cauitatem penetrāt. In quem vſum, ſuccus potionibus ritè quoque admiſcetur. Huius folia commanſa tum oris, tū linguæ exulceratas puſtulas ſanant: eademque tuſa genitalium inflammationes extinguūt, ac etiā reſoluunt. Herba ipſa recens in acetarijs deuorata aſtrictam aluum lenit: id quod etiam præſtat ex iure pinguium carnium, vel cum recenti butyro decocta. Sunt qui plantam eam ad conſolidam minorem referant.

> Strumę, podagra, iſchias, paralyſis, capitis fractura, & thoracis vulnera.

Iris, & medica eius auxilia.
AR. VII.

IRis quòd folium habeat in ſpeciem gladij mucronatum, quibuſdā Galliæ partibus *Glaiutū*, ac ſi diceres gladiolum, vulgò nuncupari ſolet: & à cœruleo ac verſicolore flore cœleſtem arcum imitante, *Iris*. Cui flores, præter cœruleum, inſunt albi, pallidi, lutei, & purpurei, artificio in noſtris hortorum Secretis deſcripto. Rura alicubi *Flammam* vocant: ob rutilum, vt arbitror, ignis fulgorem, radiantibus aliquot lineolis, intus ex-

> Iridis nomina & eorundem ratio.

aratum: vel quòd calfaciat, vt flamma, ficuti recentes eius radices indicant. Quas fundit geniculatas, & fummè odoras: vnde plerique fub veris exitū illas terra eruunt, & per circulares taleolas diffectas in vmbra ficcant, filóque tranffutim exceptas, recondunt. Alij lixiuio eafdem macerant, ad abfcorbēdam & exhauriendā fucci excrementitij fobolem, qua tinearum iniurijs funt opportunæ, deinde ficcant. Nam teredines, non ficcæ modò, verùm & in terra virides celerrimè fentiunt. Ita curatæ armarijs imponuntur, vt odore per quàm iucundo, veftes ac lineam fupellectilē imbuant, & commendent. Sed hæc, fi placet, mulierculis tractanda relinquamus, & medicas Iridis facultates fedulo excutiamus. Radici vis ineft excalfaciens atq; extenuans, qua dote contra tuffim efficax effe cenfetur: nam craffitiem humorum, qui ægrè reijciuntur, digerit, atque hinc torminibus medetur. Cum aceto, lienofis, perfrigeratis, cōuulfis, & quibus genitura effluit, fummè prodeft, coctaque cum vino & haufta, tardantes menfes euocat, necnon excreationes faciles reddit. Lumbis & coxendicibus ex refina vtiliter illinitur: naribufque ritè inditur puluis aut fuccus fternutamentis mouēdis. Caput purgat, lachrymas elicit, & fuo iufculo orthopnœas difcutit. Oris fœdos halitus commāfa abolet, alarumque tædia & graue virus fotu emēdat. Vinū decoctionis eius tuffim fedat, & foporem cōciliat. Puluis ex vino propinatus, fi febris abfit, faniem tenacē, quæ præcordia lædit, & thoraci molefta eft, mirificè expellit & deturbat. Idem cum aceto grauia tormina compefcit. Fiunt è radicibus cum melle admodum efficaces compofitiones ad fecundas

Vfus œconomicus radicū iridis.

Tuffis, tormina, lienofi, perfrigerati, conuulfi, gonorrhæi, menfes, excreatio, lūbi, fternutatio.

Caput, orthopnœa, oris halitus, alarū tædia, tuffis & fopor.

Thorax, tormina, fecundæ, coxēdix, Vterus, vlcera & fiftulæ.

das educendas. In dolore coxendicum ſuccus recẽtiſſimæ radicis vtiliter clyſteribus infunditur, fotuſque decoctionis eiuſdem, fœminarum incommoda ad vnguem leuat, duros earum locos emolliendo, & contractos relaxando. Eadem radix arida, & in pollinẽ redacta, vlcera purgat, ac fiſtulas ſinuſque replet. Valet etiam ad paronychias, & cũ vino ad clauos ac verrucas. Oſſa fracta, cum melle impoſita, extrahit: & nudata, carne veſtit. Lentes præterea & cutis vitia emaculat, dentiumque cruciatus demulcet, ſi eius decocto foueantur, & frigida ſit cauſa doloris. Vlcerum ſinus laudabili carne replet: & ſi mel accedat mũdificat. Quod etiam præſtare fertur puluis ex cõbuſto oſſe mortui hominis, modo aloẽ & melle excipiatur, & in vlceris fiſtulam inijciatur, quem admodũ ſcripſit Rhazes. Sed hæc ad noſtra medicinæ Secreta reſeruanda erant. Radix iridis in pul uerem redacta, & oleo de Spica ad linimenti conſiſtentiam excepta, caput à pituitoſis excremẽtis tis ſuaui admodũ odore, per nares liberat, ſed repurgato priùs toto corpore. Succus ex ijſdem radicibus, inſertus naribus, fœtorem illarũ emẽdat & cum aceto hauſtus, ſplenis dolores obolet. Hîc tẽpeſtiuum eſt, vt Ioan. Meſue audiamus. Iridis radix, inquit, calida eſt & ſicca ordine tertio, necnon acris: Deterget, reſoluit, coquit, lenit, aperit, dolores ſedat, pituitã viſcoſam, & miſtam illi bilem purgat, necnon ſeroſas aquas, eaq; omnia clementer. Lentam & hærentẽ materiam craſſam in thorace ac pulmone coquit, tenuat, ac promptè educit, viſceraq; omnia expurgat. Hepatis quoq; & lienis ac vicinarum partiũ obſtructiones tollit, & affectus ab ijs excitatos, hydropem, dolorem,

Paronychiæ, lentes, claui, verrucę, oſſa cutis, dentes, & vlcera.

Caput, nariũ fœtor & ſplen.

Pituita, bilis & aquæ ſeroſæ.

Thorax, pulmo, lien, hepar, viſcera, hy-

drops, tẽſio, dolor, ſtrumę, tumores & cephalalgia.

rem, tenſionem, duritiem, ac ſimiles, ſanat aut lenit. Omnes quoque tumores, etiam duros, & ſtrumas digerit, pręſertim neruorum & iuncturarũ: maximè cum betæ vel braſſicæ ſucco, aut vino, & melle ac oleo chamæmelino. Præterea, veterem cephalalgiam ſanat, præſertim cataplaſmate impoſita, & ſucco eius in nares attracto. Nam ſternutamentum mouet, quod excrementorum vim maximam per meatus occultos in partes alias defluere paratorum, retrahit & foras ducit. Cum ſapa tuſſim veterem ab humore craſſo, vel lento factam, multùm iuuat, & ab eodem ſpirandi difficultatem. Vterum præterea expurgat: & peſſo impoſita, vel emplaſtro admota, eius dolores ſedat, menſes euocat, abortum facit. Iſchiadi ſalubriter clyſtere iniicitur, aut emplaſtro apponitur Si aceto cui incocta fuerit, os colluitur, dentium dolorem leuat & rheumatiſmum ſiſtit: adhæc ſuppoſita hęmorrhoidas aperit. Succus eius cum farina fabarum & cinerum illitus, faciem expurgat, eiuſque maculas deterget. Porrò, ne ventriculum lædat, ſumitur ex mulſa & pauca ſpica, vel cum ſero lactis, melle & maſtiche. Hactenus Meſues. Paulus Aegineta tradit, obolos octo, ſeu ſcrupulos quatuor, purgare agarici modo, niſi fuerit antiqua & perforata radix. Dioſcor. doſim illo amplius auget. Teri & coqui poteſt mediocriter. Eligenda quæ eſt crebrò geniculata, denſa, ex albo rufeſcens, frangi contumax, odore violæ aromatico, ſapore acri ac mordente, & dum tunditur, ſternutamenta excitante. In quo Florentina & Narbonenſis noſtræ præfertur: & bonitatis rationem ſecundam habet, cui flos ineſt cœruleus: nam albus, vt reliqui mangonio accerſiti, ad omnia

Tuſſis, aſthma, vterus, dentes, rheuma, hęmorrhoides & maculæ faciei.

Electio, collectio, & notę præſtantis Iridis.

Sternutamentum.

omnia inbecillior censetur. Colligi debet, incipiente florum defluuio. Fit ex ea oleum irinum dictum, ad multa valde efficax, vt in opusculo hortensium oleorum aliquando scribemus, cum aliis plerisque, fauente Domino, legi ac aspici dignis.

Amaranthus, & medica eius auxilia.
AREA. VIII.

ETsi à Plinio Amaranthus spica purpurea verius dicatur, quàm flos, illum nihilominus in censu florum hîc adnumerabimus, quòd eo nihil sit aspectu gratius ac iucundius. Tyrias enim purpuras flammeo nitore vincit. Ex quo Gallis non ineptè *Passeuelutum* nuncupatur: nam cum holoserico coccineo, quod *Carmœsinum* dicunt, de coloris præstantia certare videtur, absque vllo tamen odore: mirumque est quod cum defecere cuncti flores, ille madefactus aqua reuiuiscit, & hybernas coronas pulcherrimè nectit: hinc dictus Amaranthus, quòd non marcescat, ita Grçcam nomenclaturam vsurpante Latio. Ex recentium medicorum iudicio, facultas illi inest frigida & sicca: vnde flos eius ex iusculo potus, dysentericos & cœliacos iuuare traditur: adhæc mensium abundantiam, & albas vteri fluxiones cohibere. Quinetiā cruenta expuentibus prodest præsertim si in pulmone, vel pectore vas aliquod fractum fuerit, vt scribit doctiss. & diligentiss. medicus Andr. Matthiolus suis in Dioscor. commentarijs. Non desunt qui tradant stomacho aduersari, licet cū vino vomitus ac fluxiones sistat.

Pulchritudo Amaráthi & eius nomenclatura.

Dysenteriei, cœliaci, menses vteri fluxiones, cruentæ expuitiones, vomitus & fluxio.

Vomitus & fluxiones.

Flos in aqua maceratus, vinum ementitur, grata febricitantibus impostura, quo benefico inuento illos sępenumero delusimus, ac summè iuuimus. Sit hoc postremò loco in virginum & puellarum gratiam scriptum. Amaranthi flos, furni tepore, post ablatum panem, siccatus, mira coloris præstantia, ad coronarios hyemis vsus seruari potest, etiam in septennium vsque, vegeto & eleganti colore.

Solsequium, & medica eius auxilia. AR. IX.

Solsequium à multis falsò existimatur esse Heliotropium, siue maius illud fuerit, siue minus. Non q. Solē non sequatur, vt mox dicemus, sed quòd pictura ei planè repugnet. *Calendula* officinis vulgò nuncupatur, quòd singulis ferè mensium calendis florere, vel (vt alijs placet) fruticare deprehendatur, Poëtæ Caltham, & Galli *Solsiam* nominant, ac si diceres *Solsequiam*, quòd eius flores Solem ab ortu per meridiem ad occasum tendentem notabili conuersione sequantur, ac si eius spiraculo recrearentur: tantus est syderis amor, & occulta cum ijs floribus sympathia. Hinc nimirum planta hæc Rusticorum horologium & Solis sponsa, ac solaris herba nuncupatur, sicuti fusè & apertè ostendimus in nostris Naturæ arcanis, & alibi. Venio ad medica solsequij auxilia. Suffimentum ex siccis eius floribus per vuluas receptum, secundas morantes trahit: & ijdem recentes in vino macerati & poti, mēses cient: sed multò efficacius id præstat herbæ succus: quo, in dentium dolore, si os cum tantillo vini, vel aceti calidi-

Solsequij nomenclaturæ, & earundem ratio.

Secūdę, menses & dentiū cruciatus.

lidiuſculi colluatur, præſentaneum adfert remedium. Rem eandem facit folium, digitis vtcunq; emollitam, & crucianti denti appoſitum, ſed illud igni oportet ante admouere. Quia frigidum, vt venerandus ille medicinæ parens Hippocrates noſter ſcripſit, neruis, dentibus, oſſibus, cerebro & ſpinali medullæ ſummè inimicũ, ac valde infenſum eſſe ſolet. Sunt qui Solſequij aquam omnibus oculorum morbis conducere aſſerant, tam à calore quam frigore: adhæc capitis dolores tollere. Hîc penè tacebam & præteribam ſecretum magnum mihi, & amicis meis, qui naturæ abdita per experimenta ſcrũtantur, ſæpenumerò probatum & obſeruatum. Si quis initio peſtilentialis febris vncias duas ſucci calendulæ biberit, deinde in lectulo bene opertus ſudauerit, liber ab ea labe reſurget. Quod Alexandro Benedicto ſicuti acceptum libenter ferimus, ita tibi libentius offerimus ac impertimus. Sunt medica aliquot huius plantæ ſecreta alia, paucis intellecta, quæ cum pleriſque hactenus deſideratis ex tenebris tibi in lucem aliquando proferemus. Hâc ſolſequij narratiunculam claudebam, dum medicinæ candidatus quiſpiam familiaris meus, familiariter, vt ſolet, me inuiſit. Qui poſtea quàm legit hanc facultatum ſolſequij hiſtoriam, fidem mihi fecit ſe cognouiſſe monachum quendàm qui quartanas curabat propinato ante acceſſionem vino albo, in quo ſeptem grana ſolſequij detrita fuerant, repetito dies aliquot hauſtu: Quod hîc te ſcire libenter volui, & vnà commonefacere, quòd calendulæ ſeu ſolſequij folia etiam iuſculis imponuntur, guſtu & odore non ingrato, Acetarijs inſuper remiſcent mulierculæ,

Oculi, capitis dolor.

Peſtis.

Febris quartana.

vti etiam flores, ad cordis affectus, icteritiam & fœdos virginum colores, ac respirandi difficultatem. Ius & teneræ cymæ luteo ouorum in placentam exceptæ & mansæ, fluentes nimium menses sistere, & cunctātes impellere compertum est. Autor doctiss. medicus, & rei herbariæ peritissimus Petrus Pena.

HORTI MEDICI CAMPVS SEXTVS, CONTINENS PLAN-
tas aliquot non esculentas, areolis vndecim.

Absinthium, & medica eius auxilia.
AREA I.

HIC naturam rerum omnium parentē imitabor, quæ sicuti per vastam mūdi vniuersitatem iucundis ac lætis tristia miscere solet, adhæc dulcibus amara: ita ego in hac hortensiū medica historia, suauibus insuauia miscebo, & gratis ingrata. Itaq; post odoratos flores & plantas, nunc demū inodoras & insuaues herbas aliquot describam, ab Absinthio gradum mihi omnium primum faciens, quod tam odore, quàm sapore, iniucundum esse nemo nescit. In genera tria illud distinxerunt prisci. Vnum vulgare nuncupantes, quod Galli *Aluinam* vocant, ac si diceres, *aloinam*, ab insigni aloës amarore, quem refert. Nostrates Borbonienses *Fortum* appellant, à forti ac vehementi eius odore & sapore: cui Ponticum Galeno simile esse traditur. Alterum Seriphium vocant seu marinum: cuius semine medici necem moli-

Absinthij genera tria, & eorundem nomenclaturæ.

moliuntur vermibus,ac lũbricis corporis, & ob id Semẽ contra lũbricos dictitant: Gallicũ vulgus *Barbotinam, & vermium mortem* nuncupat,easque nomenclaturas officinæ egregiè norunt. Tertium quibusdam Romanum,nobis Santonicum, gentili regionis vocabulo,dicitur: quod vt reliquis minus est, ita amarore multò mitius, folijs constans albicantibus, lenibus & planis: adhæc odore iucundo,& gustu non valde insuaui. Hodie apud nos in multis hortorum areis seritur & acetarijs remiscetur,summo ventriculi & hepatis commodo. Sed his neglectis ad facultates & medica omnium præsidia transeundum est. Absinthium decoctum,sui vaporis suffitu,dentium ac aurium dolores tollit: hisque vtiliter instillatur,si manauerit sanies. Potionibus à multis improbatur,quod stomacho & capiti dolorem inferat,præsertim vulgare, licet illis prosint folia admota. Cruditates cum pipere, ruta, sale & vino abigit: ac thoracem cum iride purgat, & maximè Santonicum. In aqua pluuia decoctum, & sub dio perfrigeratum, ventriculum & hepar summè roborare creditur,ac lotium potu elicere. Ad regium morbum bibitur salubriter cum apio, vel adianto: & cum melle sumitur efficaciter, aut ex vellere imponitur laudabiliter ad menses trahendos. Sanat pruritus fotu suæ decoctionis, & nauseas maris arcet in nauigationibus potum ex vino, vel olfactum,aut è regione ventriculi appensum. Reliquas facultates & medica præsidia facillimis versibus, & plane medicis, expediet herbarius vates,de absinthij planta in hunc scribens modum,

Ventriculus, hepar,dentes auris, cruditates & thorax.

Lotiũ icterus, menses, pruritus & nauseà.

Splen, venena, suggillata, angina, vulnera, capitis vlcera, inguina, aures & splen.

Et splenem adiecto potata iuuabit aceto:
Sic quoque fungorum depellet sumpta venenum,
Necnon lethiferæ cum vino damna cicutæ,
Atque venenatis occurret morsibus hausta,
Ac suggillatis superaddita ritè placebit:
Subuenit anginæ, melli nitroq; iugata.
Vulneribus prodest contrita recentibus, illis
Si superaddatur, capitis sic vlcera curans.
In lini panno si circuncincta geratur,
Inguinis immodicum fertur cohibere tumorem
Auris depellit sonitum cum felle bouino,
Ac durum splenem illius cataplasma resoluit.
Ex oleo fuerit viridis si cocta, iuuabit
Non modicè stomachum qui sit hoc vnguine fotus.
Sub lingua factum curat cum melle tumorem:
Liuoremq; nigrum, qui circa luminis orbem
Apparere solet, sanabit idem medicamen.

Stomachus, lingua, & oculi.

Hactenus poeta ille, qui ex Arabibus hæc ad verbum ferè transcripsit. Penè omiseram quòd absinthij cinis rosaceo vnguento permistus, capillum denigrat, & somnos olfactu allicit eius ramus sub capite repositus, modò id non senserit æger. Transit sapor eius in vinum, quod vocatur absinthites, quo nihil præstãtius in affectibus vẽtriculi, vt dicemus in vinis medicatis. Non est hîc dissimulandum, quòd absinthium vestiarijs arcis inspersum, ab erodentium iniurijs reposita vindicat: adhæc, quòd atramentum librarium diluto eius temperatũ, literas & libros à musculis tuetur, quemadmodum ex Dioscoride transcripsit Plinius: apud quem in nonnullis exemplaribus, muscis pro musculis scriptum reperio: fortasse

Capilli, somnus, ventriculus, vestes & libri.

fortaſſe quòb μυίαις pro μυοὶ legerit. Pulchrum eſt, inquit Aegineta, ante alia pocula abſinthij dilutum prælibare: nam inter ebrietatis antidota numeratur. Quod ad exhibitionem attinet, veteres ſuccum abſinthij pueris offerebant, illitis melle labris vaſculi, quemadmodum his verſibus eleganter expreſſit Lucretius,

Ebrietas.

Priſca abſinthij exhibitio

Ac veluti pueris abſinthia tetra medentes
Cùm dare conantur, priùs oras pocula circum
Aſpirant mellis dulci flauoq; liquore.

Alij folia eiuſdem in fico dabant, ad fallendam amaritudinem, & conciliandam guſtui gratiam, ſummo per impoſturam beneficio. Si cum roſis in vino auſtero coquitur, fotu, ventriculi dolores tollit, vel totius compoſiti applicatione. Et ſi cum paſſulis, oculis ſuperponitur, pulſantem illorum dolorem emendat. Quod etiam præſtat vapor decoctionis eius, ex vino albo, apertis oculis exceptus. Galenus ſcribit aurium ſibilum & ſonitū curari fotu decoctionis abſinthij: vel immiſſo raphani ſucco, cum roſaceo: adhæc herbã contuſam, & ſuper tegula calefacta, vinòque irrorata, toſtam, ictus, plagas & contuſiones ſanare: inſuper, eius decoctum cū furfure, chamæmelo, meliloto, malua, vino & aqua, additis oleis anodynis, roſaceo, liliaceo, anethino, chamæmelino, appoſitum cōtuſionibus & attritionibus muſculorum, mirandum in modum iuuare. Et ſi folia cum melle trita, vtero ac muliebri pudendo imponantur, menſes excludent. Si cum radice iridis coquatur ſemen, & bibatur, thoracem purgabit, & icterum valde emendabit. Sed pulchrum erit

Ventriculus, oculi, aures, plagæ, contuſiones, & attritus.

Vterus & vulua. Menſes, thorax icterus.

audire Ioan. Mesuæ, hæc omnia, & multò plura, paucis colligentẽ. Absinthiũ, inquit, constat duplici substãtia, vna calida, amara, nitrosa, purgãte & obstructa liberãte: altera, terrea, stiptica, & partes cogendo roborante: præsertim in siccato absinthio. Cùm autem eius substantia calida sit superficiaria, vbi sumptum est, ab ea prior fit actio: à terrea verò stiptica, posterior: per quam ventrem soluere comprimendo, nonnulli malè sunt opinati. Bilem enim flauam, & aquas à vẽtriculo intestinis, hepate ac venis vacuat, interdum etiã per vrinas. Pituitam verò, aut non vacuat, aut maximè paucam: licet phlegmagogum quoque ipsum cẽsuerit Auenzoar. A putredine vindicat, præcipuè potu quotidiano vnciæ vnius vel duarum vini aut aquæ, cui infusum vel incoctum fuerit, vel aquæ ex eo distillatæ. Cum melle, aut vino & pauco cumino calfactũ & appositũ, mirè cõfert partibus attritis vel contusis. Si vino item, aut aqua, aut oleo cui absinthium & radix cucumeris agrestis incocta fuerint, spongia mersa & expressa temporibus alligetur, hemicraniã sanat. Auris quoque suffita vino aut aqua cui incoctum sit absinthium, dolore, tinnitu, & surditate liberatur. Acetum præterea, aut vinum cui incoctum fuerit cum cortice citri, oris fœtorem à gingiuarum & dentium putredine, vel materiarum corruptela in ventriculo, emendat: quod etiam præstat aqua eius distillata. Succus cum nucleis persicorum, vermes aurium, & aliarum partium, enecat & educit. Sed maximè hoc electarium lumbricos occidit: Absinthij vnciæ duæ, euphorbij drachma vna & dimidia, cornu cerui vsti vncia dimidia, mellis quantũ sufficit. Ex absinthio, fumaria,

Bilis flauæ, aquæ, putredo, attritus, & contusiones.

Hemicrania, aures.

Fœtor oris, vermes, pruritus & scabies.

maria, vuis paſſis enucleatis, myrobalanis citreis, potio fit commoda contra pruritũ & ſcabiem. Quia autem imbecilliter ſoluit, roſæ, ſerũ lactis, fumaria, ſpica, vuæ paſſæ purgatæ, illi non ineptè miſcentur, vt meliùs & tutiùs purget. Roborat ventriculum & hepar, excitat appetẽtiam, tollit obſtructiones, & inde natos affectus, icterum ac hydropem: febribus etiã putridis diuturnis confert. Vere debet colligi abſinthium, & ſuccus ex eo media veris parte extrahi, & ſole, vel calidis cineribus, in vaſe vitreo, vt aloë, ſiccari. Flos ęſtatis principio decerpitur, mediocrem ſuſtinens coctionem. Hactenus Meſues, qui nobis medicam abſinthij narrationem claudet. In qua perſequenda, ſi lõgè ac latè ſumus exſpatiati, & diutiùs immorati, popularis herbæ inenarrabilibus remedijs & auxilijs, aſcribendum obnixè precamur.

Ventriculus, hepar, appetentia icter⁹, obſtructio, hydrops & febris.

Abrotonum, & medica eius auxilia. AR. II.

QVia Abrotono abſinthij amaritudo ineſt, idcirco ſecundo poſt abſinthium deſcribetur loco: quod in marem & fœminam diſtingui nullus eſt qui ignoret. Hæc à multis Cypreſſus dici ſolet, folijs conſtans albicantibus. Ille non vſqueadeò albicat. Pariſiẽſes vtrunque *Avronum*, & pumilam cupreſſum, & *cuſtodem veſtiarium* nuncupãt: quod armarijs ſparſum, veſtes à tineis vindicet. In vino potum contra venena antidotum eſſe ſcripſerunt priſci, & cum oleo illitum prodeſſe algentibus: necnon contra omnia veneficia, quibus coitus impeditur. In cubili ſtratum & ſuffitum, ſerpentes ac venenatũ reptile quod-

Abrotonum mas & fœmina.

Venena, algores, coitus, ſerpẽtes, barba, nerui & thorax.

Dispnoici, tussis, lumbi, vulua, ischias, menses, febrilis algor, lumbrici, venena & pestis.

uis fugat. Cinis eius cum oleo raphanino, ricinino vel sabino, barbam tardiùs nascentem elicit, & neruos pectorisque affectus summè iuuat foliorum decoctio. Ex quo dyspnoicis, tussientibus, & lumborum ac vuluarum doloribus adesse creditur, si cum vino & pauco melle hauriatur Quo etiam modo ischiadicis & suppressis mensibus auxiliatur. Febriles algores abrotonum sedare dicunt, si ex aqua tepida bibatur, antè quàm irrepant: vel oleo eius spina dorsi ad calentem foculum illinatur. Alij eam in rem flores cum summis ramorum capitulis, ex oleo in linimenti consistentiam atterunt, & eo pedũ plantas, cum spina & carpis manuum illinunt. Huius semine, quotidiano experimento mulierculæ lumbricos necant. Addo quod idem semen vsque ad drachmam, cum aliquot folijs in vino albo tritum, addita nuce iuglande & bolo Armeno: deinde excolatum & bibitum, mirandum in modũ est efficax aduersus venena, & luem pestiferam, nostro & aliorum quamplurimorum fœlici & optato experimento. Semen in vino albo tritum, & haustum, cunctantes menses accelerat. Quid amplius optas?

Menses seu menstrua.

Huic panis micas, & mala cydonia iungens,
Si simul amne coquas, oculorum cocta dolori,
Vel feruori apponens, percurabis vtrunque.

Oculi, aculei, lumbrici & venus.

Infixas cuti spinas, aculeos & alia quęuis educit per se admotum, vel cum adipe tritum: adhæc tam sumptum, quàm appositum vel iniectum, lumbricos ventris, perinde atque absinthium, disperdit: ferturq; ad Venerem incitare, puluino subditum. Quod an verum sit, dubitare malo quàm incerta pro certis obstinatè ac temerè proferre:

ferre: quare connubio iunctis isthæc tentanda relinquam,

Ruta hortensis, & medica eius auxilia. AR. III.

NVlli sunt horti, tam vrbani quàm agrestes, qui Rutam perpetuo virentem & grauiter olentem non agnoscant. Cui ea fertur esse natura Plinio & Palladio, vt furtiua optimè proueniat, & sub fici arboris vmbra libenter acquiescat. Vnde probatissimam rutam esse putauit Theophrastus, quæ cortici ficulneo defixa, terra obrueretur. Quod etiam Plutarchus agnouit, scribens in sympofiacis ad hunc modum: Ruta quæ sub ficu prosilit, aut illi adnascitur, suauior habetur & sapore melior. Ab his non longe recessit Dioscorides, eam cibis commendans, quæ prope arborem fici cresceret, & quamcunque aliam ferculis abdicans. Hinc illa nimirum rutæ cum fico sympathia & amicitia à Plinio celebrata: & eiusdem rursum cum cicuta mirabilis antipathia, probabili argumento, quòd rutam colligentes, cicutæ succo manus armant, ne perniciosis vlceribus ab ea infestentur. Quod de ruta agresti scriptum fuisse, docebit experientia, rerum dubiarũ magistra. Sed hæc nihil ad rutæ facultates & medica auxilia: quæ quia præstantissima sunt, ob id longè ac latè nobis explicanda veniunt. Florentinus Grecę agriculturę interpres diligẽtissimus, tradit obturatas aureis medulla rutæ, aut recenti eius surculo, capitis dolores finire: adhæc, succo illius inunctos oculos cum melle optimo, vel lacte mulieris masculum enixæ aut lactantis, cali-

Rutæ natura & præstantia.

Mirabilis rutæ cum fico sympathia.

Aures, caput & oculi.

gine & suffusione liberari. Quam rem etiam præstabit solus succus, tactis oculorum angulis, non solùm hominibus, sed etiam pecudibus ac iumétis. Quod Salernitanæ scholæ poësis non omisit, dicens,

Nobilis est ruta, quia lumina reddit acuta:
Auxilio rutæ, vir lippe, videbis acuté.

Et poëta herbularius,

Ruta comesta recens oculos caligine purgat,
Et melius marathri cum succo, felleq́ galli,
Melleq́, si succus ex æquo iungitur eius:
Indeq́ sint oculi patientis sæpè peruncti.

Serpentes, venena, epilepsia, hydrops, pectus, latus, lũbi, tussis, iecur, pulmo renes & febris:

Ille idem succus cum vino potus, serpentium venenis resistit, & comitialibus auxiliatur. Quin ruta ipsa cum ficu ad dimidias parteis decocta, hydropicis salubriter adhibetur: valetque plurimum ea decoctio ad pectoris, laterum ac lumborum dolores: necnon contra tusseis, ac pulmonum & iecinoris, renumque vitia, & remeantiũ febrium horrores. Eadem cum vino, hyssopo & aniso cocta, torminibus sedandis, & ciendis menstruis, haustu vel fotu mirandum in modum opitulatur: naribusque indita, fluentem sanguinem sistit, & sæpè olfacta, ozænas curat, necnon collutione, dentibus summè prodest. Semen maximi momenti esse solet apud medicos plerosque ad arthritidẽ, molas & humiditates vteri. Certissimum est Basiliscum serpentem, homini, reliquisque animãtibus insidiari ac infestum esse, frugesque ac sata contactu suo & viroso halitu polluere: nec esse vllum animantis genus, quod aduersus illum pugnet, præter Mustelam. Quæ rutæ esu, ceu præsenti alexipharmaco & propugnaculo sti-

Tormina, menstrua, sanguis, ozœna & dentes.

Basiliscus & Mustela.

lo ſtipata, illum intrepidè extra latebras raptum conterit. Quo mortuo, niſi confeſtim ſe aliò ſubducat, paſtuque rutæ iterum ſibi proſpiciat, ex contagione ambientis aëris ſuffocari periclitatur. Non temerè itaq; faciunt, qui circa ædes ruſticas, ac pecorum ſtabula, et paſtorum caſas, frequentē rutam ſerunt ac fouent, quum vi præſentanea venenis obſiiſtat, nec vllū ſerpentis genus, quàm ſe longiſsimè eius vmbra porrigit, vſpiam admittat: quemadmodū de Fraxino ſcribit Plinius. Quòd ſi quis ſumpſerit mādagoram, hyoſcyamum, ceruſam, nigri papaueris ſuccum, & pleraque alia quæ immodica frigiditate lethalem ſtuporem conciliant, rutæ ſucco, vel illius decocti vino, reuiuiſcet, ac malum diſcutiet. Sed obliuiſcendum non eſt, quòd feruido effectu & vrente, noxam infert corpori, ſi copioſiùs ſumpta fuerit, vel diutius olfacta. Vnde graſſante peſte ſæpenumerò obſeruaui eos, qui rutam naribus identidem admouiſſent, puſtulas & vlcuſcula in labijs, naſo ac vicinis locis, contraxiſſe: ſicuti in Opuſculo noſtro de remedijs & ſecretis contra peſtem nuper adnotauimus. Nam exulcerat foris admota, & parti alicui affricata veſiculas excitat. Quare carbunculis et bubonibus peſtiferis, alijsq; tumoribus contagioſis opportunè ac ſalubriter adhibetur: virus enim elicit, nec patitur intro reſilire ac remeare venenatos halitus. In quam rem contuſa, & cum fermento acri, ac adipe ſuillo, necnon cepa & ficubus cocta, adiecto ammoniaco, calce viua, ſapone cantharide & theriaces momento, præſtantiſsimum conficiet emplaſtrum, quod affectæ parti tempeſtiuè appoſitum, peſtiferos tumores cōfeſtim diſrum-

Ruta ſerpentibus exoſa, ac venenatis omnibus.

Venena.

Ruta in peſte vtendum cautè.

Carbūculis & bubones peſtiferi.

Emplaſtrum optimū aduerſus peſtiferos bubones & carbunculos.

pet. Id quod experiundo verissimum esse fateberis, & sciuisse aliquando gaudebis. Sed quia talium remediorum, tota (quod dicunt) plaustra in iã dicto opusculo nostro proposuimus, idcirco de illis verbum non amplius addo, reliqua hortensis rutæ medica præsidia, inuẽtu & paratu facilia, ordine persequens. Succus rutæ in cortice mali punici calfactus, & auri immissus, illius dolores finit, tinnitum emendat, & vermes interimit. Folia commansa, oris fœtorem tollunt ex vsu alliorum & ceparum contractum, sed aceto os debet postea collui. Si eadem folia coquantur, & cum sulphure ac pauco aceto terantur, deinde mammis in modum emplastri apponantur (exclusa papilla) omnem lactis coagulationem ac tumores expediunt. Scribit Galenus quòd ruta efficaciter obstat omnibus malignis vlceribus, siue sint putria, siue corrodentia: sed in molli corpore debet remisceri, & teri, coquíue cum pane vel hordeacea farina. In duro, potiùs vtendum censet pegano, id est agresti ruta, quàm hortensi & vrbana. Semen in vino coctum & potum, singultus emendat qui fiunt à pituita, & hinc periclitantes, à suffocatione liberat. Tusa folia & in modum emplastri scrophulis apposita, illarũ duritiem abolent. Et eorundem siccatorum pars vna puluerata cum media parte olibani, deinde ex vino, vel syrupo de mentha hausta, vomitũ compescit. Si aliquot recentia folia edãtur, & generosum vinum superbibatur, morsum Mustelæ non secus curant, quàm simiæ & felis commãsa faba, & demorso loco statim apposita. Factum præterea pessariũ, vt loquuntur medici, ex rutæ succo, muliebria potenter ducit. Et folia trita, oleóque lilio-

Aures, fœtor oris, lac, mãmæ, & vlcera.

Singultus, scrophulæ, vomitus, & morsus venenatorum.

liliorum incocta cum adipe gallinæ vel anſeris, ſi calida antrorſum & retrorſum vtero in modum emplaſtri apponantur, præfocationẽ & ſtrangulatũ matricis emendant. Quod vnum remedium etiam præſtantiſsimum eſſe ſolet, ad coli, vteri & recti inteſtini inflationes. Sed folia ſicca, cum ſupra dictis adipibus & oleo trita, efficaciùs operantur. Eſt ſanè memorabile quod apud Arnaldum à Villanoua ſcriptum reperi, nimirũ quòd ruta vino albo, vel roſacea aqua imbuta, macerata & calefacta, vapidũ fumum & aqueum vaporem exhalat, qui vitreo vaſe ſuperpoſito exceptus et collectus, apprimè vtilis eſt ſedandis oculorum morbis. Memorabile & illud quod apud Auicennã legi. Si quis ſemẽ rutæ & folia cum nuce, & bolo Armeniæ in generoſo vino albo contriuerit, & iuſculum tale percolatum ieiunus biberit, ab omni veneno ea die tutus erit, imò verò à peſtifera lue, quãtumuis ſæua & immani. Folia eadem cum vino trita valẽt plurimùm aduerſus venenatos morſus omnes, etiam ſi rabidi canis fuerint: modò cum melle & ſale morſui apponantur, vel cum aceto & pice eam in rem decoquantur. Non deſunt qui affirment rutæ ſucco perunctos, vel rutam ipſam geſtantes, à maleficis animalibus feriri non poſſe. Generationes eius cibo impediri certum eſt: idcirco mulieres ſobolem coniugalem ſuſcipere ſatagentes, rutam cane peius & angue vitare debent: nam vuluas aperit, ac menſtruum ſanguinem prolicit. Addo quod & ſemẽ, & coitum, tam cibo quàm potu ſumpta, deſiccat, & reſtinguit, maximè viris: vnde πήγανον Græcis dicta eſt Ruta ἀπὸ τοῦ πήγνυσθαι τὸ σπέρμα, quia ſemen genitabile ſuo præſicco ſpiritu, calidoq;

Menſtrua, matrix, colũ, vterus & inflationes.

Oculi, venena, peſtis & morſus venenati.

Malefica animalia, generatio & ſperma.

dóque vapore & tetro coaguletur, quaſiq́ꝫ areſcat: vnde ſterileſcunt, viri præſertim, concreto & diminuto eorum ſemine. Id quod mulieribus ſecus cõtingit, vt etiam Salernitano iactatur hoc ſenariolo,

Ruta viris coitum minuit, mulieribus auget.

Vuluæ ſtrangulatus, arthritis, teſtes, vermes, lichen, vitiligo, venena & peſtis.

Vuluæ ſtrãgulatus aperit cum melle trita, & toti pubi vſque ad anum illita. Quæ res etiam plurimùm valet ad dolores articularios, & cũ oleo ad expellenda ventris animalia. Si cum laurinis folijs coquatur, teſtiũ inflationes appoſita mitigat: lichenibusq́ꝫ cum melle & alumine vtiliter affricatur. Cum pipere & nitro vitiligines candidas emaculat, & folia aliquot, cibos antecedentia, aut cum arida ficu, & veteribus iuglandium nucleis ſumpta, addito ſalis momento, venenorum vires hebetant, & corpus contra iniurias eorum tutiſsimè muniunt, peſtilentíque aëri reſiſtunt.

Diateſſaron Mithridatis.

Quod Mithridatis inuentum eſſe tradunt, et Mithridaticũ diateſſaron nuncupant, mihi & quamplurimis fœlici ſucceſſu in magnis peſtilentijs ꝓbatum. Sed pulchrum erit audire poëtam herbularium de ruta eam in rem non ineptè ad hunc modum philoſophantem,

Mithridatis antidotus contra venena.

Obſtat pota mero, vel cruda comeſta, venenis:
Quod Mithridates Ponti Rex ſæpè probauit:
Qui rutæ folijs viginti, cum ſale pauco,
Et magnis nucibus binis, caricisq́ꝫ duabus,
Ieiunus veſci conſurgens manè ſolebat:
Armatusq́ꝫ cibo tali, quaſcunq́ꝫ veneno
Quilibet inſidias ſibi tenderet, haud metuebat.

Sed de ijs plura in Iuglande ſcribemus, vbi ad arbores ventum erit.

Theo-

Theopompus vires nec dissimiles nec impares rutæ attribuit, quàm citrio, contra toxica: tradens Clearchum Heracleoti tyrannum suo tempore multos aconito interemisse, cuius violentiam vt vitarent subditi, domo non egrediebantur ante degustatã rutam: quo præsidio, ceu præsenti alexipharmaco, ab aconiti virulentia sospites euaserunt. Non desunt qui Citrio id ascribãt, quemadmodum suo posthac adnotabimus loco. Prætereundum hîc non est, quòd ruta & mentha virides, ex Hippocratis & Galeni sententia, flatus ac Veneris pruritum excitare solent: siccatæ verò vel frixæ, & præcipuè semina, eosdem discutere, ac Veneris impetum compescere, seminisq; profluuium, gonorrhœa nuncupatum, sistere. Quod tametsi superioribus nonnihil pugnare videtur, si tamen rectè ac prudenter excusseris, nullum habere dissidiũ reperies. Luc. Apuleius Platonicus scribit, rutam viridem oleo incoctam, & cera noua agglutinatam, efficacem esse ad inguinum dolores, modò ex linteolo, vt ceratum applicetur. Eadem cum polenta bene trita & imposita, epiphoras lenit. Ignem sacrum ex aceto & oleo illita mire extinguit: & ros eiusdem matutinus in vasculo collectus, et oculis instillatus, illorum caliginem tollit. Quod etiam præstare solet vapor ex eadem madente, igni exceptus. Si præter voluntatem effluit semen, manducetur ruta in vino cocta cum pingui aliquo, vel butyro, aut dulcium amygdalarum recenti oleo. Si muliebre effluuium sistere voles, rutam (vt idem tradit Apuleius) auro, argento, ac ebore circumscribe, & sublatam infra talum alliga. Autores sunt Aristot. & Plinius, quod mustela cũ serpen-

Flatus, Venus, & gonorrhœa.

Inguina, epiphora, ignis sacer, oculi, caligo, sperma & muliebre effluuiũ.

ſerpente & bufone dimicatura in murium venatu, rutam priùs edere ſolet, ceu præſens quodpiã alexipharmacon. Ex quo rutam faſcinationis ac venenorum, necnon contagiorum præſtantiſsimum eſſe amuletum, appoſitiſsimè ſcripſerunt priſci omnes: falſoq́; putauit Pythagoras oculis nocere, nam & ſcalptores & pictores, oculorum cauſa, in cibo illa ſalubriter vti ſolẽt. Tam eſt infeſta ſerpentibus, vt procul ab illa ſtabulari certum ſit, imò verò eius nidore longè ac latè abigi. Vnde cum ſale & cepa admotam, remedium eſſe expertus ſum aduerſus ſerpẽtiũ venenatos ictus. Conſultè itaque ac prudenter mihi facere videntur, quia ruta hortorum areas olitorias coronãt, vt eſculenta olera à venenatis animalculis defendant. Hæc ſint poſtrema, quanquam partim medica. Feles ab auiarijs arcebuntur, pullis gallinaceorum aut aliorum, ſucco rutæ perfuſis, aut ruta vndequaq; armatis auiariis ipſis. Quod facili experientia probabis, vnà cum eo quod tradidit Democritus, nimirum culices abigi, & ne accedant impediri, ſi rutæ virentis ramo aquam per domum, aut locum alium ab eis obſeſſum reſperſeris, vel eiuſdem plantæ decocto aſperginem feceris. Quod multi etiam ad pulices meritò detorquent, & facto experimento veriſsimum eſſe teſtantur. Quare rectè ſcripſiſſe cenſebitur herbularius poëta,

Cocta facit ruta de pulicibus loca tuta.

De cuius facultatibus & medicis præſidijs ſcriptũ ſit hactenus. Quas fuſiùs & explicatiùs perſequi volui, quod vbique hortorum frequens ſit illa, excellẽtiſsimis viribus ac occultis alijs miraculis

[Margin: Faſcinatio, venena, ſerpentes & corũ ictus.]

[Margin: Quomodo arceantur feles ab auiarijs, & culices ab ædibus.]

[Margin: Pulices.]

culis prædita, nobis alibi explicandis: ne nimius videar, seráq; coronide longus.

Vrtica, & medica eius auxilia.

AREA IIII.

QVoniam in plerisque hortis, tam vrbanis quàm rusticis, multarum plantarũ (si desit cura coloni) non dicã cibis, sed oculis, manibus ac naribus ingratissimarum inexpugnabilis prouẽtus etiam sponte oboriri solet, idcirco de illis nonnulla medicè hîc scribere conabor, quòd vires in iuuando corpore humano admodum insignes ac præstantes habeant. Itaque ab Vrtica auspicor, quæ vel peculiare id agnoscit, quòd absque vllis spinarum aculeis, lanuginem adeò noxiam, ac vrentem circunfert, vt tactu quàm leuissimo pruritum, pustulasq; adustioni similes confestim excitet. Ex quo ab vrendo Grammaticis ritè dici mihi videtur, & Græcis ἀκαλύφη, καὶ κνίδη, quasi non tangenda, quòd mordacis & punctoriæ vstionis sæuum dolorem sua, vt diximus, lanugine perquam exili & mollicula acriter inurat. Sed mordacitas in ea (quæ oleo curatur) non protinus se prodit, nec nisi Solibus inualescentibus roboratur. Per veris initia planta hęc sapore solet esse non ingrato, & religioso cibo multis, ad depellendos totius anni morbos. Huius semen Nicander cicutæ contrarium esse affirmat, adhęc fungis, viuo argento, hyoscyamo, serpentibus ac scorpionibus pugnare. Trita folia & naribus indita fluentem sanguinem sistunt, omniumq; maximè radix: quod etiam præstat succus, frõti illitus. Phanias inter Græcos medicos celebris, vrticæ laudes condidit, vtilissimam cibis coctam,

Multæ in hortis plantæ inutiles.

Vrtica mordax, & eius remedia.

Venena & fluor sanguinis.

condi-

Canis morsus, sudor, aluus, pect⁹, mẽstrua, vlcera, vuula & prociden tia ani.

conditámue professus. Canum morsibus addito sale opitulatur: oleo incocta, sudorẽ elicit: cum conchulis, aluũ ciet: cum ptisana pectus purgat: cum thymo aut pulegio tardantibus menstruis imperat, & cum sale vlcera quæ serpunt, continet. Sed illa mordax eius vredo, vuulas in ore cohibet, ac procidentes vuluas, infantiumq́ꝫ sedes tactu resilire cogit, & Venerem in quadrupedibus excitat. Quod pinguis poëta, volebam dicere Macer, herbularius nobis passim nũcupatus, non omisit, nec ignorauit.

Vrticæ folijs (inquit) reuocatur vulua fricata.
Si quadrupes quæcunqꝫ marem perferre recusat,
Vrticæ folijs illius vulua fricetur:
Sic naturalem calor excitat ille calorem.

Lethargus, gangræna, carcinoma, vlcera, suppuratio, tubercula luxata, parotis, menses, lien, & alu⁹.

Non desunt qui affirmẽt lethargicos experrectos fuisse tactis eorum cruribus vrtica mordaci, & magis fronte. Dioscorides scribit, Galeno astipulante, quòd folia vrticæ gangręnas emendãt: necnon carcinomata quæ cacoëthe vocantur: adhæc parotidas, sordida vlcera, suppuratiões, tubercula, ac luxata reparãt. Folia cum pauca myrrha trita & admota, menses efficaciter mouent, et cum cerato, lieni admodum prosunt. Ventrem in iusculo sumpta, velut titillando & abstergendo, clementer irritant. Syluestris, quam Græci ἀγρίαν, Galli *Griecham* nuncupant, ex vino pota, lepras in facie tollit, quod etiam nonnulli vrticę mordaci ascribunt: cuius succus cessantem vrinã ciere, & calculos frangere, vuulamq́ꝫ inflammatione turgentem reprimere fertur. Sunt qui radice, infixa corpori extrahãt, addito salis momento: & folijs cum axungia strumas discutiãt:

Lepra, vrina, calculus, vuula aculei, strumæ, arthritis & podagra.

quæ

quæ si suppurauerint, compleri tradunt. Articularijs morbis & podagricis, cum oleo vetere tritam vrticam plurimi apponunt. In quam rem etiam radix cum aceto tusa, censetur admodum vtilis esse.

Illius semen colicis cum melle medetur:
Et tussim veterem curat, si sæpè bibatur:
Frigus pulmonis pellit, ventrisq; tumorem:
Cum mulsa bibitum, lotium producit abundè.

Colici, tussis, pulmo, venter, lotium, vomitus, ventriculus, orthopnoici, latus.

Idem semẽ in eadẽ mulsa obolis duobus, hoc est scrupulo vno sumptum, vomitiones à cœna faciles reddit: & in sapa haustum, ventriculi inflationibus succurrit: prodest etiã orthopnoicis cũ melle, nam thoracem expurgat. Lateri præterea medetur cũ semine lini & hyssopo frixũ. Linimẽtum ex foliis vrticæ cõpositum cum oleo & sale, partes corporis tuetur ab atrocissimo frigore & rigore, etiã si febrilis fuerit, inũcta dorsi spina, & pedum plãta, ac manuum carpis. Valet idẽ ad vlcera ex gelu & frigore contracta. Noui multos arcanorum naturæ cõscios, qui vt febrilem cordis æstum compescerẽt ac infrigidarẽt, internum vrticæ succum arterijs illinebant, addito vnguenti populei momento. Sunt qui folia duntaxat trita eam in rem ipsi carpo, necnon temporibus applicent, cum pauco oleo violaceo vel papauerino. Penè omittebam quòd vapor ex decoctione seminis vrticæ naribus exceptus, illarum obstructionem aperit. Quod etiam operatur abrotonũ, in eius historia nobis ad alia festinantibus, negligenter, ne dicam imprudẽter, omissum. Folia vrticæ trita & matrici superposita, emplastri modo, illã si educta fuerit, reducunt. Semen potum

Febrile frigus, vlcera ex gelu, & ardor febrilis.

Nares, matrix, vterus, menstrua, & empyci.

cum ſapa, ſtrangulationes vteri aperit, & ſuccus foliorum cum myrrhæ momento, menſes potenter euocat. Cæterùm tacendum non eſt, quòd ſi quis empyicus ſcrupulum vnum ſeminis vrticæ in pollinem redactum, cum ſyrupo pectorali, quaſi lambendo paulatim deglutiuerit, tenacem humorem facili conatu expectorabit, & ſummũ præſidiũ hinc explorabit. De nõ mordẽte vrtica, quæ ob id mortua dici ſolet, tradũt multi quòd vires præclaras habeat ad ſtrumas, carcinomata, & gangrænas. Tradunt inſuper de ſylueſtri (quæ ſemine eſt lini) quod plurimum ſemine eo valet ad gluten pituitoſum incidendum & extergendum, cùm opinionem aſthmatis & orthopnœæ veræ facit: non tantùm enim præparat viſcidum farctum, ſed etiam delectu ducit clementius, cartami ſeminis ritu & doſi. Hoc ſit poſtremum, etſi parum medicum: Vrticæ radices carnibus coniunctæ, eas celeriùs coqui impellũt, & nymphęæ radix piſis incocta, illa omnia ad vnũ, veluti extrudente olla, foras eiaculatur. Facili experimento res innoteſcet, mihi nondum explorata.

Plantago, & medica eius auxilia.
AREA V.

SEquitur Plantago nullis hortis non obuia, cuius laudes abundè complexus eſt Themiſon medicus, Plinio autore. Si quis eius folia in aqua mulſa macerata, vel contuſa et expreſſa, horis duabus ante acceſsionem ad drachmas duas biberit, tertianas leuiores ac breuiores reddet. Quod etiam præſtabit ſuccus radicis madefactę, vel tuſæ: aut radix ipſa macerata in aqua ferro candenti excalfacta. Quidam ternas radices in

tribus

tribus aquę cyathis, vel vt habet Dioscor. vini, et pari aquæ modo, potādas dedêre tertianarijs, & quaternas quaternarijs, totidem aquæ & vini modulis temperatas. Folia podagras refrigerāt, conueniuntq́ in primo calidarum impetu. Succus, oris vlcera collutione emendat: necnon folium admotum, aut radix commansa, etiam si rheumatismo laboret os. Datur plantago cibum non sentientibus, hoc est ijs qui non nutriuntur (quos Græci ἀτρόφους vocant) interpositis diebus: ex quo phthisim sanare traditur in vino cocta & pota. Comitiales ac suspiriosos iuuat, & strumis cum sale auxiliatur. Eadem curantur ambusta cum oui albumine, ita vt cicatrix oculos fallat. Sanguinem claudit ex vbere (seu vlcere) fluētem, & carbunculos tusa rumpit. Ex aceto & sale cocta dysentericis ac cœliacis salubriter exhibetur: vel succus eiusdem cum alica, vel oryza: qui etiam subter inijci potest. Cum creta cimolia & cerussa, igni sacro medetur, etiam si medium hominem ambierit, qui Zoster vocatur, & si cinxerit, enecat. Sanguinis execrationes vel (vt quidā legunt) excretiones, tam ore, quàm aluo & vtero factas, tritum semen in vino austero (si febris absit) efficaciter sistit, necnon & foliorum succus haustus vel iniectus: qui etiā fistulis inditus, præsenti auxilio esse solet. Coquitur cum lenticula plātago, eodem quo beta more, aduersus hydropisim: & si corpori vitium id adhæserit, cui Leucophlegmatiæ nomē est, elixa opportunè datur, modò panem siccū priùs comederint laborātes, vt media cibis illa interueniat. Luxatis tusa folia dolores ac tumores tollunt, andito sale modico. Crassa vlcerum labra purgant, ac nomas sistunt,

Febris, podagra, oris vlcera, atrophia, & phthisis.

Epilepsia, asthma, strumæ, ambusta, sanguis, carbūculus, dysenterici, & cœliaci.

Ignis sacer, sanguis, fistula, & hydrops.

Luxata, vlcera, nomæ.

medenturq́ꝫ omnium generum vlceribus & peculiariter fœminarum, ſenum ac infantium: ſed igne emollita meliora ſunt. In quem vſum prodeſt etiam ſuccus cum cerato: qui in vteri ſtrangulatu per ſe vtiliter bibitur, ac aurium doloribus appoſitè inſtillatur, & lippitudini, necnon ophthalmijs in collyrió ꝑpulchrè additur. Prodeſt etiam collutione gingiuis ſanguine prægnantibus: & in vellere ſubditus locoſas mulieres ſtrangulatu liberat, vuluarúmque fluxiones ſiſtit, etiam ſi fuerint ſanguineæ. Radix commanſa, aut maſticata, dentium dolores ſedat, perinde atqꝫ decoctionis eiuſdem ablutio: quæ etiam ad vlcera veſicæ, & renum vitia, cum folijs in paſſo efficaciter præbetur. Tradunt nonnulli, quòd ſi quis radicem licio alligatam, è collo ſuſpenderit, ſtrumas diſcutiet, ac creſcere prohibebit. Redeo ad folia, quæ vlcera vetera & inæqualia, ſi apponantur, perſanant, & ad planum reducunt: adhæc ſinus glutinant, & morſibus canum ritè medentur: & ex lana, peſſi modo indita, vteros purgant. Semen tuſum, & in vlcus, aut vulnus ſparſum, citò illud curabit. Et ſuccus cum mulſa exhibitus duabus horis ante acceſsionē quartanæ, illam emendat, & repetitione facta tandem abolet: ſicuti à multis obſeruatum intellexi. Folia minoris plantaginis cum ſale trita, & cataplaſmatis modo impoſita, tumorem & dolorem neruorum in arthritide ſenſim demulcent. Emplaſtrum quoque ex eius ſucco, ac albumine ouorum & bolo Armeniæ fronti impactum, fluorem ſanguinis è naribus compeſcit: & ſuccus hauſtus vel vtero iniectus, motum mēſtruorum continet.

Vterus, aures, gingiuę matrix, lippitudo, ophthalmia, fluxio vuluæ.

Dentes, veſica, renes, ſtrumę, vlcera, ſinus, canū morſus, & vterus.

Vlcus, vulnus, quartana, arthritis, ſanguis, & menſtrua.

Ille idem ſuccus rectè ſanare videtur
Quod iuxta nares vel lumina naſcitur vlcus,
Si ſuperaddatur cum lanis mollibus illi:
Perq́; nouem cataplaſma dies hocce renouetur:
Si via longa pedum mouet, vt fit ſæpè, dolorem,
Acri cum vino ſuperaddita trita iuuabit.

Vlcera oculorum, dolor pedũ, & elephantiaſis.

Vis foliorum in refrigerando, abſtergẽdo, & ſiccando mira eſt, vt teſtantur Dioſcorides & Galenus: ideo ad vlcera quæ cacoëthe vocantur & elephantias, fœlici ſucceſſu illinuntur: conueniuntq́; ad ea quæ humore madẽt, & ob ſordes ſcaturientes facilè purgari nequeunt. Non poſſum hîc tacere nec diſsimulare, quod plãtaginis vires ſanè quàm eximias ſæpenumerò experti ſumus in lue peſtifera, quibuſcunq; adminiſtraretur modis: prætereà vermes in vlceribus exortos plantaginis arefactæ reſperſo puluere interfici certo experimento nobis conſtat. Alia eam in rem auxilia certa & probata leges in noſtris naturæ Arcanis, & memorabilium Centurijs, Chiliadem propediem explentibus.

Peſtis, & vermes vlcerũ.

Artemiſia, & Tanacetum ſeu Athanaſia, cum medicis vtriuſq; auxilijs. AR. VI.

VIdimus in pleriſque hortis diuitum matronarum Artemiſiam curiosè plantari & diligẽter excoli, ob præclaras vtilitates, quas (vt mox oſtendemus) illis adferre ſolet. Quæ res me mouit, vt de medicis eius auxilijs pauca hic adſuerem. Duplex apud nos viſitur artemiſia. Vna abſinthij modo fruticat, et folijs maioribus ex nigro vireſcit, ***Armoiſa*** vocata. Altera, circa aggeres & ri-

Duplex Artemiſia, & eius nomenclatura.

& riuos naſcitur, necnon in frumentaceis agris, folijs minoribus veſtita, quam Gallicum vulgus *herbam S. Ioannis* nominat. Vtraq; Dioſcoridi & Galeno, excalfaciendi, reſiccandi & extenuandi vires habet, adijciturq; vtiliter ad muliebres deſeſſus, vt educãtur menſes, partus & ſecũdæ. Vuluæ cõſtructiones laxat, & inflãmationes eius mitigat, calculos frãgens ac vrinas mouens. Ad euocandos mẽſes qui fuerint remorati, efficaciter pubi apponũtur calẽtes artemiſiæ faſciculi: ad quos etiã coma eiuſdem trium drachmarum pondere vtiliter propinatur. Folia minoris diligẽter trita cum oleo amararũ amygdalarum, & ſtomacho adhibita, illius vexationem ſedãt: & ſuccus cum roſaceo, neruorum dolores finit. Vtraq; ex oleo irino tuſa cũ fico & myrrha, vuluis optimè medetur, eaſq; repurgat intromiſſa, vel appoſita. Succus cum oleo violaceo concretus & ſpinæ inunctus, febriles infantium calores emendat.

Menſes, partus, ſecũdæ, vuluæ, calculi, & vrinæ.

Stomachus, nerui, vulua, ſtrumæ, partus, menſes, ſecundæ, calculus, ſtranguria, vterus & partus.

Hanc adipi iunctam ſtrumis apponere laudat
Plinius, atq; iubet cum vino ſumere tritam.

Radix pota mulieres in tãtùm purgat, vt partus etiam enectos extrahat. Folia cocta & imo vẽtri cũ farina hordeacea admota, menſes ac ſecundas extrahunt: & ſi mulieris in partu laborãtis vmbilico et femoribus decocta et calentia apponãtur, miraculo quodam fœtum educunt. Dantur decoctiones eorundem in vino dulci contra calculos & ſtrãguriam Artemiſiam ſecum habentibus negant nocere mala medicamenta, ac beſtiam vllam, imò ne ſolem quidẽ. Et qui eam tulerit viator alligatã, dicitur laſsitudinẽ nullo modo ſentire. Quod pulchrum eſt ac valde notandum, hîc omit-

Laſsitudo.

omittebam. Artemisia inter digitos trita, vel aliter contusa, & in pudendum mulieris, pessi modo, detrusa, plurimũ confert resiccandæ et detergendæ matrici, quę nimium humida fuerit & lubrica. Eadẽ, vt diximus, cocta & imo ventri, necnon seminibus admota, fœtum ac secũdas accersit: sed hinc illico est auferenda, alioquin vterum vnà etiam euocabit. Si succum artemisiæ cum aliquot ouorũ luteis coctis triueris, addita axungia & cumino, eaq; omnia vtero superposueris, dolores qui partum sequuntur demulcebis.

Matrix, secundæ, & partus dolores.

Non desunt qui contendant Tanacetum seu Athanasiam tertium esse genus artemisiæ, & ijsdẽ pollere viribus. Quod à multis pręclaris medicis negatum video, censentibus tanacetum potiùs esse parthenium masculinum. Cuius facultates receptæ ac probatæ sunt, vt vẽtriculi & alui flatus discutiat, ac lumbricos ex ventre pellat. Vtuntur etiam plerique præstanti admodum remedio ad comminuendos renum calculos & ciendam vrinam. Sed vt viris magis cõmendatur tanacetum, ita mulieribus artemisia λεπτόφυλλος, aut matricaria: sic dicta quòd matricis dolores sanet. Vulgus Parisiense *Esspargoutte* vocat, à guttis spargendis: quòd eius folia trita & ori ac auribus admota in dolore dentium, guttas pituitæ spargant & saliuam tenuando eliciant.

Vẽtriculus, aluus, lũbrici, calculus, & vrina.

Chelidonium, & medica eius auxilia.
AREA VII.

CHelidonium maius (nam de eo potissimũ hîc agimùs) in parietinis hortorum multorum, & opacis nascens locis, à Gallis *Eclera* vulgò appellari solet: quòd caligantibus oculis aciẽ

Chelidoniũ hirũdinaria herba, & vnde id factũ.

videndi reparet. Ab hirundinibus, quæ Græcis χελιδόνες vocantur, nomenclaturã est adeptum. Nã Theophrasto autore, illarũ aduentu suum excitat florem, ac virescit: discessu verò, marcescit. Alij, vt Arist. & Plin. contendunt, plantã hanc ab hirundinibus inuentam fuisse: quòd oculis pullorum suorum, qui cæci nascuntur, illius auspicijs visio accersatur: & si in nido puncti fuerint, etiã restituatur. Nam si quis nuper in lucẽ editarum hirundinum oculos configat, tacti ea herba à matre, rursum incolumes reddũtur. In quã sententiã nonnullos venisse, autor est Dioscorides. Sed cõmentitium id esse putat Cornel. Celsus, tradens huiusmodi auicularũ acies extrinsecus læsas, interposito tẽpore in pristinum statũ sensim redire. Vnde, inquit, locus fabulæ datus est, ꝑ parentes id restitui herbâ, quod per se sanescit. Hinc nimirum, collectũ est hirundinum sanguinẽ, nostris quoq; oculis ab externo ictu mederi, non secus, quàm palumbium & columbarum, si hirundineo caruerimus. Floribus chelidonij succus exprimitur, & in vase mũdo, cum melle optimo, feruenti cinere leniter decoquitur, singulari remedio contra oculorum caliginem. Radix cum aniso & vino albo pota, regio morbo & iecoris obstructionibus medetur, ac vlceribus quæ serpunt, vtiliter imponitur: necnon ijs quæ inueterata sunt & in fistulam abierunt. Quod Q. Serenus hunc in modum confirmat,

Remedia ad oculorum ictus.

Caligo, icterus, obstructio, iecur & vlcera.

Fistula, vlc⁹.

At si iam veteri succedit fistula morbo,
Herba chelidoniæ fertur cum melle mederi.

Hîc non tacebo, quod multis pro ditissimo habetur secreto, nimirũ chelidonij maioris herbã

sub

ſub nuda pedis plāta delatam ictericos vt fertur ſanare, ſi dies & noctes ibidem geſtetur, & ſubinde renouetur. Addunt eandē mammis mulierum admotam, menſium abundantiam ſiſtere. Adhęc vna cum radice tuſam, & oleo chamæmelino feruefactam, ventris tormina & vteri dolores tollere: & totius plantæ puluerem, vulnera, vlceraq́; ſanare. Cadunt quoque verrucæ & areſcunt, ſi frequenter chelidonij ſucco inungantur. Qui plura volet, conſulat Chiliadem noſtram memorabilium. Menſes nimios mammis admota efficaciter ſiſtit: & vlcera adeò ſiccat, vt pro ſpodio vtātur multi: imponitur etiam ijſdem deſperatis, cū axungia. Galenus tradit calidæ & admodum extergentis eſſe facultatis, eiusq́; ſuccum ad viſum exacuendum commodum eſſe: maximè his quibus craſſum quiddam in pupilla colligitur, digeſtione atque diſcuſſione indigens. Volunt pleriq́; quòd rarior intus eſſe debet illius vſus, commodior foris ad impetigines & pſoras puerorum, necnon metallorum chymicas medicationes.

Menſes, oculi, viſus, & vlcera.

Mercurialis, & medica eius auxilia.
AR. VIII.

PLanta hæc Gallicis hortis Latinam retinet nomenclaturam: & in marem ac fœminam diſtinguitur. Hæc candidiora, ille nigriora habet folia. Mirum eſt quod de vtroque genere proditur marem ſcilicet facere vt mares gignantur, fœminam verò, fœminæ: ſed id contingere, ſi à conceptu ſuccus ſtatim bibatur in paſſo, edanturque folia ex oleo & ſale decocta, vel cruda ex aceto. Plinio in ea re aſtipulatur Dioſcorides: niſi quòd à purgatione ſuccum iam dictum bibendum eſſe,

Secretū pro marium & fœminarum generatione.

 & tri-

& trita folia genitalibus locis adhibēda testatur. Experientia addidit oportere altero à purgatione die dare mulieribus per triduū, & quarto die, à balneo, cum illis coire. Q. Serenus medicus & poëta æquè priscus ac doctus, eam in rem, de cōceptione & partu scribens, elegantissimis versibus aliquot ita lusit,

Q. Sereni versus pulcherrimi.

Irrita coniugij sterilis si munera languent:
Et sobolis spes est multos iam vana per annos,
Mercurialis item capitur communiter herba:
Sic cubitum noctu coniux festinat vterq;.

Conceptus, menses, secūdæ, surditas, stranguria & aluus.

Hippocrates, Plinio autore, vtramque mercurialem miris laudibus in mulierum vsu prædicauit: adhibuitq; cum melle, vel rosaceo, aut irino, vel liliaceo oleo ad conceptus, & ciendos menses, educendasque secundas. Quod etiam potu, aut fotu, pręstari dixit. Succum insuper surdis auribus instillauit, & cum vino vetere inunxit, & folia cum recenti axungia decocta, vesicæ ad stranguriam imposuit. Ventri exonerando, vel in febri, quantum manus capit, in duobus sextarijs aquæ ad dimidias coquitur. Vel cum melle, admixto sale, succus bibitur: aut in gallinaceo iusculo (quod salubrius est) cum malua decoquitur. Dioscor. eandem soluendo ventri in olere coquit: traditq; epoto iure, bilem ac aquas detrahi. Malis quæ serpunt medetur succus ex aceto. Semen vtriusq;, potioni insparsum, vel cum absinthio, aut cicere decoctum, regium expugnat morbum: & folia illita, vel succus, omnium generum verrucas tollunt, ac thoracem purgant, sed stomachum lædunt. Galenus testatur mercuriali omnes vti duntaxat ad alui solutionem & purgationes. Si quis autem in cataplasmate periculum facere voler,

Bilis, aquæ, vlcera, icterus, verrucæ, thorax.

et, digerentis facultatis esse experietur. L. Apuleius Platonicus mercurialis tritũ semen ex passo ad ventris duritias exhibet, & ad epiphoras oculorumque lachrymas folia ex vino albo vetere apponit. Prætereà, ad aquam, quæ in aures introierit, succum tepefactum exstillat.

Venter, epiphora, aures oculi.

Parietaria, & medica eius auxilia.
AR. IX.

A Parietibus nomẽ habet Parietaria, in quibus nasci, ac gigni, maximè solet: quanquã in sepibus ac vineis nasci etiam constat. Helxine dicitur, quòd lappaceis capitulis suis & echinatis sphærulis, vestes tenaci asperitate, hærendo, trahat ac retineat. Vocatur & Perdicium, quoniã perdices ea præcipuè vescuntur, & sese libenter in illa volutant. Adhæc vrceolaris & vitreola, quod detergendis vrceis, & vitreis vasis admodum apta sit. Turtures, columbæ & gallinacei illa pasti, annuum fastidium deducere tradũtur. Podagris cum caprino aut hircino seuo efficaciter apponitur, & contra rupturas, lapsus, præcipitia, aut vehiculorum euersiones, diuinitùs opitulatur. Sanat ignes sacros, collectionesq; omnes, & adusta. Succus cum cerussa panos discutit, necnon abscessus & incipientia guttura. Cum recẽti butyro vel gallinaceo adipe frixa, & ventri, cataplasmatis modo, calens imposita, ac subinde mutata, colicum cruciatum clementer sedat: perinde atq; nephritidem & sæuas ex calculo tyrannides, si succus illius vino albo exceptus, & recenti oleo amygdalarum dulcium remistus & transuasatus opportunè hauriatur. Tonsillas & varices cum rosaceo curat. Folia, vt scribit Dioscorides, vim habent

Parietaria nomina, & eorundem ratio,

Podagra, ruptura, lapsus præcipitia, ignis, sacer, panus, abscessus, guttur, colicus, affectus, calculꝰ, nephritis.

Tonsillæ, varices, ignis sacer, condylomata.

habent ſpiſſandi & refrigerandi : quare illitu ſa-cros ignes, vt diximus, ſanant, & condylomata ac vlcera quæ ſerpunt, emendant. Inflammationibus gargareonis tam herba, quàm ſuccus illitus vel gargarizatus multùm prodeſt, auriumque phlegmonoſos dolores cum roſaceo infuſus leuat, & quandoque finit. Vis etiam ei ineſt abſtergendi, vt in vitreis vaſis experimento docetur: adhæc conſtringendi, comite humiditate ſubfrigida. Quamobrem phlegmonas omnes in initio & augmento ſanat, vſque ad ſtatum. Luc. Apuleius aduerſus podagram in aqua decoquit, & ea partes affectas fouet, herbamq; ipſam cum axungia tuſam, cataplaſmatis modo, imponit, & linteolo veſtit. Cæterùm certo & probato quorundam experimento didici, viridem parietariam cum pane, & oleo liliaceo, roſaceo, vel chamæmelino tritam & excalfactam muliebrium vberum apoſtemata valde iuuare.

Vlcera, gargareo, & aures.

Phlegmone & podagra.

Mammarum apoſtemata.

Malua ac Althea, & medica earum auxilia. AR. X.

HIc de vtraque malua, ſylueſtri nimirum & hortenſi, medica & fuſa agemus methodo: quòd vtriuſque vſus tam frequens vbique ſit, quàm planta ipſa paſſim eſt obuia. Olim ſatiua erat & altilis, cedebatque in locum oleris, ac famem explebat, & ventrem molliebat, vnde illi Gręcum nomen μαλάχη, & malua Latinū. Quod feſtiuè Poeta teſtatur, ita canens,

Malua olim ſatiua.

Exoneraturas ventrem mihi villica maluas
Attulit. Et alter Poeta, (vt in lactuca à nobis initio adnotatum fuit.)

Vtere lactucis, vel mollibus vtere maluis:
Nam faciem durum, Phœbe, cacantis habes.

Sanè prodigiosum naturæ miraculum est, quòd herbæ huius folium, nedum flos (quemadmodũ scripsit Theophrastus) nubilo die Solem, etiam delitescentem, prodat: sitque curriculi illius velut iudex de statu & conuersione: ex quo inter herbas heliotropas meritò accensetur, sicuti nos haud ita pridem admonuimus in nostris naturæ Arcanis, & alibi. Damageron inter Græcos medicos & geoponicos sanè quam celebris, posteritati notum esse voluit, succum maluæ exasperatas fauces lenire, & summæ cutis acrimonias emendare: adhæc lacessitis renibus opitulari, ac irritamentis vesicæ summam adferre commoditatem. Feruefactæ cibus per se, irraucescentem vocem expedit, & ex oleo atque garo ventrem resoluit. Hic omittendum, & silentio obuoluendũ nequaquam duxi, quod à Petro Pena in suo stirpium libro adnotatum reperi: Medici, inquit, & exercitatiores Pharmacopœi Veneti, è muccagine radicis altheæ, ad tenues in pulmones defluxiones, offulas, morsellos vocatos, duriusculos ex saccharo coquunt, vsque mouendo, ne vrantur: nec enim cuiusuis est, propter lentorem, bene parare. Folia altheæ aut maluæ cum fronde saligna trita, pretiosum faciunt emplastrum quod inflãmationes enasci vel augeri prohibet, manantemque sanguinem sistit. Eadem cum cepis, vel porris tusa, serpentium ictus, impositu sanant. Succus auribus instillatus, dolorem earum compescit, & ex melle potus, hepaticis medetur. Idem comitiales recreat, & calculosis ac ischiadicis p̃senti est auxilio. Si quis syluestris maluæ succo perunctus

Malua, solaris herba.

Fauces, cutis vitia, renes, vesica, raucedo, venter, vulnus, luxata & fracta.

Inflãmatio, sanguis, serpens, aures, hepar, epilepsia, calculus & ischias

unctus

unctus erit cum oleo, vel plantam ipsam secum habebit, à vespis non pungetur. Quòd si recenter punctus fuerit, etiam infixo aculeo, idem opitulabitur succus, aut oleum simplex. Ius elixę & feruefactæ epotum, vrinæ finit tormina, & difficiles laboriososq; partus soluit. Radice eius quæ vnũ habet caulem, dolentes dentes pungere, vtile esse docuit experimentum: necnon parturientes celeriùs eniti, substratis, maluæ folijs: sed protinus à partu remouenda sunt, ne vulua sequatur. In quã rem etiam prodest succus ex vino ieiunis exhibitus. Tradidêre nonnulli fœminas purgari folijs plenæ manus mensura, in oleo & vino sumptis. Eadem strumas, parotides & panos, addita hominis saliua, curant citra vulnus. Sunt qui adalligẽt tritum semen brachio genituram non continentium. Quod vnum Xenocrates etiã tradidit (modò sit vnicaulis maluæ) adspersum genitali fœminarum, venereas auiditates mirũ in modum augere. Quanquam Olympias Thebana abortiuas esse dixit maluas cum adipe anserino in modum pessi vuluis inditas: quod tacuisse fortassis præstitisset. Dioscorides esculentiorem esse ait hortensem quàm agrestem, sed stomacho noxiam: quę, sicuti cauliculis suis ventri ac interraneis facilis esse probatur, ita vesicæ admodum idonia censetur. Semen cum vino, aqua & pauco aceto coctum, valde prodest contra ictus & morsus venenatorum, partim bibitum, partim loco affecto admotum: & cruda folia cum rosaceo trita, ambustis summè auxiliantur, quemadmodum etiam aqua decoctionis illorum. Eadem cum pane ad vulnerum impetus, commodè apponuntur. Et succus per se haustus, vel cum oleo liliaceo infusus,

Vesparum ictus auxilia

Vrina, partus, dentes, parturientes menstrua, strumæ, patotides, pani & gonorrhœa.

Venus, abortus, venter, vesica, venati ictus, ambusta vulnera, vulua, matrix, fœtus.

fuſus, vuluas emollit. Addam quod fotus decoctionis maluæ, vel altheæ, ſeu ibiſci duritiem matricis tollit, & eius oſtiolum aperit. Nonnulli affirmant radicem geſtatam fœtum continere, ſi vterum attingat: quod plerique etiam parietariæ aſcribunt. Sunt qui contra mammillarum tumores illam cum roſaceo terunt, & ſubcalidam apponunt. Aduerſus omnes aculeatos ictus, vires, vt diximus, habet admodum efficaces, præcipuè apum, veſparum, & ſimilium. Si in vrina putreſcat, manantia in capite vlcera ſanat: adhæc lichenas, & oris paruulorum vlcuſcula, cum melle. Q. Serenus decocto radicis videtur tradere vim miram aduerſus capitis ſcammulas & furfures, de ea elegantiſſimis verſibus ad hunc ſcribens modum.

Māma, venenata, vlcera, lichenes, vlcuſcula, porrigo, ignis ſacer, ambuſta teineſmus & dyſenteria.

Dum caput immenſa pexum porrigine ninget,
Hanc poterit maluæ radix decocta leuare.

Folia ex roſaceo attrita & elixata, ſacris ignibus, ac ambuſtis efficaciter illinuntur: Et ſemen ex vino nigro potum, à pituita ac nauſeis liberat, ſalubriterque teineſmo & dyſenterijs infunditur, aut bibitur: necnon etiam aſthmaticis & melancholicis. Quibus tamen, vt etiam inſanientibus & calculoſis, vel inflatione & opiſtotono laborantibus, multò ſalubrior eſſe ſolet ſuccus tam exhibitus, quàm illitus. Radix eius quę vnicaulis eſt, mammarum vitijs occurrit, in nigro vellere alligata: & ex lacte, ſorbitionis modo ſumpta, tuſſim paucis diebus emendat. Iuſculum totius plantæ cum ſua radice, contra omnia venenata plurimùm valet, ſi potum identidem vomatur. Hippocrates adnotāte Plinio, vulneratis, & ſanguinis defectu ſitientibus, coctæ radicis ſuccū

Pituita, nauſea, aſthma, melancholia inſania, calculus, inflatio, opiſtotonus & māmæ

Tuſſis, venenata, vulnera.

ſum-

summa efficacia bibendum dedit: vulneribusq; radicem cum melle & resina salubriter imposuit, necnon luxatis, contusis, tumentibusq; musculis, & neruis, atque articulis affectis. Sed mirum est aquam addensari & lactescere, in qua trita maluę radix, horas aliquot sub dio emaduit: quam ad multa vtilem esse nouimus, ac eò efficaciorem, quò recentior fuerit: nec ignoramus Theophrastum id altheæ, seu ibisco, ascribere, potiùs quam maluæ.

Luxata, cõtusa, musculi, nerui & articuli.

Aqua maluæ lactea.

Lathyris, seu Cataputia minor: adhęc Ricinus, vel Cataputia maior, aut Palma Christi, cum medicis vtriusque auxilijs.

AREA. XI.

Restant in hoc hortensium herbarum medico theatro plantæ duæ, Lathyris & Ricinus, nobis solita methodo describendæ. Has sanè vel præterire, vel dissimulare animus erat, propter abutentium incommoda, nisi me ab ea sententia reuocassent improbæ, proborum aliquot amicorum, preces, quibus nihil improbius in rectis consilijs esse potest. Cuperem, ita me Deus amet, frutices istos admodum suspectos, ex omnibus hortis radicitus euelli, potiùs quàm coli, & à consortio florum ac olerum penitus excludi nec tam curiosè curari. At futurum mihi polliceor, vt hac narratiuncula legitimus plantę vtriusque vsus innotescat. Quando itaque visum est, etiam magnatibus, vt in censu & cœtu suorum hortensium essent, de illis, qua cœptũ est methodo, sincerè hìc scribam, à Lathyride facto gradu primo, quàm Gallicũ vulgus & rura, *Espurgiã* vocant,

Lathyris & Ricinus periculosi frutices.

vocant, quòd ventrem purget ac inaniat: & officinæ, *Cataputiam minorem*, quòd, nisi fallor, in orbiculis, & pilulis, ceu paruis catapotijs semen ferat. Vel, quòd granis eius ad soluendam aluum, & ciendas vomitiones, pro catapotijs & pilulis vtantur non solum populares: sed etiam satis inconsultè, ne dicam temerè, magnates & aulici plerique. Totus frutex copia lactis turget, folia habens amygdalinis proxima: sed ita vt quæ in summis emicant ramulis, minora ijs videantur quæ caulē ambiunt. Gerit pilulas in cacuminibus, triplici cellula ac loculamento distinctas. In quarū ventriculis, aut si mauis, vtriculis, grana septem vel octo, continentur, intercursantibus membranis discreta, rotunda, & eruis maiora. Quæ corticibus exuta, candida spectantur, & gustu dulcia: horum viginti ex pura aqua, vel mulsa pota, hydropicos sanāt. Qui vehemētius purgari volunt, ea cum suis folliculis sumunt: sed quia stomachū impensè lędunt, excogitatū est, vt cum iusculo pisorū, aut gallinacei capiantur. Granis septenis vel octonis in catapotio ad vacuandam aluū vti cōcessum est, sed infrænari debent & corrigi cū stomachicis, cynnamomo, mastiche, aniso, vel fœniculo, alioquin ventriculū ac intestina turbabunt. Hæc eadem mandi solent ac deuorari cum sicca ficu, vuis passis, aut palmulis, sed aqua frigida est superbibenda. Trahunt aquam, bilem & pituitā. Folia cū gallinaceo, vel oleribus, aut iusculo alio decoquuntur, ad eosdem effectus. Dantur grana minora xx. maiora verò xv. plùs minùs, pro sumentis ætate & viribus. Qui efficacius purgari volunt, grana, Aëtio autore, debent mandere: qui verò parcius, integra deuorare: præsertim

Nomēclaturæ Lathyridis,

Descriptio Lathyridis.

Legitimus Lathyridis vsus.

Quos humores vacuet Lathyris.

qui ſunt imbecillo ventriculo. Vt vt ſit, cautè, & parcè vtendum moneo.

Ricini nomina, & eorundem ratio.

Ricini fruticem recentiores herbarij *Catapuciã maiorem* vocant, quòd ſemina eius in pilulis maioribus claudantur, quàm in lathyride. vel quòd catapotiorum more purget. Gallicum vulgus, cũ officinis *Palmam Christi* nuncupat, quòd eius folium in effigiem manus & palmæ articuletur. Seritur in pleriſque hortis ad arcendam, vt volunt, effodientium, ac paſſim tumulantium talparum iniuriam. Proſilit inſtar paruæ arboris, folio vitis æmulo, ſed nigriore, ramis cauis, & in arundinis modũ fiſtuloſis, ſemine in aſperis vuis clauſo, & *Kerua* officinis dicto. Quod vnum ſuis corticibus ſpoliatum, ricini animalculi fœdi ac liuidi effigiem tam proximè repræſentat, vt ſi vita adeſſet, planè ricinus eſſe videretur: vnde huic plantæ impoſitum nomen. Plantæ huius triginta grana, vel vt placet Ioã. Meſ. quod verius puto, quindecim ad ſummum, & ſeptem ad minimum, ſuis putaminibus repurgata, bilem & aquas per aluũ ac vomitiones, potu deijciunt. Vrinas etiam mouent, ſed iniucunda, vt loquitur Dioſc. potione: quam ſequitur violenta ſtomachi ſubuerſio. Eadem tuſa & impoſita, varos ac maculas à Sole cõtractas emendant: tritaq́ folia cum polenta, oculorum tumores & epiphoras ſedant, ac turgentiũ mammarum imflammationes coërcent. Cum aceto illita, ſacros ignes reſtinguunt, & per ſe triduo impoſita, faciem purgant. Sed pulchrũ, & ſanè q̃ vtile fuerit hîc audire Ioan. Meſuæ, de Ricini, ſeu grani Regij, vt vocat facultatibus egregiè differẽtem: Ricinus, inquit, pituitam ac interdũ bilem violenter purgat, deiectione & vomitu: materias

Talparum fuga.

Pulchra ricini deſcriptio

Bilis, aquæ, vrinę, vari, oculi, epiphoræ, mammæ, ignis ſacer, & facies.

quo-

quoqùe & serosam aquam à iuncturis trahit. Dãtur grana eius trita & cocta in iure galli antiqui, conferuntq́ dolori colico, & iuncturarum, vt podagræ, chiragræ & ischiadi. Aut coquuntur in aqua casei, vel caprinum lac super ea mulgetur, colatur, & ita hydropicis vtiliter exhibetur. Oleum ab his expressum, cicinum seu ricininum dictum, colico dolori à pituita & flatibus summè confert, adhæc morbis articulorum. Corrigitur ricini noxa, eo modo quo lathyridis, estq́ eius dosis à granis septem ad grana quinque, vt paulò antè scripsimus. Sed iam tempestiuum est, vt hãc hortensium plantarum medicam historiam claudamus, & domesticas arbores, cum suis fructibus, eadem persequamur methodo.

Colicus dolor, podagra ischias, iuncturæ, hydrops & articuli.

HORTI MEDICI CAMPVS SEPTIMVS, POMIFERAS ARbores, *cum suis fructibus, areolis tredecim describens.*

Malus & eius pomum, cum medicis vtriusque auxilijs & facultatibus.

AREA I.

HActenus, quod fœlix, faustumque sit, hortensia & domestica olera, radices item, & odoratas herbas, necnon fœtus herbaceos, ac flores, plantasque inodoras, pro nostræ mineruæ tenui captu, vtcunque expediuimus. Superest, vt simili methodo frugiferas hortorum arbores, vitæ humanæ accommodas, explicemus: & maximè illarum fructus: ab his auspicãdo qui molli tu-

Parasceue ad sequentem narrationẽ.

Pomi & nucis significatio.

li tunica vestiuntur, & à Grammaticis generali nomine *Poma* nuncupantur. Hinc gradum facturi ad eos, qui dum maturuerunt, dura & lignosa veste forinsecus teguntur, & *Nucis* appellatione comprehenduntur: à malis itaque exordimur, quorum arbor tam prædijs rusticis, quàm vrbanis paradisis, aut, si mauis, hortis & viridarijs per quàm familiaris esse solet. Diphilus, Græcus agricola & medicus, tradit mala, quæ nondum maturitatem attigerunt, noxium succum in corporibus gignere, bilemque ac morbos excitare, & horroris causas promouere. Quæ verò maturitatem assecuta sunt, melioris esse succi pollicetur: propterea quòd aluo facile excernuntur, ob minorẽ acerbitatem. Acida improbum humorem gignũt ac magis substringunt. Atque, vt rem diffusam paucis colligam, malis vti debemus sobriè & circumspectè, pro vincentium saporum facultatibus & naturis. Austeris, cùm ventriculus propter calidam intemperiem, vel multam humiditatem imbecillus fuerit: Acerbis, dum hæc multum aucta videbis: Acidis, dum crassum succum, qui nõ magnoperè frigidus sit, in ipso collectum suspicaberis. Siquidem frigidus succus non acidis, sed acribus expugnatur. Quæ in hyemem, ver & æstatem optimè seruata fuerint, ea morbis sæpenumero perquàm vtilia esse solent: modò farina aqua subacta circunlinantur, & clibano coquantur, aut calidis cineribus mediocriter assentur, vel ad aquæ bullientis vaporem tenerescant. Dare autem conueniet statim post cibum: aliquando etiam cum pane, ad ventrem & stomachum roborãdum, his qui cibũ fastidiũt, ac tardè concoquunt quiq; vomitu, diarrhœa ac dysenteria infestãtur.

Mala matura, immatura & acida.

Mala austera acerba & acida.

Mala ægrotãtibus vtilia.

Venter, stomachus, vomitus, diarrhœa, dysenteria & nausea.

In quem vſum apta ſunt acerba: nã parata vt modò dixi, mediocrem agnoſcunt adſtrictionem. Hîc minimè ſuperuacaneum erit admonere ex Plutarcho (licet parum ad medicam noſtram hiſtoriam pertineat) quòd mala tam grauia eſſe ſolent geſtantibus dorſuarijs iumentis, etiam ſi pauca portent, vt oneri, viribus alioquin non impari, ſuccumbant, ac ſudando deficiant: ſolo odore (vt Latinus putat Apuleius) adeò illa offendente, vt animo linquantur. Quod ad mala cydonia, ſummè odorata, referendum potius crediderim: vt vt fuerit, facilis admodum erit experiẽtia cuius. Remedium præſentiſſimũ eſt oblatus panis, quem ſi vorarint, vt ſcribit Plinius, ſeſe protinus recolligũt. Vitabitur id periculi, ſi aliquot priùs conſpicienda aut odorãda illis offeras. Modos varios, & formulas item diuerſas cuſtodiendorũ cuiuſuis generis pomorũ, reperies in noſtris hortorũ Secretis. Illud mihi penè exciderat: Malum dulce odoratũ, ab interioribus ſeminibus mundatum ſi olibano impleatur, & ſuperaddito ſuo operculo ſub cineribus abſq; vſtione coquatur, deinde à pleuritico edatur, rem planè admirandã operatur. quod in deploratis ſemel atque iterum experti ſumus.

Pulchrum, & notandũ.

Mirum auxiliũ pro pleuriticis.

Pyrus & eius fructus, cum medicis auxilijs ac facultatibus vtriuſque.

AR. II.

Qvæ de malis ſcripta ſunt, ſi ad pyra transferantur, nihil nouo ſermone opus erit. Nam in his quoque alia auſtera ſunt, alia acerba, quædam acida, nonnulla dulcia, & multa ex horum miſtione compoſita. Sunt quæ nullam inſi-

Pyrorum differentiæ.

gnem qualitatem præ se ferant: quo fit vt cum aquea ſint & hebetia, nulla roborandi vi polleant. Talis itaque pyrorum vſus erit, qualis malorum, vt præclarè ſcripſit Galenus: qui aquoſam dulcedinem omnibus ferè tribuit pyris cum lenta acerbitate: quod inæquale temperamentum arguit: & ob id à cibo ſumpta conferre ſtomacho tradit: præſumpta verò, aluum ſubſtringere. Sanè pyrorum omnium crudorum vſus, etiam valentibus oneroſus eſſe ſolet, & maximè ieiunis: decocta multò ſalubriora cẽſentur. Sunt qui diuiſa, & granis purgata, Sole ſiccent vel clibano, hiſque per hyemem, & Ichthyophagiam, vino vel calente aqua maceratis & ſaccharo reſperſis iucundè veſcantur. Pyrorum genera omnia adſtringentia, vſum habent accommodum repellentibus cataplaſmatis. Aduerſantur etiam boletis & fungis: nam illos extrudũt pondere, & pugnante prementeque ſucco. Scripſerunt nonnulli quòd pyra iu cubiculo enitentis & parturientis repoſita aut latentia, partum difficilem faciunt, Sed id cotoneis malis, vt mox dicemus, aſcribendum eſſe mihi fidem fecerunt amici aliquot, qui naturæ arcana per rerum experimenta quotidie quærunt & ſcrutantur.

Pyrorũ crudorũ vſus ieiunis oneroſus.

Remediũ aduerſus boletos & fungos.

Cotonea arbor & eius fructus, cum medicis vtriuſque auxilijs. AR. III.

POmi arboris iſtius figura, vt ſuperiorum, ſimpliciter exprimi nequit: quoniam cotoneorum alia inciſuris criſpantur, colore ad aurũ vergente, ex quo Græcis χρυσόμηλα, & Virgilio aurea mala, vt multis placet, dicta ſunt. Alia candidiora videntur & odoris præſtantiſſimi: Alia ſtru-

Cotoneorũ differentiæ.

ſtruthea nuncupantur, ſerotino prouentu maiora, & neſcio quid ſuauius reliquis vibrantia. Habentur prætereà ſylueſtria parua, in ſepibus plurimùm naſcentia. Quotquot ſunt, tenui lanugine omnia pubeſcunt, & fragrãti odore nares exhilarant, ac cerebrum roborant. Plutarchus autor grauiſs. memoriæ prodidit cotonea mala, ſeu cydonia, odoris ſui præſtãtia lethalium venenorum vires retundere, eorumque vehementiã hebetare. Addit, pharicum, præſens alioquin venenum, in patinam adhuc cydonium, vel eius ſalgamum olentem, ignauum fuiſſe ac elanguidum: necnon à peculiari ſua natura viribus exhauſtis defeciſſe: ac ita incolumes & illæſos euaſiſſe omnes, quos inſidiantes venefici eo potionarãt. Idq; tandem compertum fuiſſe illorum relatu qui venenũ vendentes rem ita habere deprehenderunt.

Lethaliũ venenorũ auxilium, cũ pulchra hiſtoria

Cœliacis cruda proſunt cotonea & cocta: necnon dyſentericis, orthopnoicis, cholericis & purulentum excreantibus. Oris gratiam & halitum ſummè commendant. Vnde Solon, vt Plutarchus ſcribit, vxoribus præcipiebat ne irent cum maritis cubitum, niſi cydonium malum priùs deguſtaſſent. Maceratorum humor, ſtomachi atque alui fluxionibus opitulatur. Quæ cruda in melle condiuntur, vrinas proliciunt, & mel eorum naturam induit, adſtringendi & conſpiſſandi vim imbibens. Quæ verò cocta melle condiuntur, ſtomacho vtilia ſunt, & guſtui iucũda: ſed conſtringendi vires deponunt. Cruda in cataplaſmate, aluum ſi fluat retinent, & ventriculum ſi in vomitiones effundatur, vel ardore conflagret, roborãt ac firmant. Simeon Sethi in libro quem de cibarijs ſcripſit, tradit cotonea in ædes

Cœliaci dyſenterici, orthopnoici, cholerici, purulenti & halitus.

Stomachus & aluus.

Vrina, ſtomachus, vomit⁹ partus & parturiens.

parturientis perlata, vel ibi latentia, partum non solùm remorari, sed difficilẽ ac laboriosum reddere. Quibus nihilominus si suæ gestationis tempore crebriùs vsa fuerit, fœtum pariet ingeniosum, vt ille idem admonuit. Quod ad conditu-ram cydoniorum attinet, quam cydoniatum & cydonitem appellant, præstans admodum fiet (vt id etiam obiter adnotemus) si aperta, cotonea, & ab omnibus suis interaneis repurgata, nec non in taleolas diuisa (sed superstite pellicula & cute summa, quæ valde est odorata) in aqua, donec tabuerint, coquantur: postea per linteum colata, ac violenter compressa, excernantur: & cum optimo saccharo recoquantur. Quod dum fit, si adieceris selecti rhabarbari sufficientem puluerẽ habebis incomparabile cydoniatum, non dicam ad ciendam aluum & purgandum corpus valde ideoneum, sed etiam ad roborandum hepar, ventriculum & viscera omnia: longè sanè tutius & salubrius quam ex Lugdunensi illo scammoneato & diagridiato cydonite: quem cane peius & angue vitandum hortor & suadeo his qui suæ valetudinis seduli custodes esse satagunt, ob sæuissima & periculosissima symptomata, quibus vtentes sæpenumerò excruciari & mirè excarnificari vidimus, vitæ nonnunquam irreparabili iactura. Quod monuisse, & meminisse iuuabit. Pulchrum est etiam ac multorum experimentis confirmatum quod sequitur. Diuidatur cydonium, & sublatis interaneis, seminibus nimirum cum suis folliculis, impleantur partium cauitates, puluere optimi rhabarbari haud negligenter triti, vel seminum cartami mundatorum, vel agarici trochiscati aut alterius, vel epithymi, vel

Præstantissima cydoniati cõpositio

Cydoniatũ Lugdunense periculosum

Quomodo paretur & coquatur cydoniũ, aluũ absque molestia vacuans.

vel foliorũ ſennæ orient. vel alius ſimplicis medicamenti purgantis, quale viſum tibi fuerit: deinde vniantur dictæ partes, papyro inuoluãtur, & ligatæ coquantur perfectè vſque ad tabem in clibano, vel foculo. Abſoluta coctione ſoluatur cydonium, aperiatur, & abiectis medicamentis internis, pulpa manducetur. Purgabit abſque vlla noxa & moleſtia (imò verò purgando roborabit) ventriculum, hepar, & corpus vniuerſum, eo (inquam) humore, quem immiſſum & concoctum medicamentum vacuare aptum erit. Quòd ſi diuerſæ naturæ & facultatis medicamenta incluſeris, diuerſos humores vacuabis. Verumenimuerò, ſi maiuſculum erit cydonium, poteris dilatare ſeminum loculamenta ac cellulas, vt capaciores fiant excipiendis idoneis medicamẽtis, quantitate à docto medico tibi præſcribẽda. Sed tutiùs eſt vti minuſculo, ampliata, ſi opus fuerit, cauitate, vt totum manducare poſsis. Quod fiet abſque vllo tædio ac nauſea, ſi expertis credis, qui mihi pro tam iucundo & ſalutari ſecreto gratias immenſas egerunt, quo te quoque participem, gratis facere viſum fuit. Venio ad alias cydoniorum facultates. Si ſuccum aſtringentium cotoneorum cum pari mellis roſacei portione coxeris, & eo tonſillas vel vuulam inflammatam aut oris putrilagines illeueris, illinc ſummũ auxilium experieris. Addò quòd integrorum cotoneorũ decoctio ſalubriter propinatur & infunditur aduerſus tormina & dyſenteriam. Crudorum ſuccus, doloribus mammarum confert: & decoctum florum arboris, fotu prohibet ne vterus decidat, aut fœtum lubricum reddat. Decoctio carnis & pulpæ, ſedes & vuluas prociduas

Pulchra & notatu digniſsima.

Tõſillæ, vuula, oris putredo, tormina & dyſenteria.

Mãmæ, vterus, fœtus ſedes & vulua.

coërcet, ac easdem ab inflammatione liberat. Sed in cydonijs versatum satis.

Prunus ac eius fructus, cum auxilijs & facultatibus vtriusque. AR. IIII.

Prunorum differentiæ variæ.

PRunorum differentiæ apud nos esse solent innumeræ, ac ferè inexplicabiles: sed prima omnium laus Damascenis tribuitur: à Damasco Syriæ monte, vt scribit Galenus, oriundis, & cognominatis, nobísque admodum familiaribus. Secundas partes sibi vendicãt, quæ Prunidactyla vocãtur, à digiti longitudine, vt puto, dicta: ouata ferè specie, & carne admodum suaui. Habẽtur & nucibus insita, quę faciem & succum adoptionis repræsentant, & ab vtroq; parente Nucipruna appellantur. Sed hæc nihil ad medicas illorum facultates & præsidia. Pruna itaque, dulcia præsertim, ex aqua mulsa, aut alia, decocta, si prandium inchoent, ventri molliẽdo ac mouendo sanequàm sunt idonea: modò non illico supra earum assumptionem prãdium sequatur, vel cibus, sed semihorula interponatur. Quę acidula sunt, postrema mensa apponi debent, ad os ventriculi roborãdum. Folia arboris in vino cocta, vuulam, gingiuas et tonsillas fluxione laborãtes, gargarizatu, vel oris collutione iuuant ac reprimunt. Idem præstant syluestrium prunorum resiccatæ baccæ dum maturuerunt. Quæ si in austero vino coquantur, aluum sistunt, ac eius sedant tormina. Gummi trunco prunaceorum & prunorum adnascens, cõglutinat, & in vino potum calculos frangit: lichenásque infantium ex aceto perũctum sanat, vt scribit Dioscorides. Sed tempestiuum est vt Ioan. Mesuæ audiamus, medicè

Prunidactyla & nucipruna.

Aluus quomodo emolliatur.

Vẽtriculus vuula, gingiuæ & tonsillæ.

Aluus, calculi & lichenes.

dicę et argutè de prunorum facultatibus hunc in modum differentem: Pruna aluum subducunt & alterant, sed alba, flaua, rubra, minùs sunt medicamentosa, quàm nigra. Quorum quæ μέσα sunt, hoc est dulcacida, alterant magis. Dulcia largiùs soluunt, tamen vtraq; alterant & soluũt, magis scilicet & minùs. Damascena & Armena, vtrunq;, præter cætera præstant, humida tamen, potiùs quàm sicca: quæ etiam in ventriculo, prõptiùs quàm sicca corrumpuntur. Omnia lauant, leniunt, refrigerant, bilem educunt: & ob duo hæc, biliosis tum febribus, tum morbis alijs sunt salubria: stomacho nocent, ac pauci sunt alimenti. Quia imbeciliter soluunt, eis adduntur, præsertim infusione, casia fistula, manna, tamar Indi, violæ conditæ. Ex horum carnibus coctis fit electarium, in eadem quæ priùs, salubre. Porrò, si truncũ Pruni arboris locis duobus, vel tribus, palmę vnius interuallo, perforaueris, et immisso scammoneo lutaueris, pruna ob id purgantiora euadent. Hactenus Mesues. Hæc sint pro coronide in gratiam ægrotantium. Si pruna passa modicè cocta, & compuncta, in frigidam merseris, tumere ac pulpa multùm turgere videbis. Idem etiam continget absq; coctione, si pasim puncta, biduo aqua frigida maceraueris. Quod & vuæ passæ, & fructus alij etiam agnoscunt. Sed de ijs fusiùs à nobis alibi scribendum propediem.

Quomodo fiant pruna aluum subducentia.

Pulchra & notatu digna.

Cerasus, ac eius fructus, cum auxilijs & facultatibus vtriusque. AR. V.

Speciosissimos hortensium arborum omnium fructus gignit Cerasus: adhæc varios & diuersos: quò fit vt diuersa quoq; sortiantur nomina

mina, quæ hîc explicare non admodum laboro, contentus docere, quòd Francis cerasi nomē fructus ille propriū sibi fecit, qui mediocri arbore nascitur, pomo rotundulo ex breui pediculo dependente, & inter virentia folia dum maturuit, carbunculi modo elegāter rubente: cui caro multa & mollis, necnon succosa inest: solétque vsus eius maximè placere grato acore: vnde morosa ægrotantium palata mirè recreat, & prægnantiū malacijs summè expetitur, antè quàm ad vnguē maturescat. Diphilus Siphnius, arte medica aliquanto tempore post Hippocratem admodum celebris (vixit enim ætate Lysimachi successoris Alexandri) de cerasis hunc in modum scribit. Cerasa bonum succum creant, sed parū alimenti subministrant: stomacho ęstuāti grata sunt, & eidē auxiliātur sumpta in frigida: sed rubētia præstant & Milesia, ꝙ vrinam pellant. hæc ille: cuius æuum ideo ꝓferre volui, vt refellatur error illorum qui cerasa à Cerasunte Pontico municipio dicta cōtendunt: et à Lucullo, deuicto Mithridate, illinc in Italiā primum deportata. Sed redeo ad medica pomi huius auxilia. Quæ dulcia sunt cerasa ventrē emolliunt ac mouent, quē acida vel passa indurant ac continent. Eadē, acida inquam, refrigerant & adstringunt: quò fit vt flauā bilem restinguāt et iecinoris infarctus liberent. Gummi quod de arbore stillat, ex vino diluto sumptum, gutturis asperitates lenit, colorē cutis gratiorem reddit, oculis claritatē adfert, veteri tussi medētur, lichenas infantiū ex aceto curat, et (quod vtiliter experti sunt multi) calculosis ex vino albo summè ꝓdest. Penè omiserā quod memoratu dignum arbitror. Aqua distillationis cerasorū non multò

Fructus cerasi descriptio pulcherrima.

Cerasorum facultates.

Venter, bilis, iecur, guttur, cutis, oculi, tussis, lichenes, & calculus.

Aqua mira pro epilepticis.

multò antè ex arbore decerptorũ, vi ignis mediocris excepta, si in os epileptici infundatur, quoties eũ paroxysmo laborare cõtigerit, inhibetur impetus morbi violẽtissimi. Res preciosa, & sæpenumero ꝓbata à Ioanne Manardo Ferrariensi medico præstãtissimo. Pauca supersunt. Inuenio apud autores, inquit Plinius, ꝙ si quis matutino roscida aliquot cerasa cum suis nucleis deuorarit, ei aluus in tantũ leuatur, vt pedes morbo liberentur. Sunt qui æstuante & cãdenti Sole, vsq; ad rugas siccant. Alij blando & temperato clibani calore idem assequuntur: eoq; modo optimè seruant ad sanorum & ægrotantium vsum.

Aluus & pedes.

Cerasorum custodia nõ spernenda.

Morus ac eius fructus, cum auxilijs & facultatibus vtriusque. AR. VI.

VRbanarum arborum omnium, vt scribit Plin. nouissima floret Morus, serotino germinatu se prodens, nec nisi exacto frigore: vnde arborum sapiẽtissima nuncupatur, licet fatuæ & stolidæ nomen à Græcis, κατ' ἀντίφρασιν adepta sit. Succus foliorũ, aut radicis vtilissimus est gargarizatu contra cynanchem, ac præfocationem. Et folia ex aceto illita, ambustis medẽtur. Si quis autem acceperit mororũ semimaturorum vnciam vnam, & rosarum siccarum tantundem, omniaq; melle miscuerit, modicè coxerit, & expresserit, habebit salutare medicamentũ ad tõsillas & vuã inflammatione tentatã, necnon oris putrilagines ac vitia. Corticis succus vulnera glutinat. Quod ad naturam pomorum istius arboris attinet, quę mora nuncupant, si matura fuerint, aluũ soluunt ac lubricãt: sed in ventriculo statim corrumpuntur. Humectant preterea, ac modicè refrigerant, nisi

Morus vnde dicta.

Cynanche, præfocatio, ambusta, tõsillæ, vuula, oris putredo & vulnera.

Mororum natura.

Aluus.

nisi actu frigida sumantur: quòd si non superueniat alius cibus, facilè intumescũt. Immatura vẽtrem fluentẽ retinent: quæ si Sole vel clibano calente siccata fuerint, & in puluerem trita, non solùm obsonijs iucũda erunt, sed etiam cœliacis, & dysentericis summè proderunt: valebuntq́ adnersus vlcera quæ pascẽdo serpunt. Sunt qui dentes putridos & gingiuas coluant eo puluere ex vino. Folia arboris trita & cum oleo illita, valent ad ambusta, capillúmque tingunt cum folijs vitis nigræ & fici simul coctis in aqua cœlesti. Eadem in vrina madefacta, pilum corijs detrahunt.

Fluor alui, cœliaci, dysenterici, vlcera, dentes, gingiuæ ambusta, capillus, menses & sanguis.

Ramus ex arbore Luna prima defractus, cum incipit turgere fructu, proficit (vt magi existimant, & adnotat Plin.) contra mensium abundantiam, si mulieribus lacerto alligetur: modò ille terram non attigerit, nec in posterum contingat. Subdítque hunc non modò fœmineum sanguinem sistere ex vtero multùm emanãtem, sed etiam ex vulnere, ore, naribus & hæmorrhoidibus. In quam rem multos ramum illum religiosè seruare dicit. Faciet experiẽtia fidem. Multi foliorum & corticis decocto, dẽtium cruciatum collutione efficaciter emendarunt. Hîc Plinianum miraculum de moro nõ tacebo, etsi ad medicum hoc nostrum institutum nihil facere videatur. Morus, inquit, laurus, & hedera mutuo attritu ignẽ facilè concipiunt: quod exploratorum vsus in castris, pastorúmque industria reperit: quoniam ad excutiendum ignem non semper lapidis occasio est, teritur lignum ligno, & arido vomite excipitur scintilla. Sed nihil hedera præstãtiùs quæ teratur lauro, & laurum terat. De moro & moris sint satis ista tibi.

Pulchrũ nisi esset superstitiosum.

Sãguis, vulnus, hæmorrhoides, & dentes.

Miraculum notatu dignum.

Persica arbor, ac eius fructus, cum auxilijs & facultatibus vtriusque. AR. VII.

PErsicorum genera tria apud nos agnoscuntur. Vnum *Præcox* appellatũ & *Antepersicum*, quòd cætera persica longè præueniat: ex quo *Abricocum* Gallis dici cõsueuit, ac si diceres præcocum, olim *Armeniacum* nuncupatum, æstatis initio nobis familiare et esculentum. Alterum est populare cuique notum, & sub finem æstatis maturescens, citiùs, tardiùs, pro cœli & soli natura. Tertium ex re *Duracinum* vocatur, quod carne constet dura: quæ tam pertinaciter ossi adhæret, vt auelli nequeat, vnde *Pressum* vulgus nũcupat, quòd caro, ceu agglutinata ligno interiori, valde apprimatur. In quo etiam genere inueniuntur quæ sanguinea pulpa turgeant, & nucleum, vel si mauis, os internum, vbi diuiduntur medium aperiant: ac veluti farina quadã mollita: saccharatáue vndiq; respersum, vnà cum adhærẽte pulpamento præ se ferant. Cuiusmodi sobolem innumeram, maiore quàm alibi corpore, alit Mõlucianus ager, natale mihi solum, in Borboniorum ducatu & prouincia notissimam. In eodem & superiori genere Persicorum reperiũtur, quæ cotoneorum more, intus & extra summè flauescant. Alia sunt genera olitorio mangonio, & insitionis adulterio prognata, quæ hîc prudens omitto, vt medica tam arboris, quàm pomi eius remedia persequar. Galenus Persicorum genus omne damnasse mihi videtur, ceu praui succi alimẽtum, ob facilem corruptionem. Quod de popularium persicorum genere cum doctis intelligendum esse puto: quo vno, etiã Plinij seculo, ne-

Persicorum genera & nomenclaturæ.

Persicũ duracinũ, pressum, sanguineum & flauum.

Persicis popularibus nihil fugacius.

dum Galeni, nihil fuit fugacius: nam longiſsima decerptis mora erat bidui, & ob id cogebât ſe illico venundari, vt hodie, etiã de multis, fieri ſolet. Hinc nimirum primis menſis ſemper edenda præcepit idẽ Galenus, præſertim quæ carne conſtant humida, & aquoſo pulpamento: nam poſtremis epulis ſumpta, ſtomacho innatare ſolẽt, & quidquid prægustatum fuit, vnà in tabem & corruptionem ſecum deducere. Quę ſi præierint, lubrico meatu viam facilem alijs cibis ſternunt. Innocentiora his cauſis traduntur eſſe præcocia, & quę carne conſtant nullatenus humida, qualia ſunt Pariſienſibus Corbelliana: nam corruptioni facilè non patent, neq; acorem citò contrahũt, & ob id ſtomacho ſuauiter commodant. Vulgus Gallicum ſibi perſuaſit perſica ſuo nucleo noxã expedire, quam eorum pulpa attulerit. Nec temerè, nam incidendi, detergendi & aperiendi facultate ille idem pollet nucleus, qua ex re improbitati pulpæ occurrit. Noxa etiam vino generoſo tollitur, ſiue illud ſuperbibatur, ſiue perſicum in eo madeſcat & innatet. Quod populari & rythmico ſacrificuli cuiuſdã verſu, hunc in modum per menſas iactari ſolet,

Persica Corbelliana.

Quomodo tollatur noxa à perſicis.

Petre, quid eſt peſca? cum vino nobilis eſca.

Nuclei per auram peſtiferã ſumpti, maximoperè proſunt, lumbricos enecant, & obſtructiones tollunt. Qui, quòd ſummè ſint amari, & linguæ parum grati, ſaccharo excipi & condiri à multis ſolent. Cum aceto & oleo triti, capitis doloribus vtiliter illinũtur: ſed quibus, & qua ex cauſa, nõ ſcripſit Plinius: qui plerunq; remedia abſq; limitatione pronunciat, vnde cautè & circunſpectè legendus eſt. Perſici flores aluum deijciunt, tam

Peſtis, lumbrici, obſtructio et caput.

eſu,

esu, quàm iusculo immissi: sed non absq; labore, & ventriculi ac hepatis detrimento. Quod minore noxa pstabit aqua vbi flores illi amarulenti septena commutatione macerati fuerint, modò cum saccharo ad Zulapij consistentiam decocta sit. Nam præterquàm quòd alui excrementa deijcit, etiã vermes vnà extrudit: quos trita folia, & puerorum vmbilicis admota, similiter perdunt. Prætermissum hîc nolim quòd persica locis irriguis nata & educata, dẽtibus, cordi, oculis ac pulmoni valde obesse solẽt: locis aridis, contrà: quẽadmodũ doctè adnotauit Albertus re vera Magnus. Nolim insuper omissum, q qui impleuerit fictile floribus Persicis, & obturato ore pmiserit dies aliquot sub terra macerari, vel in fimo putrescere, exprimet oleũ, quo si inungat pulsus, tẽpora & spinã, ante accessiones febrium putridarũ, certo experimento illas curabit. Quod à Germano quopiam medico ingenuè acceptum fero.

Aluus & corporis lũbrici.

Febres.

Mespilus ac Sorbus, earúmque fructus, & medica auxilia ac facultates. AR. VIII.

DVo poma duarũ arborũ rusticarũ potius quàm vrbanarũ, vna (quod dicunt) fidelia hîc dealbabimus: mespilũ nimirũ & sorbũ. Prior arborum istarum, Mespilus inquam, Gallis nũc *Meslierus*, nũc verò *Neslierus* dici solet. Cuius duo sunt genera. Vnum, quod rarioribus spinis horret, nascitúrque in dumetis, nemoribus & viuis sepibus, quasi syluestre: cui pomũ paruum inest, & per initia tam acerbum, vt vix edendo esse possit, nisi hyemis frigoribus excoctum mollescat. Alterum grãdiore pomo sese profert, ita vt mala magnitudine sua sæpenumerò peræquet, absque

Mespili genera duo.

vllis ſpinis. Quod crebro inſitu et cultu in hortis habitaſſe, & feritatem depoſuiſſe dubium nõ eſt.

Sorborum differentiæ quatuor.

Sorbus, Gallis *Cormierus* vel *Sorbierus* vulgò nũcupatur: poma gerens quatuor differentijs à Plinio diſcreta. Nam quædam rotunditatem mali præ ſe ferunt: altera turbinationem pyri: tertia oualem formam: quartum genus torminale appellant, remedio (vt ſcribit ille) tantùm probabile. Venio ad medica vtriuſq; auxilia. Meſpili immaturum pomum, plerique omnes vſurpare ſolent ad coërcendum alui immodicè ruentis impetum. Non deſunt qui ſiccata arboris folia, & in puluerem redacta, clyſteribus dyſentericorũ magno & fœlici ſucceſſu remiſceant. Eſt ſanè memorabile & miratu dignum, quòd licet meſpilorum caro adſtringentis ſit naturæ (de immaturis loquor) nihilominus puluis eius lapillos in renibus vehemẽter comminuit. Cuius rei periculum efficaciſsimum à ſe factum teſtatur Ant. Muſa, medicus apud Ferrariẽſes doctiſs. & exercitatiſs. Scio non deeſſe qui de oſsiculis idem polliceantur, vt Braſſauolus, et alij qui id certa conſtantiq; probauerunt experientia, quam nos in rem ſæpenumero fœliciter etiam cõtulimus, dato illius cochleari ex vino albo cum puluere aniſi. Sed de ijs plura in noſtra Memorabilium omnis generis Chiliade. Quòd ad ſorborum poma attinet, Galenus eadem facultate pollere ſcribit, atque ſuperiora: cenſétque duobus his parcè vtendum, & non affatim, vt de ficubus ac vuis fieri ſolet. Nam illis, ceu cibis, nequaquam indigemus, quin potiùs vt medicamentis. Dioſcorides diſſecta ſorba priùs quàm matureſcant, Sole deſiccat, ꝓbabili remedio ad aluum retinẽdam, ſi nimiùm flu-

Alui fluor, dyſenteria, & renum lapilli.

Meſpilis & ſorbis vtendũ ceu medicamento.

Remedium aduerſus fluorẽ alui.

xerit, aut lubrica fuerit. Idem vſus eſſe conſueuit farinæ ſiccatorum & pila contuſorum, ſi polentæ modo ſumatur, aut iuſculis & pulticulæ miſceatur, clyſteribúſue immittatur: quod etiã decoctum eorundem immaturorum præſtare adfirmant experti. Memorabile ſanè eſt, & ob id nequaquam prætereundum, quòd ſi quis à cane rabido aliàs morſus, iacuerit ſub ſorbo, periclitatur in rabiẽ rurſus incidere: nam conſopitã excitare creditur arboris huius vmbra. De qua, & ſuperiore, hæc ſatis erũt, propterea ꝙ in Gallicanis hortis multis nondum habitare conſueuerunt.

Notandum.

Rabies.

Citria arbor, eius fructus, & medica vtriuſque auxilia. AR. IX.

IN hac medica pomiferarũ arborum narratione, aliquot nobis ſuperſunt memorabiles explicandæ arbores cum ſuis pomis. Quæ tametſi in ſeptentrionalibus hortis & agris noſtris ęgerrimè naſcantur & foueantur, de his nihilominus hîc ſcribere non detrectabo, vt labor noſter omnibus ex æquo proſit. Citria arbor in his primum obtinebit locum: quæ ſicuti Theophraſto Medica & Perſica, Plinio verò Aſſyria nominatur, ita illius quoque pomum, Medicum, Perſicum & Aſſyrium nuncupari legimus. Quod cum ſua parente, gentes plurimæ ob remedij præſtantiam, olim ad ſe transferre fruſtra ſudarunt. Plinij æuo in Italia nondum vigebat: primuſq́ Neapolitanus Palladius è Medis in Latiũ, cultu vario & multiplici cura ac diligentia tranſtuliſſe & propagauiſſe fertur. Quem poſtea ſolers imitata poſteritas, Hiſpaniæ, & meridionali Galliæ, ceu per manus, paulatim communicauit. Theophraſti

Arboris citri nomenclaturæ.

Quis primꝰ citriam arborẽ in Europa excoluerit.

phrasti ætate pomum istud nequaquã mandebatur, sed ne Plutarchi quidẽ autorũ memoria, vt Athenæus scriptũ reliquit. Parthorum proceres huius grana dũtaxat esculẽtis incoquere solebãt, cõmendandi halitus gratia. Quod pleriq; etiã ad folia detorquent, non minùs odorata quàm pomũ ipsum: ex quo vestiarijs scrinijs vtrunq; peraptè inserebatur: quemadmodum indicãt Homerus & Neuius, vestes ob id, epitheto decẽti citrosas nuncupantes. Sed hæc, qa extra medicum institutum nostrum esse videbũtur, ideo ad citriorum auxilia commodùm transeo. Qui de re medica & rustica scripserunt Aphri, Arabes, Græci et Latini, vno ore prędicãt omnes, citrium pomũ venenis inimicum esse, & hinc antidoti loco illis efficaciter opponi. Quod celebri historia sic Athenæus confirmat. Cùm princeps quidã Aegyptius maleficos nebulones duos cõdemnasset, vt suorum facinorum meritas pœnas luerent, eosq; aspidibus, secundum Aegyptias leges, in prędam exponendos dixisset: ij fortè fortuna citrium in itinere comederunt, dum bestijs futurum pabulum ducerentur: quod caupona quædam, vicem eorum miserata illis obiecerat. Mox dum in theatrum descendissent, & à ferocissimis ac famelicis feris demorsi essent, nihil noxæ senserunt. Quam rẽ Præfectus summè admiratus, à satellitibus pcontari cœpit, num antidotum aliquod prę sumpsissent. Respondentibus citrium, ex integra simplicitate donatum, eos in via tantùm mãducasse, postridie iussit vni præberi, alteri verò denegari, ac denuò in theatrũ trudi ad supplicium. Quo facto, qui comederat, demorsus nihil incommodi passus est: alter illato ictu, vndiq; liuidus factus, confe-

Halitus cõmẽdatio, & vestiũ odoramentum.

Pulcherrima historia probans citrium venenorum esse antidotum.

Miranda vis citriorum.

confeſtim interijt. Quæ res multis poſtea probata, factoq; frequenter periculo, tandē inuentum, confeſſumq; fuit, citrium omni exitiali veneno præſentiſsimum ac præſtantiſsimum eſſe remedium, ſumptumq;, venenatis ictibus reſiſtere, donec concoctum fuerit. Si quis huic hiſtoriæ fidē non habet, veracem fidelemq; Theopompum Chium conſulat: ab eo diſcet Clearchum Heracleotam Ponti tyrannum multos veneno ſuſtuliſſe, pluresq; necare voluiſſe, niſi excellentiſsima citrij vis à populo cognita, venenis reſtitiſſet. Quod nonnulli etiam rutæ adſcribunt, quemadmodum in medica eius narratione diximus. Citria itaq; venenis efficaciter aduerſantur: & maximè illorum ſemen tritum, & ex vino generoſo hauſtum. Eandem rem præſtabit etiam ſuccus, nam per ventrem toxicum excludit: nec omittendum eſt, quod cortex tetrum & fœdum oris halitum emendat. Quam in rem Virgilianum teſtimonium huc proferre πάρεργον fortaſſe non erit.

Venena.

Semen & ſuccus citriorum.

Oris halitus.

Media (inquit) fert triſteis ſuccos, tardumq; ſaporē
Fœlicis mali: quo non præſentius vllum
(Pocula ſi quando ſæuæ infecêre nouercæ,
Miſcueruntq; herbas, & non innoxia verba)
Auxilium venit, ac membris agit atra venena.

Virgil. in Georgicis.

Deinde ſubdit,

- animas & olentia Medi
Ora fouent illo, & ſenibus medicantur anhelis.

Si cruda manduntur citria, non facilè coctioni obediunt, quin & craſſum generant ſuccum: ob id illis melle aut ſaccharo cōditis, veſci ſatiùs eſſe putant medici: quòd ita ventriculum excalfaciant ac roborent. Quam rem nō animaduertens

Quomodo citrijs vtendum & veſcendum.

nec obseruans hæc nostra ætas gulæ nimiùm dedita, ac voluptati plus æquo famulans, cruda citria in cibis parùm prudenter esitanda proferre solet. Vt vt fuerit, aduersus atrã bilẽ & morbos, quos illa longos ac mœstos excitat, egregiè opitulari nouimus. Succus flauã bilem reprimit, & pestis arcet contagia: vnde recentiores medici ad febres pestilentes serapijs è citrio cõcinnatis, fœliciter vtuntur. Semen scorpionũ ictibus tam potum, quàm appositum, mirificè prodest. Si integrum pomum quis in iure vel liquore alio coquat, expressisq; interaneis succum sorbeat, suauissimum sibi conciliabit halitum. Si idem, vt sua fert natura, etiam integrum in aqua rosacea & saccharo tandiu coquatur, donec tabescens in ius resoluatur, immunem ab omni veneno & peste reddet eum qui manè iusculi, vel decocti talis, aut si mauis Electarij, vnum vel alterũ cochleare parúum hauserit. Res in pestilẽtibus contagijs mihi & fidis amicis meis fœlicissimo successu, sæpenumerò experta & ꝓbata. Verũenimuerò, qa Parisiensibus, & vrbibus quamplurimis rara admodũ sunt citria, in eorum locũ limonia, paruo errore, substituere licebit: quæ compitatim pro citrijs, proclamari ac venundari solent.

Melácholici morbi, flaua bilis, pestis, ictus venenati, & halitus.

Antidotus mira contra pestem & venena.

Aurantia arbor & Limonia, earumq; fructus, & medica auxilia. AR. X.

DVo poma ista cum suis arboribus, climati huic nostro septentrionalis Galliæ vsqueadeò sunt infensa, vt nullis blanditijs, nullis officijs & artibus in eo habitare velint: etiam si mitioribus locis hospitia illis designentur, & omni cura sollicitè tractentur: tantus est patriæ & natalium

Aurantia & limonia septentrionibus inuisa.

talium amor. Sed missa longiore præfandi mora, ad rem veniamus, & duo poma, vna (si placet) arcula includamus. Aurantia cùm auri colore pelluceant, meritò nomẽ ab auro accepisse mihi videntur: ex quo aurea mala à Virgilio dicta fuisse, contẽdunt multi: licet id ad cotonea relatum malint pleriq;, sicuti in illorum historia scripsimus. Quod ad Limonia attinet, triplicem assignant illorum differentiam, quam elegantissimis Iouiniani Pontani versibus, ex horto Hesperidũ paucis depromemus. Sic itaq; Limonia distinguit,

-altera fœtu
Exiguo, succos gustu meditantur acerbos:
Altera sunt fructu maiore, & rorida succo
Vberiore: sed oblongo tamen vtraq; ductu.
Tertia prægrandi turgent ouata volemo,
Ac citrij referunt sinuosa ab imagine formam:
Sed gustu ingrato, quemq; ora offensa recusent.

Tres Limoniorm differentiæ.

His positis venio ad facultates et medica vtriusq; auxilia. Aurantiorũ tria obseruãtur genera, dulcia, acida, & ex his mista, vulgò acidodulcia nuncupata. Dulcia omnibus partibus excalfaciunt: aliorum succus refrigerat, magis, minus, librato cuiusq; aciditatis gustu & sapore. Quocirca febricitantibus ad sitim extinguendã optimè exhibentur acida. Cortex omnibus calidus & igneus est: quod gustatu deprehenditur, nam acer est & amarus: hinc contra lucernarum flammulas expressus ab eo succus, ignem facilè concipit: transitq; expeditè in vinum essentiæ suæ tenuitate per vitreum calicem, vel è longinquo iaculatus.

Aurantiorũ genera tria.

Febris & sitis.

Pulchra & notatu digna.

Limonia citrijs & aurantijs omnibus gustu acidiora sunt, & ob id succo frigidiore ac ficciore

constãt. Ex quibus ſerapium conficitur ad reſtinguendum bilis ſeruorem mirè efficax: necnon ad peſtilentes febres, et eas quæ contagione ſerpunt. Sed illud non prætereundum, quòd

Bilis feruor, & febris peſtilens.

Admotus foculo limen, ſenſimq́ue recoctus
Inſtillante anima, ac tenuem conuerſus in amnem,
Ora puellarum maculis lauat, & candorem
Inducit nitidis per colla argentea guttis.

Fucus muliebris, vitiligo, vari, febres acutæ & peſtilentes, elephantiaſis.

Hodie in calente balneo Mariæ vocato, vitreis organis elicitur aqua ex limoniorum ſucco: quæ præterquàm q̄ mulieribus ſummè expetitur ad faciem fuco expoliendam & erugendã, etiam vitiligines vbicunq; fuerint, ac varos, et totius corporis maculas emendat, etiam ſi ex elephantiaſi eſſent. Eadẽ ſerapijs idoneis remiſta, acutis febribus & contagioſis fœliciter ſuccurrit. Quod nos frequenter ſumus experti. In gratiã virginum & muliercularũ quibus faciei candor et cutis decor ſummo ſolet eſſe ſtudio, hîc nec grauabor, nec detrectabo docere præſtãtiſsimum mangonium & fucum, quauis Regina dignum. Magnum limoniũ parte ſuperiori aperitur ita, vt carnis & pulpæ interioris inſtar paruæ nucis educi poſsit. Tum demum cauitas ſaccharo roſaceo vel cãdo vocato, cum aliq̄t folijs auri impletur, ſuo operculo clauditur, calẽtibus cineribus exponitur, et dum ebullit remiſcentur omnia, ac mox ab igne tolluntur. Vſus erit ex pãno lineo hiſce intincto miſcellaneis, & per faciem blandè circunducto, videbis eam Ioue dignam. Hîc finem facturus eram, niſi in mentem opportunè mihi veniſſet, quòd ſucco limoniorum bis aut ter colato, ſi integras margaritas lauabis & immerges, Solíque expo-

expones, in quinque aut ſex diebus ita illas colliquabis, vt mellis conſiſtantiam referāt. Ex ea materia poteris formare quidquid tibi viſum fuerit & paucis diebus diues fieri. Autor Hieron. Cardanus, cui ingenteis debentur gratiæ, ſi vera ſunt quę tradit. Aliud eſt etiam admiratu dignū, quod apud Leuinum Lemnium medicum doctiſs. ſcriptum & adnotatum legi, nimirum, limonijs tam acidum ſuccum ineſſe, & vſqueadeò exedentis naturæ, vt ſi ei per horas aliquot aureum numiſma inſeras, acciſo, imminutoq; pondere illud eximi deprehendes. Sed hæc quia extra limites medici noſtri inſtituti vagantur, miſſa libenter facimus: de illis alibi per occaſionem (ſi diuina annuerint) fusè & opportunè ſcripturi.

Duo ſummè admiranda & notanda

Punica arbor & eius fructus, cum medicis vtriuſque auxilijs. AR. XI.

ARboris iſtius pomum etiam ex illis eſt, quæ palpamus, guſtamus, videmus & admiramur, ſed parentes re vera ignoramus, & in hoc ſeptentrionali Galliæ tractu planè deſideramus. Granatū dici contendunt nonnulli, à multitudine granorum & acinorum, quibus ſcatet. Alij, à Granata Hiſpaniæ (vbi plurimùm naſcitur) id nomenclaturæ adipiſci defendunt. Sed has, ſi placet, controuerſias ocioſis & opinioſis Grammaticulis exagitandas ac diſcutiēdas relinquamus, & medica punicorum auxilia, ac facultates paucis explicemus. Dulcia punica ſtomacho inutilia eſſe tradit Plinius, quòd inflationes pariant, ac dentes & gingiuas lædant. Quæ verò his ſapore proxima ſunt (vinoſa nūcupata) aluū ſiſtunt, & ventriculo (ſi pauca ſumas) valde pro-

Mali granati ratio & nomenclatura.

Dulcia punica.

Aluus & ventriculus.

ſunt. Hæc danda in febre nonnulli negant, quòd nec ſucco, nec acinorum carne vtilia ſint: vnde vomentibus ac bilem reijcientibus non probantur. Hæc Plinius: cui non ſubſcribit Dioſcorides, tradens malum omne punicum boni eſſe ſucci, & ventriculo vtile, ſed perexiguum tamen ſufficere alimentum. Dulce vt ſtomacho vtilius habetur, ita in illo aliquantulum gignit calorem ac inflationes parit: ex quo in febribus abdicatur. Acidum aſtringit, ac æſtuanti ſtomacho auxiliatur, & vrinam ciet: verùm ora gingiuaſque lædit. Cortex, malicorium vulgò dictus (quòd coria maximè perficiat, vel quòd ſit ipſi pomo velut coriaceum tegumentum) ſi in aceto mixta galla coquatur, mobiles dentes ſtabilire fertur. Et ſi integrum punicum ollâ nouâ, addito operculo, in clibano torrefactum fuerit, deinde contritum, & ex vino potum, aluũ ſiſtet, ac eius tormina diſcutiet. Quod etiam præſtabit integri & triti punici decoctio, hauſta, vel clyſtere iniecta. Flores (quos balauſtia nuncupant) fœminarum menſes potu retinent, oris vlcera ſanant: adhæc tonſillas, vuulam, excreationes ſanguinis, necnon ventris ac ſtomachi ſolutiones, genitaliumque vlcera, & alia quacunque in parte manantia emendant & adiuuant. Tuſorum farina pleroſq; dyſentericos à morte liberauit. Nuclei acidorum ſiccati, puluerati, & obſonijs reſperſi, vel incocti, fluentem aluum & ſtomachum in vomitiones effuſum retinent, bibunturq; ſalubriter ſanguinem excreantibus, ac valde vtiles habentur ad dyſentericorum deſeſſus, necnon vliginoſas & impuras vuluarum defluxiones, quas albos menſes dicunt. Dioſcor. tradit eum, qui tres quàm minimos

Vrina, dentes, aluus & tormina.

Menſes, oris vlcera, tonſillę, vuula, ſanguis, venter, ſtomachus, dyſenteria & vomitus.

Fluor alui, vomitus, ſanguis, vulua.

mos punicorum cytinos deuorauerit, nullam illo anno lippitudinem passurum. Fieri solet ex punicis seu granatis medicatum vinum, cuius artificium tale habeto ex nostris vinorum secretis depromptum. Acini maturi ex suis menbranis diligenter exclusi, prælo committuntur, exprimuntur, vinum saccis ad id accommodatis percolatur, vasculis idoneis, quousque fæx residat, seponitur, & clarum custoditur, oleo desuper affuso ne corrumpatur aut acescat. Sũt qui absque oleo illud in cadis asseruent: sed per æstatem facilè vapescit. Modos alios docebimus alibi, Deo fauente, cum facultatibus & auxilijs eiusdem vini. Quod postremum erit, vbi monuerimus corticem punici mali, ferrum in chalybem mutare, quemadmodum adnotauit Hieronym. Cardanus: qui modum conticuit, quem proprio loco alias exprimemus. Sed hęc quia fabrum ferrarium potius olent, quàm medicum hortulanũ: idcirco verbum nõ amplius addo, vt medici medica tractent, & fabrilia fabri. Transeo itaque à punicis ad ficus. Sed ô me obliuiosum: qui singulare arcanum, mihi & amicis multis fœlici successu expertum, omittebam. Quodnam illud est, inquies? Si punicum dulce cum suo corio & cortice tusum ac læuigatum percolaueris, & sex partibus succi, vnam mellis adieceris, omniaq; ad spissitudinem coxeris, habebis eximium auxilium aduersus inflammationes oris, columellę & gutturis, etiam si præsentem suffocationem minitarentur: necnon ad narium vlcera, polypũ, oris fœtorem, & alia quamplurima, quæ vt mihi longa essent recensere, ita facilia tibi erunt excogitare.

Lippitudo & vuluarum defluxio.

Vinum ex malis punicis.

Quomodo ferrũ in chalybem mutetur.

Inflammatio oris, columellæ, gutturis, polypus, fœtor oris & vlcera narium.

Ficus & eius fructus, cum medicis auxilijs vtriusque. AR. XII.

Mira Catonis solertia ad suadendũ Carthaginis excidium.

POmum istius arboris, priscis temporibus, nedum nostris, notissimum fuisse, testatur memorabile Catonis ingenium, & indicibilis prudentia. Nam dum perniciali odio Carthaginis flagraret ille, & nepotum securitatis anxius esset, clamaretq; omni senatu Carthaginem delendam, attulit quodã die in curiam, præcocẽ ex ea prouincia ficum. Quem (vt scribit Plinius) Patribus ostendens: Interrogo vos, inquit, quãdo hoc pomũ demptũ putetis ex sua arbore? Cùm inter omnes recens esse constaret: Atqui, respondit, tertium ante diem scitote decerptum Carthagine: tam prope à muris habemus hostẽ: statimq; sumptum est Punicum tertiũ bellum, quo Carthago deleta est, & sequenti anno raptus Cato. Qui vnius fici argumento, res mira, tantam vrbem, & de terrarum orbe vnam per cxx. annos Romanę gloriæ æmulam, funditùs euertendã suasit, & tandẽ impetrauit. Sed hæc nihil ad medica fici præsidia quæ nunc demũ aggredior, vbi prius monuero. quòd tam recentes, quàm passæ ficus, olim panis ac obsonij vicẽ habuerunt: eóque cibo prisci Athletæ vires aluerunt, priusquã Pythagoras eos ad carnes transtulisset. Sale inueteratis etiam casei loco vesci excogitatum fuit, Plinio authore. Meliores & salubriores habentur quæ Solis vigorẽ expertæ, per propriam naturam ematuruerunt. Quæ plurimo turgent lacte, aut aquoso madent succo, & si palato ac stomacho gratiores vidẽtur grauiores nihilominus, ponderosioresq; censentur: ex quo faciliùs descendunt, & aluum ad excretionem proritant, perinde atq; recentes nuces.

Ficus panis & obsonij loco fuisse.

Ficus passæ & recentes.

Deme-

Demetrius Sceptius admonet, studiosos vocis debere ficis abstinere: motus exemplo Egesianactis Alexandrini, qui optimus tragœdiarum actor euasit, quòd ficis annos octodecim abstinuisset.

Ficus voci inimicæ.

Coctæ cum hyssopo corpus expurgãt, tussim veterem abolent, ac longa pulmonũ vitia emendãt. Cũ ruta colico dolori & torminibus summè prosunt, sumpto ore decocto, vel clysteribus opportunè iniecto. Duritias in corpore discutiunt, tritæ & appositæ, per se, vel cũ oleo liliorũ, aut alio quopiam idoneo: quo etiam modo parotidas & furunculos emolliunt. In vino cum absinthio ac farina coctæ & subactæ, hydropicis salubriter illinuntur, & cum cera crematæ pernionibus auxiliantur. Addo quod podagris cum farina fœnigræci & aceto efficaciter admouentur, ac dentiũ cruciatibus, recẽti succo in lana aut gausapio excepto & apposito, perpulchre succurrũt. Qui succus etiam verrucas, carne circumlita, tollit: præsertim myrmecias nuncupatas, quæ quendã pungentis formicæ sensum repræsentant. Aliæ folijs ficulneis contactæ aboleri traduntur, si postea folia sepeliantur.

Tussis, pulmo, colicus dolor, tormina, duritiæ, Parotides & furunculi, Hydrops, pernio, podagra, dentes, & verrucæ.

Ficus in vino coctæ, tritæ & ano appositæ, eius apostemata, condylomata ac fissuras curant. Et si cum nucibus, pipere aut amaris amygdalis ieiuno stomacho edantur, obstructiones hepatis soluunt, ac ventriculũ roborãt & detergẽt. Eubolus medicus meridiano esu ficus abdicauit, morbum inde concipi testatus, quòd statim febris accelerans inuadat, quę vomitũ flauæ bilis solet elicere. Quare Aristophanes cùm æstate ægrotantem quendã conspexisset, meridiando ficubus vsum p̃sagijt. Quod de musteis & adhuc humentibus intelligendum arbitror: aut, si mauis,

Ani apostemata, condylomata, & hepatis obstructio.

Ficus recentes autumno insalubres.
Lixiuia ficus ad gangrænas & sinus cuniculosos.

uis, de recentibus & lacteis, quæ etiam sudores ac papulas mouent, & ob id autumno insalubres putantur. Fit è cinere ficus lixiuia, crematis ramorum fruticibus, quę eò melior est, quo sæpius iteratur & veterascit: Hæc, vt tradit Dioscor. vlceribus quæ gangrænæ vitio periclitantur multùm prodest, necnon ijs consumẽdis, quæ nimiùm excrescunt: vsus erit ex spongia eo liquore imbuta, & subinde apposita. Salubriter eàdem etiam perlinuntur grandes & cuniculosi sinus: nam glutinat, carne replet, astringit, absterget, ac oras hiantes committit, nõ secus atque emplastra quæ cruentis vulneribus admouentur. Dissoluit prætereа sanguinem in ventriculo coagulatum, si cum pauco oleo bibatur drachma vna. Sed pulchrum erit Galenum audire de ficuum facultatibus hũc in modum differentem. Tametsi ficus minus gignant praui succi, quàm cæteri omnes fructus, nõ modò fugaces, sed etiam autumnales, non tamen vitium prorsus effugere potuerunt. Et cùm autũnales fructus omnes exiguum corpori alimentũ præbeant, minimè ficubus id vsu venit. Carnem tamen non compactam, neque firmam generant, ceu panis & suilla caro, sed turgidulam, subinanẽ & fungosam, veluti fabæ. Cæterum, extergendi facultate pollent, cuius gratia nephritici post illarum vsum arenulas multas excernunt. Caricæ, seu ficus passæ, multiplicem vtilitatem habent: si quis tamẽ largius esitauerit, ab eis offendetur: nã sanguinem non admodum probũ gignũt, quapropter pediculorum quoque agmen eas comitatur. Fit ex ficubus, ruta & nucibus, celebris illa Mithridatis antidotus cõtra venena & pestilentem auram, de qua superius in ruta. Hîc mihi omitendum

Sanguis coagulatus.

Quã gignant carnẽ ficus.

Nephritici, venena & pestis.

dum non est, quòd si bubulis carnibus ficulnei remisceantur cauliculi, efficient vt magno lignorum compendio celeriter illæ percoquantur, Plinio autore: quod multi etiam caprifico tribuũt: quam Columella tradit decoctam, & alitibus atque gallinaceis cum cibo exhibitã, ficorum fastidium illis creare, quorum alioquin sunt appetentissimi. Tradit præterea Africanus ex Græcis geoponicis vnus, & idem celebris, lac igni tepefactũ, & fici ramulo motum, statim coagulari & cõcrescere. Quod etiam præstabitur succo in lac misso, qui ex vulnerato fici cortice stillare solet: aut lacte ficuũ satiuarum, sed non syluestrium. Penè mihi excidebat, quòd fici crematę, perniones ac porrigines cum cerato emendant. Et lac ficus ictui scorpionum illitũ, salutare est. Hîc finem faciebã cum duo prodigiosa naturæ miracula mihi in mentem venerunt, nequaquam tacenda, aut dissimulanda: & si parum ad medicas ficuum facultates attinere videantur. Vnum est, Tauros quamlibet indomitos & feroces cicurari, & immobiles acquiescere, si ficulneæ arbori alligẽtut. Quod etiam caprifico illorum collis circundatæ ascripsisse mihi videtur Plinius. Alterum est, Alitũ & cęsorum animalium carnes, perquam celeriter tenerescere & fragiles effici, quæ de ficu pependerint. Rationem in Symposiacis reddidit Plutarchus. Cùm inter obsonia Aristionis, inquit, coquus immolatum Herculi gallinaceum gallum recentem, tenerum ac penè friabilem obtulisset, tam citam teneritudinem fico referebat Aristion, contendens iugulatas aues, etiam præduras, teneritatem induere, si pensiles fico adhæserint. Nec temerè, nam auram halituosam & digerentem

Pulcherrima & notatu digna.

Perniones, porrigines, & ictus scorpionum.

Taurorum cicuratio.

Quomodo carnes citò ac facilè tenerescant.

tem

tem expirat ficus, qua carnes concoquuntur & tenerescunt. Idem etiam cõtinget: vt id obiter admoneam, si tritici aceruo obruantur, aut penitus demergãtur. At de ficu satis. Sed, ô me iterũ & tertio obliuiosum: nam silentio ferè obruebã, quod ille idem Plutarchus celatum noluit. Quid illud? Equos & asinos linqui animo, qui ficos dorsuarij comportarint. Verumenimuero maiore miraculo dignũ est remediũ, quo & ipsis, & hominibus quoque succurritur. Exanimata penè iumenta, & propemodum extinctos viriũ deliquio homines oblatus panis reuocat: nam si vel pauxillum vorauerint, protinus à cibo sese recolligunt, roborãtur, ac pristinũ iter iucundè persequuntur.

Panis mira energia in virium deli quio.

Olea & eius fructus, cum medicis auxilis vtriusque AR. XIII.

GAllicum vulgus Oleam *Oliuerum* nuncupare solet: quam pauci ignorant equitum turmas olim coronauisse, & minoribus triumphis ouantes illustrauisse.ᵃ Huius rami gestati, indiciũ pacis fuerunt: ex quo à poëtis iusto epitheto pacifera dicitur. Sed, ô dolor: nobis non tam licet esse beatis, vt hanc arborẽ verè aureã, septentrionalibus hortis & agris nostris videre possimus, & ex ea fructus vberes percipere: inscrutabili Dei Opt. Max. consilio, qui omnibus omnia nõ dat, sed quod bonum atque vtile nouit. Neque tamen ob id laborem detrectabo, vt quæ de illa & eius baccis ac oleo scitu digna à medicis cùm priscis, tum recentioribus cognoui, & meo multorumq; experimẽto didici, cãdidè ac ingenuè (vt omnia) in medium proferã. Venio itaque à verbis, quod dicunt, ad rem. Oleæ folia præmãsa, & vlceribus

Olea quondam paucis nuntia.

admo-

admota, summum adferunt auxilium. Decoctũ eorundem, cum melle, sanguinis profluuia cohibet, tam sumptum, quàm appositum: crustas insuper emarginat, & cicatrices delet. Succus ab his expressus carbunculantibus circa oculos vlceribus, ac pustulis, procidentique pupillæ, & antiquatis delachrymationibus mirè auxiliatur. Exprimitur autem tusis folijs, & affuso vino albo cum aqua cœlesti. Qui, si visum fuerit, in pastillos & offulas ad Solẽ resiccari poterit, & in vsum opportunum seruari. Vuluæ admotus in vellere, pessarij modo vel aliter, menses immodicè fluentes sistit: estque ignibus sacris, & vlceribus quæ serpunt summè vtilis: necnon auribus, siue vlceratæ fuerint, siue purulentæ. Liquor ex accenso recenti ligno stillans, lichenas, furfures, psoras, & manantia vlcera curat. Cortex è radice quamtenerrimè derasus, crebro gustatu & illinctu ex melle rosaceo, sanguinem excreantibus, & suppurata tussientibus, miraculo quodam medetur: eiusdemque cinis cum axungia tumores discutit, & fistulis vitia detrahit. Hæc de arbore ex Dioscoride, Plinio & Galeno: nunc de fructu paucis dicendum. Oliua flaua & recens, stomacho vtilis censetur, sed ventri difficilis: nigra & matura corruptioni est opportuna, & proinde cacostomacha. Recens cibi modo per se manducata antè quàm condiatur, præclarum habet vsum: nam arenosæ vrinæ opitulatur, dentibusque attritis, aut conuulsis summè prodest. Olearum succus è muria, collutione gingiuas comprimit, & dentes labascentes, infirmos, ac commotos stabilit. Nucleorum pulpa cum axũgia & farina, scabris vnguibus commodissimè illinitur. Quod ad oli-

Vlcera sanguinis profluuia, crustæ, cicatrices, oculi & delachymationes.

Mẽses, ignis sacer, vlcera, aures, lichenes, furfures psora.

Sanguinis excreatio, suppurati, tumores & fistulæ.

Vrina arenosa, dentes attriti, gingiuæ & scabri vngues,

uarium liquoré attinet, vulgò *Oleum & Oliuum* nuncupatum (quo nullus à vino preciosior succus esse solet in vniuersa rerum natura) hæc à me in præsentiarum accipies. Receptum confessumque est apud omnes rei rusticæ & medicæ doctores, Pœnos, Arabes, Gręcos & Latinos, oliuariũ oleum recens, & minimè vitiatum, ad corporis & virium reparationem, conseruationemque, foris adhibitum valde conferre. Quod celebri Pollionis Romuli exemplo docetur. Hunc enim centesimum iam annum excedentem, vt autor est Plinius, cum D. Augustus hospes interrogasset quanam ratione vigorem illũ animi, corporisq; maximè custodisset: Intus (respondit) mulso, & foris oleo. Id quòd à Democrito potuit didicisse vt Diophanes in suis tradit Græcis Georgicis. Nã cum rogatus esset, quonã modo homines viuere possent inoffensa valetudine, & animi corporisq; statum incolumem ac vegetum diu seruare: Si externa corporis (inquit) oleo, interna verò melle præmuniant. Valet itaque oliuum ad corporis & virium conseruationem, necnõ cõtra algores. Quod cùm intelligeret magnanimus ille & incomparabilis Annibal (Romanorũ terror quondam nuncupatus) in Alpium transitu, militum suorum corpora, aduersus niuales iniurias & rigentem aërem, oleo præmunienda imperauit. Quod vnum à frigoribus homines vindicare, & gerẽdis rebus corpora habiliora reddere prudẽter nouerat. Si introrsum recipiatur, de recenti loquor, ventrem durum emolliet, ac venena hebetabit, & ea vomitionibus statim excludet. Si cum succo rutæ calidum hauriatur, tormina illico sedabit: & ileosis vtilissimè infundetur, quos tenui-

Marginal notes: Vires recẽtis olei oliuarij. — Historiæ pulchræ & notatu dignę. — Oleum aduersus frigora præstantiss. esse. — Venter, venena, vomitiones, tormina, ileosi & facies.

tenuioris inteſtini morbus tentare ſolet. Faciem expurgat, & bubus per nares infuſum, donec ructent, inflationem mitigat. Reliqua oliuarij olei præſidia (ne ſim lõgior) omitto, vt ad eius amurcam veniã: cuius vſus olim ruſticis fuit frequẽs. Nihil autem aliud eſt amurca, quàm expreſſæ oliuæ ſanies, aut ſidens eius retrimentum: quod ſuper omnia miris viribus eſſe dixit M. Cato: ex quibus hîc nonnullas docebimus, maximè quæ ad hominum vel animalium vſum pertinebunt. Boues qui cibum faſtidiunt, cupidè illum appetent, ſi eorum pabulum amurca reſpergas: ita enim curati, corpore pulcherrime valebunt: & ſi quis aderit morbus, abigetur. Si eâdem quadrupedes & detonſas oues, cum aqua vbi lupinus deferbuerit illinantur, ſic vt biduum vel triduum deſudent, deinde aqua ſalſa lauentur, neque ſcabræ fient, neque ricini erunt moleſti. Hæc ruſtica nobis fuſius alibi explicanda, vlterius non procedent. Tria ſuperſunt œconomica veriùs quã medica. Primum eſt, Condita veſtimenta in armarijs quæ fundum habuerint amurca illitum & reſiccatum, nullo modo à tineis contingentur ac derodentur. Secundum, Lignea ſupellex quam amurca deterſeris & expolíueris, coloris gratiam ac ſplendoris elegantiam miram contrahet. Tertium, Ligna eadem amurca macerata, aut delibuta, nullo fumi tædio exardeſcent. Hæc de olea & pomiferis arboribus ſatis erunt, vt nuciferis ſuum demus locum.

Quid amurca, & quibus proſit.

Tria pulchra & notatu ſummè digna.

HORTI MEDICI CAMPVS OCTAVVS, ARBORES NVCI-*feras & earundem fructus, areolis quinque distinguens.*

Iuglans & eius nux, cum vtriusque medicis auxilijs. AR. I.

Iuglandis nomenclatura & eius ratio.

IVglandem prisci Grammatici idem esse voluerunt, ac si diceres Iouis glandem, interlisis literis. Quo nomine, non procul à primo mundi æuo, ita appellatam fuisse nucem plures tradunt. Quippe cum homines diu glandibus victitassent inuenta tandem arbore quæ nuces ferebat, degustato nucleorum tam suaui sapore, illico nuces, Iouis glandes, ob præstantiam & excellentiam nuncupauerunt. Grammatici posteriores à nocendo nucem dixerunt: quòd graui foliorum odore in cerebrum penetrante, & vmbræ suæ prauitate, ijs noceat, qui sub eius arbore dormierint aut diu steterint. Nulla est arborum, post cerasum, quæ vel faciliùs, vel meliùs proueniat, quã nux, quòd de se apud Ouidium, sic querula testatur,

Sponte mea facilis contempto nascor in agro:
Parsque loci qua sto, publica penè via est.

Nucis prouentus facilis.

Gallis Noîerus vulgo dici solet: cuius vmbra satis omnibus, Plinio teste, nouerca veriùs quàm nutrix habetur nam quæcunq; attingit, haud dubiè venenat, & sua lædit præsentia: ob id in hortis, ac agris, ceu inutilis & noxia extremis partibus plantari ac locari solet: quemadmodũ apud eun-

eundem Nasonem, illa de se testimonium hunc in modum perhibet.

- quoniam sata lædere credor,
Me quoq; in extremo margine fundus habet.

Sed omissa arbore veniamus (si placet) ad eius fructum, quem duplici munimento & inuolucro tegi, nullus est qui non videat: herbaceo primum cortice, mox ligneo putamine, compactili carinarũ loculo, & tenui tunica intus armato: quot modis fœtus in parente solet contineri, sicuti ingeniosè scribit Plinius. Quæ causa nuptijs religiosas fecit nuces, olim à Regibus è Perside translatas, & ob id basilicas ac Persicas nominatas. Heraclides Tarentinus petere solebat, prima ne mensa an summa, nuces offerri debeãt. Sanè, si postremo cibo (vti mos est) exhibeantur, siccæ præsertim, bibendi desiderium proritabunt, potusque auiditatem molientur: quo ferculis insinuatæ, distento iamiam ventriculo & refertis interraneis, deturbante impetu & grauitate, flatus ac inflationes facilè excitabunt, & cibos corruptionis labe vitiabunt: propterea quod illis ob oleaginosam substantiam quædam insita est enatandi facultas, quæ coctioni parum cedit: vnde crudilitates oriuntur, & alui intempestiuæ deiectiones. Diphilus Siphnius hinc capitis dolores ciere, & reliquis cibis extare dixit. Cui subscribit Diocles: additque sagina sua strigosos ad crassitiem reducere, modò ab illorum stomacho probè vincantur & coquantur. Vt vt fuerit, recentes parcè & opportunè sumptæ, stomacho iucundiores esse solent: siccæ verò nocentiores, biliosæ, concoctu difficiles, & capitis dolorem (si profusè assumantur) conciliantes. Sunt prætereà tus-

Nucis ingeniosa descriptio, & cur nuptijs dicatæ sint.

An primo, postremóue cibo sumendæ sint nuces.

Nuces coctu difficiles & capiti inimicæ.

Recentium nucũ & siccarum natura, necnon torrefactarũ

sientibus inimicę, sed vomiturientibus ieiunis aptæ. Torrefactæ, minus negocium corpori facessunt: quo modo Mnesitheus Atheniensis edendas præcipiebat, depasta ab igni & calore, superflua earum oleacitate. Cum cepa, sale & melle tritæ, canum, hominumque ac venenatorũ morsui auxiliantur: & cum exiguo melle ac ruta, mãmarum doloribus, inflationibus, ac luxatis partibus optimè apponuntur: & cũ suo cortice crematæ ac vmbilico admotæ, tormina efficaciter discutiunt. Quæ perueteres sunt, gangrænis, carbunculis & suggillatis perbellè medentur. Nucleorum combustorum cinis ex vino subter inditus, fœminarum fluentes plus æquo purgationes cohibet. Iidem nuclei commansi, & ex ore protinus impositi, areas capitis, pilo celeriter replẽt: modò id sæpius iteretur. In teinesmo ad extrahendam pituitam magna eduntur efficacia. Addo quod vestigia verberatorum, aut percussorum, vibicesque flagellatorum facilè obliterabũtur, si succo corticis recẽtium nucum illinentur. Qui si ex pauco melle coctus fuerit, vitijs oris vtilissimum adferet remedium, necnon ad vehementes tonsillarum inflammationes, ac suffocatus. Lixiuium ex corticibus, capillum denigrat & infuscat. Sed celebratissimum illud Mithridatis alexipharmacum & diatessaron, de quo in ruta scripsimus, fusius ex Plinio rursum recitare iuuabit. In sanctuarijs (inquit) Mithridatis maximi Regis deuicti, Cneus Pompeius inuenit in peculiari commentario manu ipsius descripto, compositionem antidoti è duabus nucibus siccis, ficis totidem, & rutæ folijs viginti simul tritis, addito salis grano: quam antidotum qui ieiunus sum-

Morsus, mãmæ, luxata, tormina, gãgrænæ, carbunculi & suggillata.

Fœminarum purgationes alopecia & teinesmus, verberati, percussi, flagellati, tonsillæ, suffocatio, capillus.

sumpserit, nullum venenum eo die formidabit. Plinio subscribunt Q. Sereni, poëtæ & medici antiquissimi, versus, quos eã in rem eruditè, vt omnia, ad hunc cecinit modum:

Antidotus præstans, multis Mithridatica fertur
Consociata modis, quam Magnus scrinia Regis
Dum raperet victor, vilem deprendit in illis
Synthesin, & vulgata satis medicamina risit:
Bis denum rutæ folium, salis & breue granum,
Iuglandesque duas, terno cum corpore ficus:
Hæc oriente die, parco conspersa Lyæo,
Sumebat, metuens dederat quæ pocula matri.

Mirabilis & præstantissima Mithridatis antidotus contra venena.

Prodest eadem antidotos mirabili successu, aduersus grassantis pestis contagia, vt testes mihi sunt multi cùm noti, tum ignoti, qui præstantissimo hocce alexipharmaco, per magnas & deploratas pestilentias, me admonẽte & præscribente, è medijs manibus tam sæui & metuendi hostis erepti fuerunt. Hoc loco non omittam, quod virides iuglandes, sub finem Iunij, antequam putamina obdurescant, saccharo aut melle conditæ & asseruatæ, quo postea dicemus modo, stomacho vtiles, ac ori perquam gratæ habẽtur. Quin & ex ijs stillatitia fit aqua ad multa salutaris, præsertim ad abigendas tertianas febres. Gargilius Martialis in libris κηπουρικῶν, siue hortensiũ, quos illi Virgilianus adscribit Seruius, asserit se expertũ, quod nuces post annũ virides inueniẽtur, si liberę putaminibus suis melle demergãtur additq; mel illud ita medicatũ fieri, vt ex eo cõcinnata potio faucibus & arterijs medeatur. Sed hîc pstantissimam condituram nucũ nequaquã tacebo, quã die vna hoc modo absolues. Tenerę nucis cortex

Aduersus pestis contagia prestãs alexipharmacon.

Mel nucatũ faucibus & arterijs medicabile.

putamenue antequã lignescãt cultro illico deglubuntur testa albida & teneriuscula tenus : è vestigióque ne nigrescant in puram aquam ,pijciuntur & vsq; dum molescãt coquuntur, cinamomo & cariophyllis traiecta:mox saccharo in syrupum perfectè cocto bulliunt, tribus,quatuorue ebullitionibus: tumq; quò saccharum ebibant, triduo aut quatriduo inibi sinuntur.Et quia saccharum recrudescit propter humorem quem imbiberat, illud idem saccharum per se denuo coquitur, & sic bis,terue repetitur. Hæc Petrus Pena Anglorũ medicus eruditus æquè ac eloquens. Quod reliquum est,duo à fidis amicis mihi nunciata, & illorum crebris experimentis confirmata, priscorumq; libris descripta hîc prætermissa,& tibi denegata non patiar.Vnum est, Si proba nux vetus diligenter teratur,& horis aliquot demorsę parti à rapido cane eodem die superponatur, posteà tollatur,& famelicę gallinę,vel gallo obijciatur: si vorauerit & non moriatur, signum erit canem qui momordit,rabidum non fuisse : si verò iacturam vitæ patiatur,significabit haud dubiè, canẽ rabie actum fuisse. Quare, post tres dies, quod summum est, ad citam & exactam curationem properãdum erit: alioquin de incurabili ὑδροφοβίᾳ timendum erit. Alterum tibi communicandum tale est, Rancida nux suggillata efficacissimè delet,si flamma leniter exuratur, aut cadenti ferro ita comprimatur, vt oleum reddat ad id præstantissimum. Quid vis amplius ? Dum hæc de nuce scribo, & pagellas meas in quibus legendo semper aliquid adnotare sum solitus diligenter excutio, fortè fortuna incido in antidotum Mithridatis è nuce,cuius paulò antè facta fuit mentio:

Signa morsi a cane rapido.

Suggillata, gaugrænæ. ægylops & ςrabunculus

tio:

tio: ſed quam Raſes medicus Arabs fertur emendaſſe, & ad Almanſorem Sarracenorum Regem miſiſſe. Huius itaque germanam deſcriptionem ſic habeto. Accipe nucum veteraſcentium, & à putaminibus ac interaneis purgatarum, partem vnam: ſalis & foliorum rutæ, vtrorumque ſextam partẽ vnius: ficuum in aceto aut vino maceratarum, quantum ad prædictorum commiſtionem ſufficit: accuratè tritis & confuſis omnibus, fiat antidotus: cuius vſus per ſe eſto ad magnitudinem vernaculæ auellanæ, ſuperepoto vini albi momento, ſi videtur. Dici non poteſt quanta ſit alexipharmaci huius efficacia, non dicam contra venena, ſed etiam contra peſtis nocentiſsima quæuis contagia, à quibus omnium ſeruator nos ſeruare dignetur.

Mithridatis antidotus contra venena, ex Raſe ad Regem Sarracenorum.

Amygdalus & eius fructus, cum medicis vtriuſque auxilijs. AR. II.

ARbor Amygdali tã eſt nota apud omnes, vt nihil notius eſſe poſsit: cuius ea fertur eſſe natura, vt in ſenio fœcundior ſit, quàm in iuuenta, & ſola minùs ferax habeatur, quàm ſociata. Nuculas eius, amygdalas nuncupatas, gemino (vt iuglandes) operimento tegi nullus eſt qui non videat: puluinati primùm calicis, mox lignei putaminis multos ſcarificatus admittentis, & in rimulas varias dehiſcentis, cui ſolidus ſubeſt nucleus, in quibuſdam dulcis ac iucundi guſtus, in alijs verò amari & ingrati: ſed qui ebrietatem arceat, Plutarcho autore, cuius hæc ſunt verba, Fuit apud Druſum Tiberii Cæſaris filium, medicus quidã amaras amygdalas comeſſari ſolitus, qui omnes bibendi certamine prouocabat, nemi-

Amygdalarum deſcriptio & pictura elegãs.

Amaras Amygdalas

níque in omni palęstra cedebat. Is tandem deprehensus est, antè quàm biberet, quinas senasue comesse, quò minùs temulentia tentaretur. Porrò, cùm deuorare vetuissent compotores eius bibuli, ne pauxillũ quidem in huiusmodi certamine resistebat. Plutarcho subscribit Athenæus, causam amaritudini tribuens, quæ resiccat & humiditatem depascit, nec sinit venas impleri: quarum distẽtione & perturbatu, temulentiam contrahi volunt, effluuijs calidis, & fumosis nebulis obsessa mentis arce. Huius rei argumentum euidens esse potest, quòd vulpes amarorum pastu, atq; adeò amygdalarum (vt idem refert Plutarchus) certò moriantur, si non contingat è vicino aquam lambere, interno humore affatim ab his exucto. Quod & Dioscorides & Plinius etiam testatum reliquerunt. Mnesitheus Atheniensis eo in libro quem alimentis dicauit, omnem cuiusq; generis nucem, quæ ignem experta non fuerit, cibis abdicandam præcipit, exceptis recentibus amygdalis. Sed aliàs torrefieri, aliàs verò incoqui iubet, vt ignis illarum pinguetudinem absorbeat & ebibat. Vitijs pulmonũ & renum ex aqua potæ succurrũt, & illinctu cum resina terebinthina calculosis medẽtur, ac difficili vrinæ in passo tritæ auxiliãtur. Gummi ex arbore stillans, spissandi viribus pollet, ac cruẽtis excreationibus opitulatur: adhæc summæ cutis impetigines ex aceto illitũ rapit, & funditùs abolet. Amaræ amygdalæ excorticatæ, tritæ, & linteolo inclusæ, si in muliebre pudendũ mittantur, vterũ à corruptis humoribus potenter vindicant, & repurgant. Si in vino terãtur, & eo caput lauetur, illius furfures amoliuntur. Si integræ vrantur, & acri aceto mace-

ebrietatem arcere, & quomodo id fiat.

Amaras amygdalas vulpibus lethales esse.

Pulmo, renes, calculus.

Vterus, furfures, alopecia, ophiasis, vari,

macerentur, postea contundãtur & capiti illinantur, alopeciam & ophiasim, ex Galeni sententia, curant. Si aceto infundantur, terantur, in pastillos cogantur, & in vmbra siccentur, summè proderunt ad varos delendos, & obliterãdas pustulas paruas in facie, quas Græci ἰόνθους nuncupant. Quod fiet, si quoties vsus postulauerit, aceto dissoluantur, illinantur, & facta resiccatione, cum sapone abstergantur. Proderit etiã res ea ad pruritus, scabiosas impetigines, et prętumidas faciei dispositiones, quæ sunt veluti præludia ad elephantiasim. Sunt olea ex vtrisque amygdalis expressa, quarum facultates satiùs duxi omittere, quàm paucis describere, suum locum alibi per occasionem illis daturus.

Ionthi, pruritus & impetigo.

Pinus & eius fructus, cum medicis auxilijs vtriusque. AR. III.

SIcuti Pineas nuces Gręci, vt testatur Galenus conos ac strobilos appellarũt, ita earum nucleos Hippocrates coccalos nuncupauit: vnde facta fuit alticoccali nomenclatura, vt in cinara, seu altili carduo superiùs admonuimus. Nuces istæ in sua arbore altissimi à terra suspensæ, intus exiles nucleos, lacunatis toris & ferruginea tunica vestitos cõtegunt: qui nisi purgati fuerint, durare non possunt. Contendunt tamen aliqui illos cum suis testis in vasis fictilibus nouis, terra oppletis cõsepultos, rectè custodiri posse. Arbor iuglandi contrariam habet naturam, nam prodesse creditur omnibus quæ sub ea feruntur. Nuclei & si ægrè concoquantur, nihilominus corpus perbellè alunt, nisi humorem crassum gignerent. Sitim sedant, stomachi acrimoniam, rosionésque leni-

Nucis pineæ descriptio pulcherrima.

Sitis, stomachus, vires.

renes, vesica, fauces, bilis, tussis & vrina.

leniunt, virium infirmitatem roborant, & renibus ac vesicæ vtiles habentur. Fauces tamen videntur exasperare, & tussim irritare, licet bilem expellãt, ex aqua, vino passo, vel balanorũ decocto poti. Contra vehementes stomachi rosiones, ijs miscẽtur cucumeris semina, & portulacæ succus: necnon ad vesicæ & renum vlcera, quoniam vrinam cient, ac eius acrimoniam hebetant. Humores qui putrendo coierunt in stomacho facilè retundunt: & si recentes ex arbore, in passo conterantur, ad tabem & tussim veterem vtiliter coquũtur, vt liquor per singulos dies bibatur. Hinc nimirum tradiderunt autores grauissimi, pineas syluas quæ picis ac resinæ gratia radũtur, tabidis vtilissimas esse: & ijs qui longa valetudine vires non recolligunt: adeò vt illum cœli aërem plus quàm nauigationem Aegyptiam, aut lactis cuiusuis potionem medicatam, conferre dicant. Sed de nuce pinea & eius arbore paucula hæc satis erunt: nam rara quoque in nostris septentrionalis Galliæ hortis spectatur.

Tabes & tussis.

Pulchra & notatu digna.

Corylus & Auellana, eius fructus, cum medicis vtriusque auxilijs. AR. IIII.

Auellanæ descriptio, & eiusdem prouentus magnus.

AVellanæ nuces ex ea sunt arbore quæ Corylus dicitur, & in multorum hortis frequens hodie conspicitur. Hæ molli primùm caliculo teguntur, mox lignoso quidem, sed fragili putamine, cui tenuis subest membrana rotundũ nucleum obuoluens, in cuius vmbilico peculiaris alter includitur. Gallicani montes, præsertim nemorosi, coryletis adeò vestiuntur, & auellanis oblongis ac rotundis tanta scatent vbertate, vt illas plenis saccis rura in vrbes comportent. Oblongas

Oblongæ & rotundæ auellanæ.

longas præstantiores & gustui gratiores esse constat: maximè quæ putamine & interiore tunica vehementer rubent, suntq; fractu minimè contumaces: nam vegetiore sunt nucleo, ac diu perdurãt. Sunt in magna nominum ambage nuces istæ, primùm auellinæ patrio nomine vocatæ, ac si diceres abellinæ, ab Abellino Campaniæ oppido (vt volunt Grammatici) vbi abundare cœperũt. Appellantur etiam Ponticæ, quòd è Ponto in Asiam & Græciam venerint, vt tradit Plinius. Dicuntur prætereà Heracleoticæ, Prenestinæ, & Leptocarya Græcis. Rura Gallica *Nucellas, Coryelos & Auellanas* nuncupant. Quod ad facultates attinet & medica auxilia, Galenus eas plus essentiæ terrestris & frigidæ habere contendit, quàm iuglandes: adhæc plus alimenti præbere, nam densiores sunt, & minùs pingues. Philotimus libro quem alimentis dicauit, dolorem capitis ciere scripsit, sed iuglande minùs: cibis prætereà extare ac innatare dixit: si tamen ignem expertæ fuerint, innocentiores reddi, quòd torrendo noxia pinguetudo tollatur. Faciunt itaq; dolorẽ capitis immodicè ac intẽpestiuè sumptæ, aduersanturq; stomacho, quẽ inflationibus distẽdunt. Alopecias pilo vestiunt, modò axungia, vel vrsino seuo excipiantur: medentur prætereà distillationi, si tostæ fuerint. In aqua mulsa tritæ, veterem tussim haustu leuant: & cum modico pipere tostæ, deinde contusæ, & ex eadem aqua potæ distillationes cõcoquunt, vt scribit Dioscorides. Alij è passo bibendas cẽsent: suntq; autores nõnulli, cæsiorum oculorũ pupillas infantibus denigrari cinere putaminũ auellanarum ex oleo sincipiti consperso: adhæc pinguedini cõferre, & præter fidẽ corpulen-

Auellanarũ variæ nomẽclaturæ.

Facultates auellanarũ.

Alopecia, distillatio, tussis pupilla & pinguedo.

lentiam augere. Diocles inter Grȩcos geoponicos celebris, posteritatis memoriæ mandauit, nucem auellanam minùs amygdalis alere, ac cibis (vt diximus) extare: quæ si largiùs estur, caput tẽtabit, viridem, tamen arida innocentiorem esse promisit. Sed hoc loco non est omittendum quod simplex rusticitas obseruauit, serpẽtem obtorpescere quæ coryli caudice, vel surculo icta fuerit, ac tandem emori. Addit Plutarchus, scorpium in domicilia non obrepere, quoties coryli nucula laquearibus appensa cohærebit. Horum veritas facili experimento elucescet.

Duo pulchra & summè notãda.

Castanea arbor, eius fructus, & medica vtriusq; auxilia. AR. V.

ETsi Castaneæ potiùs agrestes & montanæ censeantur esse, quàm hortenses & vrbanæ, videantúrque classi pomiferarum arborum veriùs quàm nuciferarum ascribendæ, de illis nihilominus breuem hoc loco narrationem ideo institui, quòd per hyemem tam diuitũ, quàm pauperum mensas vbiq; onerare soleant, et nucis nomine apud scriptorũ genus omne passim donari ac illustrari: quanquam accommodatiùs glandium ordini accenseri possent, vt Græcorũ nonnullis visum fuit, qui castaneas Διὸς βαλάνους, hoc est Iouis glandes, dici voluerunt: cùm tamen iuglandis, aut si mauis, Iouis glãdis appellatio, nucibus regijs (quas basilicas nuncupãt) aptiùs conueniat, ob causas nobis in iuglande superiùs productas. Sed hæc Grãmatico, nõ medico discutienda erãt. Duplices apud nos visuntur castaneæ, altiles quȩ multo maiore corporis tuberculo constant, & vulgò *Marones* appellari solent: quòd inter casta-

Cur castaneas montanas non hortenses hic autor describat.

Castaneam quibusdam iuglandem dici.

neas

neis veluti mares habeãtur, quos in omni rerum genere (vt tradit Galenus) fœminis habitiores esse constat. Aliæ multò sunt minores, reputãturq; vt fœminæ: vnde maronibus seu maribus castaneis longè inferiores & macilentiores esse spectantur. Illę lautiores diuitum mensas claudunt, hæ pauperũ ieiunia saturant. Illas cineribus calidis torrẽt locupletes, has in aqua coquunt & elixãt populares, ad auidã eorum famem exsatiandam: ex quo populares & coctiuæ Plinio nuncupantur. Verũenim verò priùs quàm & hæ & illæ igni credantur, ferro ad carnem vsq; intra earum pediculum vulnerari debẽt, vt hiatu plagę spiritus igne citatus erũpat: alioqui magno crepitu, instar nubis tonantis, prosiliunt, nõ sine assedentium terrore & periculo. Sed hæc coquinam potiùs olẽt quàm medicinam. Venio itaque ad præsidia. Castaneæ tam alui quàm ventriculi fluxiones Dioscoridi sistunt: ídque tunica maximè, quę carnem & corticem media intercursat. Siccæ sanguinem excreantibus valdè prosunt: & cum sale tritæ, melléque subactæ, rabidorum canũ morsibus vtiliter imponuntur. Cum hordeacea polẽta & aceto illitæ, mammarum duritias discutiũt: & recenter coctæ ac parcè piperatæ, sopitã Venerẽ excitant, ob flatulentam humiditatẽ qua scatẽt. Largiùs tamen sumptæ capitis dolorem conciliant, inflant, aluum astringunt, & ægerrimè coquuntur, præsertim ab imbecillo vẽtriculo. Quæ tamen cineribus obrutæ torrentur, innocentiores redduntur, maximè si cum sale, saccharo, aniso, vel cinnamomo edantur. Sunt qui illis in vino maceratis, & cum farina subactis, pessi vice vtantur ad supprimendos menses. Sanè & si

Castaneæ duplices, mares & fœminæ.

Cur ferro vulnerandæ sint castaneæ. antequàm igni committantur.

Aluus, ventriculus, sanguis, morsus canis, mammę, Venus & menstrua.

Quomodo innocenter sumantur castaneæ. Castanearũ vsus suspectus.

Galenus

Galenus scripserit castaneas plurimùm nutrire, non tamen in cibis valde commendantur. Nam siue elixæ, siue tostæ, siue etiã frixæ fuerint, semper esitantibus noxam inferunt, multoq́; magis si crudæ edantur. Non sum nescius monticolas, vbi aliarum frugum annona deficit, per totam hyemem castaneis victitare, fumo priùs in cratibus exsiccatis, & ab vtroque cortice spoliatis, necnon in farinã redactis, & postremò in panem coactis & coctis: aut ex lacte, vel iusculo in pulticulam conformatis. Quæ omnia eos bellissimè alunt, nec quidquam illis obsunt, propter assiduas exercitationes, & salubrem aëris regionem quam inhabitant.

Castanearũ vsus, vbi aliarum frugum annona deficit.

Laurus & eius baccæ, cum medicis earum facultatibus & auxilijs. AR. VI.

LAurus triumphis propriè dicata, & Cæsarum ac Pontificum, vt scribit Plinius, ianitrix, eorũ palatia exornãs, & ante limina excubans, iure bono hîc de me posset conqueri, si ex ista plantarum & arborum medica historia excluderetur: cùm etiam suo nomine Gallis non solùm sit cognita, sed & sedulò exculta & summè dilecta. Ad illam itaque calamum peropportunè conuertemus, pauloq́; fusiùs de ea philosophabimur, quàm in præcedẽtibus arboribus factum esse audiueris: cùm ob illius eximiam præstantiam, tum ꝙ de eius historia in nostris Hortorũ secretis, cura & auxilijs, ne γρῦ quidem, vt loquũtur, scriptum reperias, perinde atq; de sequẽtibus aliq̃t arbusculis. Sed à verbis ad rẽ festino.

Laurus Cæsarum & Põtificum ianitrix.

Cur de hac arbore, & sequentibus fusè scribatur.

Laurus arbor est odorata, leui cortice & tenui vestita, perpetua frõdens coma, caudice procero,

Lauri pictura & de-

cero, pingui ſucco ſcatente, & nodis perquā paucis exaſperato, flores edit paruos & muſcoſos, oleæ ferè ſimiles, ex luteo albicanteis, ex quibus baccæ prodeūt colore primùm viridi, & per maturitatem nigro, craſſo intus nucleo. Aſpernatur algentes & frigidos tractus, quòd calida ſit. Prouenit cùm ſemine, tum auulſione, ſi quis illam ſerat ſurculis ablatis. Vſus eius ad baculos & ſcipiones, quibus & perpulchris & leuibus, caduca & nutans innitatur ſenecta. Vaticinationis arbor eſſe fertur. Vnde Apollini lucidiſsimo & igneo ſacra eſt, vt teſtatur Porphyrius in libello de Sacrificio & magia, et ob id ignes manifeſto crepitu abdicat (Plinio autore) ignitisq; & flammiuomis fulminibus, vt poſteà dicemus, palàm reſiſtit: quòd etiā nonnihil Iouia ſit. Nam in Iouis gremio per templa quoties noua victoria lętitiam attulerat, deponebatur. Pacifera itaq; hæc arbor, victoriarum ſemper fuit index, lætitiæ ſemper nuncia, & ob id militum arma, Pontificum ædes, Imperatorum faſces olim decorauit. Id quod ingenioſus ille poëta nec ignorauit, nec tacuit, dū Apollinem de ſua Lauro, κατὰ ἀποστροφὴν, ad hunc loquētem modum introducit:

scriptio pulcherrima.

Lauri præſtantia & quód à fulmine non feriatur.

Arbor eris certè, dixit, mea: ſemper habebunt
Te coma, te cithara, te noſtra, Laure, pharetra:
Tu ducibus lætis aderis, cùm læta triumphum
Vox canet, & longas viſent Capitolia pompas.
Poſtibus auguſtis, eadem fidiſsima cuſtos
Ante fores ſtabis, mediamq; tuebere quercum:
Vtq; meum intonſis caput eſt iuuenile capillis,
Tu quoq; perpetuos ſemper gere frondis honores.

Laurū Apollinis arborē eſſe, ex Ouidio.

Illa eadē boni genij arbor eſſe fertur: vnde etiam

dæmonibus aduerſatur: nã vbi Laurus fuerit, inde illi recedũt: vt à Caſsio Dionyſio Vticenſi γεωπονικῶν Magonis interprete, ſcriptum & adnotatum eſſe reperi. Addit præterea, quòd neque dæmon, neque morbus ſacer locum infeſtare poteſt in quo laurus fuerit: imò verò neque fulmẽ, quod ſæpenumero ab aëris ſpiritibus & poteſtatibus, Deo ita permittẽte, excitatur. Traditur de eadem arbore quòd ſanitatem efficiat: vnde etiã folia ipſius vnà cum caricis à populo Romano Calendis Ianuarij Magiſtratibus porrigebantur, boni ominis nuncio, vt autor eſt Plinius. Cùm antiquitùs laurei rami inter armatos hoſtes prætendebantur, firmum quietis erat indicium. Hæc vna arborum ſola eſt, quæ Romæ è cœlo miſſa à Ioue fuit, vt ea Imperatores coronarentur. Etenim cùm Liuia Druſilla, quæ poſteà ex cõnubio, Auguſtæ nomen accepit, pacta eſſet Cæſari, contigit gallinam conſpicui candoris, ea ſedente in hortis, ab aquila in eius gremium ex alto, abſque vlla læſione, demiſſam fuiſſe: intrepideq́ꝫ miranti aliud acceſsit miraculum, quòd teneret roſtro laureum ramum ſuis baccis onuſtum. Conſulti aruſpices iuſſerunt auem ſeruari cum futura ſobole, & ramum ſeri ac ritè cuſtodiri. Qui poſteà adeò creuit & ſe propagauit (licet radicibus caruerit) vt breui tẽpore populoſam fecerit ſyluã: ex qua poſteà Cæſar triumphans laurum in manu tenuit, & coronam in capite geſsit. Quod deinde à reliquis Cæſaribus factum, obſeruatumq́ꝫ fuit: contigitq́ꝫ inde, vt Romæ plures laurorum ſyluæ longè lateq́ꝫ vireſcerent, quæ ob id laureta vocabantur: traditusq́ꝫ mos eſt, Plinio autore, ramos ſerendi quos manu tenuerant Imperato-

Mira lauri natura & prodigioſa.

Pulchra hiſtoria de lauro & gallina demiſſis in gremiũ Druſillæ Auguſtæ.

Vnde Romę tot laurorũ copia.

ratores: & obseruatum sub cuiusq; Cæsaris obitum, arborem ab ipso institutam elãguisse, ac vltimo Neronis anno syluam totam cum gallinis omnibus interijsse, vt tradit Suetonius in vita Galbæ. Laurum dijs gratissimã esse arborem, vel illud de multis indicare potest, quia manu satarum receptarúmque in domos, fulmine sola non icitur. Quod equidem fulmẽ nec diuinitatis, nec principum amplitudinis ratione habita, plerunque turres templorum excelsas deijcit, superba mũdi palatia dilapidat, & homines sæpenumero immaniter atterit, vna arborũ lauro salua & incolumi, nisi in futuræ calamitatis signum & prodigiũ: ac ne quidem ædes in quibus illius fuerint rami, de cœlo tãgi, pro certo creditũ est. Proinde Tiberius Cęsar fulminum metuentissimus, cœlo tonante, lauro coronabatur, poëtarum more, quorum tempora virente lauro præcingi solent éstque Apollineorum Musas colentium præmium: Phœbo, inquit Maro, sua semper apud me munera sunt laurus, & suauè rubens hyacintus. Olim in prophanis vsibus laurum & oleam pollui moris non erat: vt ne propiciandis quidẽ numinibus accẽdi ex his altaria, aræve debebãt. Cęterùm, corui, occiso chamæleõte, deuorata lauri fronde infestum virus extinguunt: hac etiam graculi, palumbes, merulæ, & aliæ aues quamplurimæ annuum fastidiũ purgare consueuerunt. Addo, quòd tanta vi pollent lauri virentis rami, vt his per arua defixis, rubigo, summa segetum pestis, abigatur, transeatq; illa, ex Plinij & priscorum geoponicorum sententia, in eorum folia ex aruis. Porrò, hîc nec tacendum nec omittendum mihi duxi, quòd laurus ex se vim habet ignẽproducen-

Quando fulmine tangatur laur⁹.

Tiberius Cæsar fulminum metuẽtissimus.

Lauri ramos pollere contra rubiginem.

ducendi. Quippe, ſi exſiccatæ lignum ligno frequētiùs teratur ſuperaſperſo ſulphuris puluere, aut arido fomite alio, ſtatim ignis exiliet: idquod Plinius paulò aliter quàm Matthiolus tradit: Si lauro, inquit, teratur hædera, laurumq́ terat eadem, ignis excutietur: itaq; teritur lignum ligno, flammamq́ concipit attritu, excipiente materia aridi fomitis fungi, vel foliorum. Exploratores hos vſus in caſtris, & paſtores repererunt: quoniam ad excutiēdum ignem non ſemper ſe offert lapidis occaſio. Sunt qui moro idem tribuant, & aliјs pleriſque arboribus, è quibus igniaria fiunt. Penè præterieram, quòd in Ponto circa Heracleā laurus erat, quæ, vt ferunt, tumulum regis Bebrycum tegebat, quam vocabant inſanam: quoniam ſi quid ex ea decerptū inferebatur nauibus, iurgia fiebant donec abiјceretur. Lauri folia vſui ſunt ad ſiccas ficus ſeruandas, vt ſcribit Petrus Creſcētius georgicographus non ignobilis: eadē prætereà non ineptè, inquit ille, remiſcentur gelatinæ, ſic vocatæ, ad odorem conciliandum, ſi febris abſit. Sunt etiam qui circa cidoniatum inſpergant: ſed hæc cocis curanda relinquemus, vt medica medici tractemus. Venio itaque ad medicas & auxiliares lauri & baccarū eius facultates, ex Græcorum, Latinorum, & Arabum medicinæ profeſſorum placitis et obſeruationibus. Cortex radicis lauri, vt autor eſt Galenus, calculos confringit, & iecori prodeſt, ex vino fragrante bibitus triū obolorum pondere. Lauri cymæ tenerrimæ vnà cum calamintha & ſale tritæ, & ex aqua tepida ſumptæ, aluum concitant, pituitamq́ & lumbricos celeriter eiјciunt. Eædem cum nardo in vino feruefactæ, aurium grauitatem & ſonos curant,

Laurū producēdi ignē vim habere ex ſe.

Lauro quando & quomodo vtantur coci.

Calculi, iecur, lumbrici & aures.

curant, si calentis decocti vapor per infundibulum in aures excipiatur. Laurus, quod scriptum anteà oportuerat, excalfactoriam & emolliẽtem habet facultatem, tam folijs, quàm cortice & baccis: ob id eius decoctum prodest vuluis insidentium, ac vesicæ vitijs auxiliatur. Viride foliũ tritum, vesparũ, crabronum, & apum ictibus illitu resistit, adhæc serpentium venenis. Podest mensibus fœminarum cum oleo coctum, & inflammationes cum pane ac polenta mitigat. Terna folia tenerrima per triduum commãducata, ex recenti butyro, liberant à tussi. Germina cum polenta trita, oculorum inflammationes, cum rosaceo & ruta testium, & cum irino oleo capitis doloribus auxiliantur. Eadẽ cum melle trita suspirijs commendantur: sed pota vomitiones mouent. Quanquam cortex radicis calculos dissipare fertur, nihilominus grauidis summoperè est cauendus, nam partus enecat. In remedio iacentis vuulæ, foliorum, baccarúmve decoctum ad aquę ternas partes, gargarizata calido exhibetur, & salubriter ad alui, intestinorúmque dolorem propinatur. Trita lauri folia, subindeq́ olfacta, pestilentiæ contagia cohibent: tanto magis si vrantur. Sunt qui celeritati partus multùm conferre putent lauri radicem, acetabuli mensura ex aqua potam, sed eam in rem efficacior habetur recẽs quàm arida. Tenerrima folia trita in vino, & illita, pruritus noctibus delent. Baccæ lauri, quæ Græcis δάφνιδες nuncupantur, magis quàm folia calfaciunt. Cum melle vel passo, aut eclígmate cum aqua mulsa, tabescentibus prosunt: eodẽ modo & omnibus thoracis rheumatismis: nam & excoquunt pituitam, & eam expectorãt.

Vterus, vesica, menses, venena & inflammationes.

Tussis, oculi, testes, caput, suspiria, vomitus, & calculi.

Vuula & intestina.

Partus & pruritus.

Tabes, thorax, & columella.

Restituunt prolapsam columellam, si cum æquali pondere cumini, hyssopi, origani et euphorbij, melle excipiantur, & summo capiti calidè applicentur. Eædem cum triticeo furfure iuniperi granis & allio contritæ, & super calente tegula vino subinde respersæ, pubíque admotæ, suppressam & remoratam vrinam euocãt. In capitis dolore, numero impari eas ex oleo conterere, calfacere & admouere iuuat. Ex vino bibuntur aduersus scorpiones. Tritæ & appositæ, vel ex vino generoso, si absit febris, potæ, menses trahunt. Epinyctides & vitiligines ex oleo illitæ emaculant, & lentigines vlceraq; capitis manantia ac furfures tollunt. Succus earundem cutis pruriginem & phthiriasim emendat. Sptem lauri baccæ à prægnantibus popediem parituris, cùm se dormitũ recipiunt, deuoratæ, facilem, fœlicémque partum præstant. Bibuntur ex vino aduersus scorpiones. Veterem tussim & orthopnœam sanant. Baccæ illius lauri quæ tenuiora habet folia, serpentibus, araneis, & scorpionibus cum vino aduersantur, illinunturq; salubriter lieni ac hepati, ex oleo & aceto, necnon gangrænis cum melle. Recẽtium succus, aurium dolori ac grauitati instillatur cum vino vetere & rosaceo, earundemq; strepitum coërcet. Ad fatigationes & perfrictiones succo earundem vngi, nitro adiecto, summè prodest. Venenata omnia laurino oleo perunctos fugiunt: Quod vnum etiam discutiendis neruorum vitijs, doloribus lateris relaxandis, & febribus frigidis vtile est, adhæc aurium grauitati in cortice punici tepefactum. Sic autem oleũ id conficies. Baccas lauri quamplurimas maturitate turgentes in calida aqua discoque, & vbi diu ferbue-

Vrina, capitis dolor, menses, vitiligo, & lentigines.

Prurigo, phthiriasis, parturiẽtes.

Tussis & orthopnœa.

Lien, hepar, gangrænæ, aures, et perfrictiones.

Nerui, latus, febres, aures.

Oleum lauri ad neruorum vitia,

ferbuerint, olei quod ex ſe dimiſerint ſuperna-tantis vndam, pennis leniter cogentibus & de-ducẽtibus, in idonea vaſa transfunde, & in vſum ſerua. Ex Plinio & Columella id poſtremum eſto, & ad ſuperiora veluti πάρεργον habeto. Pituitæ gallinarum medicina eſt in fame, & cubatus in fumo, vtique ſi ex lauro, vel herba ſabina fiat. His poſitis, ad Iuniperum, eiúſque baccas & vernicem commodùm tranſeo.

lateris dolores, febres frigidas, & aurium grauitatem.

Gallinarum pituita.

Iuniperus, & eius baccæ, ac vernix, cum medicis eorundem facultatibus & auxilijs.

AREA VII.

HIC de Iunipero, quæ Gallis noſtratibus *Geneura* nuncupari ſolet, eò libentiùs, & alacriùs ſcripturus ſum, quòd eius rami et caudices non illepidè topiarias hortorum vites & celebres attegias in magnatum viridarijs fulciãt & ſuſtineant. Adhæc, quòd eius ligna plenis nauigijs Lutetiam deferantur in vſus varios, & faſciculatim per compita à baiulis hominibus declamentur, fouendis & recreandis ex illorum igne, calore & odore, cum corporibus, tum animis & ſpiritibus: Nam fumum vbi aduruntur non iniucundum expuunt & effundunt. Qui eximia odoris ſuauitate graſſantia peſtilentiæ contagia excludit, & ſæuientem perniciem eluit. Sed ad eius hiſtoriã accedo. Iuniperi genera duo, apud nos, vt etiam alibi reperiuntur, montibus vernacula. Vnum, humile, ramulis in terra ſeſsilibus et parum ſe ab humo attollentibus: quibus ſpina eſt pro folio, coronarij roſmarini æmulo, ſed

Iuniperi vſus in magnatũ viridarijs.

Lignorum Iuniperi fumus contra peſtilentiæ contagia.

Duo genera Iuniperi.

anguſtiore, baccis primùm virẽtibus, deinde per maturitatem nigris, & nouis ſemper caducas occupantibus. Alterum, ſublimiùs adoleſcit, caudice procero, cortice fragili & leuiter fatiſcente, ligno fuluo & odorato, latioribus ramis aculeorũ aceruo ſtipatis, & baccis alteri ſimilibus: vtrique facies horrida, & pungentibus ſpinis minax, coma perpetuò virente, abque flore. Montes & colles lapidoſamq́ humum amat vtraque: ob id in planis vel ægrè naſcitur, vel humilis & abiecta in his iacet, cubilibus ſanè quàm opportuna & grata cuniculorum: nam illius baccis & pilulis libẽter veſcuntur: ex quo iuniperum olere, dum menſis apponũtur, & eduntur, vulgò dici ſolet. Porrò, licet iuniperi, vere nouo, cum alijs germinẽt arboribus, nihilominus omnium tardiſsimè fructum reddunt. Nam nouus fructus in ijs autumno pendet, recénsque veterem, vt diximus, occupat, & ita ad bimatum prorogatur, baccis ſubnaſcentibus, quæ biennio hæreant, & ſi in arbore relinquantur marceſcant & corrugentur: ob id decerpuntur, & aliquandiu cõditæ ſeruantur in vſus, paulò poſt tibi exponendos. Iuniperi lignum & materia fabricis tam ſub dio futuris, quàm terra obruendis admodum conuenit, ad multas annorum centurias incorrupta perdurans. Quod memorabili hiſtoria, ex Plinio, apertum notúmque faciemus. In Hiſpania, inquit, Sagunti aiunt templum Dianæ Epheſiæ à Zacyntho aduectæ cum conditoribus, annis ducentis ante excidium Troiæ, vt autor eſt Bocchus, infraq́ oppidũ ipſum id haberi. Cui pepercit religione inductus Annibal, iuniperi trabibus, etiam nunc, inquit Plinius, durantibus. Hinc ſanè mirari

Cur Iuniperum ſapere dicantur cuniculi.

Iuniperi materia ad multos annos incorrupta manet.

rari

çari non licet, si Chymistæ asseuerent carbonem iuniperinum accensum, & suo cinere obrutum, ignem integro anno fouere. Sed de arbore satis, nunc demum de illius gummi agēdum. Sunt qui tradant iuniperum æstiuis solibus lachrymam sudare, quæ caloris vi durata in gummi coëat, quod vernicem nuncupant; colore vbi primùm metitur, candido, dum senescit luteo, & nimia senecta in rufum degenerante. Præstantissimum, claro nitore lucet, ac prunis iniectum nidorem thuri nō cedentem expirat. Eo vtuntur scriptores pēnarij ad poliendā & exasperandam papyrū. Si colores quiuis infectorij eodem aliquantulū imbuantur, ita tinguntur, vt pertinacius hęreant, quàm deleri facilè possint: Quibus si farina eiusdē superiecta fuerit, summum nitorē conciliat. Non omittam quod ex syncero vernice & oleo ex lini semine presso, fit vernix liquidus. Cuius vsus est ad illustrādas picturas, & ad nitorē ferro conciliandum. Vtilis etiam ad ambusta, & pręcipuus ad dolores ac tumores hæmorrhoidū. Sed id ad medica iuniperi auxilia reseruandū erat: de quibus sese hîc offert dicendi locus. Verumenimuerò, prius quā id aggrediar, & de medicis iuniperi facultatibus dicā, precium operę facturum me puto, si defunctoriè & obiter admoneā medicinæ candidatos, (ne pro re salutari venenum exhibeant) quòd vbi Arabes sandaracham medicamentis inserendam præcipiunt, gummi iuniperi miscendum intelligant. Vbi verò à Græcis sandarachæ fiet mētio, fossilis illa, rufa & auripigmento similis, concipiatur & vsurpetur. Nam sæculo Dioscoridis & Galeni, vt volūt, nondum venerat vernix in vsum, nisi succini nomine, cui & dotibus naturæ, & viribus

Carbonem Iuniperi integro anno ignē fouere.

Vernicis Iuniperi color præstātia, & probatio.

Vernix liquidus & eius vsus.

Pulchra & summè notanda de vernice & sandaracha.

proximè accedit. Nunc ad medicas iuniperi & partium eius facultates calamum conuerto.

Vrina, hydropici scabies, pruritus, & podagra.

Ex iuniperino cinere & vino albo paratũ lixiuium, si hauriatur pondere vnciarum quatuor, valentissimè vrinam pellet. Quo auxilio visi sunt etiã hydropici sanati, nullo alio, diebus aliquot, adhibito remedio. Idem lixiuium scabiem curat & pruritum tollit, vbi eo sese perfuderint affecti. Paratur & ex iuniperi ligno balneum admirãdæ virtutis & facultatis ad podagricos, hac forma.

Balneũ præstantissimũ ad podagricos,

Accipe ligni iuniperi in scobem attriti & derasi libras XII. coque ex aqua in lebete magno, donec pars tertia fuerit consumpta: tum demum decoctum vnà cum ligni rasura in labrum proijce, & in eo æger vmbilico tenus sedeat, ac ibi excruciata membra, corpore præpurgato blandè foueat. Vidimus, inquit Matthiolus, nonnullos podagricos in Bohemia, perpetuo cruciatu languẽtes, & in lectulo miserè iacentes, eo balneo aliquoties vsos, adeò reualuisse, vt expeditiores, quàm anteà, ad solita negocia redierint. Fit & ex iuniperina materie oleum per descensorium, vt Chymistę loquuntur, duobus aduersis fictilibus tum pariter vitreis instrumẽtis: quod calidũ ore contentũ carnificinam dentiũ mirificè demulcet, si ex frigida defluxione processerit. Sed ex baccis iuniperi longè præstantius euadit, & iucundissimo odore summè placet. Foliorum succus illinitur, bibiturq; vtiliter cõtra viperæ morsus. Cinis corticis lepras exterit: & tam folia, quàm ligna accensa serpentes fugant. Nũc de baccis dicendũ. Baccæ iuniperi vtiles sunt doloribus ventriculi, pectoris & laterũ, siue sumantur, siue ex earũ decocto partes illæ foueãtur. Eædẽ & lauri, cuiusq; septe-

Oleũ iuniperinũ ad dentiũ cruciatus mirum.

Ventriculus pectus, latus & partus.

ſeptenæ, additi cinnamomi vulgaris drachma, ſi in turturis ventrem confracta immittantur, & turtur inter aſſandum gallinaceo adipe perfundatur, & tum demũ mulieri propediem parituræ diebus alternis in eſcam veſperi exhibeatur, prægnãs facillimè & nequaquàm laborioſè, vt ferũt, pariet. Iucundum ſanè remedium ac ſuaue. Eædẽ ex nigro vino potæ, aluum, ventriſque tumores ſiſtunt, & vteri ſtrangulatibus proſunt. Saccharo condîtæ, aut ex vino generoſo coctæ, inflationes, tormina, eorumque langores diſcutiunt, tuſſes concoquunt, & vrinas mouent. Confractæ, vino albo incoquuntur, vnà cum roſis, cupreſſi pilulis & myrti folijs, ad dẽtium cruciatus. Sanè ſi quis hoc decocto calido, addito aquæ vitæ momento, os colluerit, vel inſuccato ibidem linteolo, dolentem dentem veſtiuerit, extemporaneum & mirabile experietur auxilium. Coxarijs, ſeu iſchiadicis quaternæ iuniperi pilulæ, ex vino albo vtiliter propinantur. Addo quòd & baccarũ & foliorum decoctum hauſtum, menſes valentiſſimè proritat & elicit. Sed de baccis hactenus, vt vernici ſeu iuniperino gummi ſuũ demus locũ: cuius vſus frequens occurrit. Iuniperi gummi, quòd vernicem nuncupari diximus, ſanguinem naribus ruentem ſiſtit, ſi cum oui cãdido teratur & temporibus ac fronti illinatur. Ventriculum in bilioſos vomitus effuſum cohibet, ſi eius farina in ouo ſorbili deglutiatur: quæ etiã cruentam alui proluuiem coërcet. Neruorum reſolutionibus quas humores frigidi contraxerunt, opitulatur. Capitis deſtillationes ſuffitu diſcutit: & fluentes hæmorrhoidas illitu ſupprimit, ſanguiniſque excreationes cum idonea materia retinet.

Aluus, venter, vterus, tuſſis, tormina, & vrina.

Remediũ extemporaneũ ad dentium carnificinã.

Iſchiadici & menſtrua.

Sanguis nariũ, vomitꝰ, alui proluuies, neruorũ reſolutio, capitis deſtillationes & hæmorrhoides.

Sanguinis excreatio,

vomitus, alui fluor, rhagades, catarrhus.

Vomitionem cum polline thuris & oui albo exceptus supprimit, si ventriculo calidè admoueatur: aluum quoque fluentem illitu retinet. Addito rosaceo vel myrtino, sedis rimas claudit: & hiantibus frigore pedum, manumue, scissuris, illitu succurrit. Catarrhum suffitu suspendit, arcetque ne præceps ad ima decumbat. Pituitam, quæ in ventriculo, vel intestinis hæserit, valenter expedit: & humorem qui à cerebro deorsum perniciter ruit, pulchrè continet. Fumus per infundibulum exceptus, dentium cruciatus mulcet, vbi ad dolentes peruenerit. Vliginosos fistularũ sinus, vernicis puluis ijs inditus resiccat, & mensium profluuia sistit. Grauedini suffitu auxiliatur. In summa, vernix viribus & facultatibus succini, vt diximus, pollet: calfaciens & exsiccans secundo recessu, & nonnihil amaritudinis præ se ferens, quod hic postremum erit.

Dentes, fistulæ, menses, grauedo.

Sambucus arborea, & herbacea altera, Ebulus nuncupata, cum medicis vtriusque facultatibus & auxilijs. AR. VIII.

SAmbucus, vel, vt Quinto Sereno placet, Sabucus, Ἀκτὴ Græcis, & *Sus* vel *Suseau* Gallis vocata, duorum est generum. Prius in hortorum & vinearum sæpibus frequens & medullosum visitur, vmbellam, seu muscarium gerens candidis flosculis illustre: qui tanta odoris suauitate placent, vt eorum conditurâ nostrates acetum iucundissimum faciant. Semen fert baccis, seu acinis mollibus & paruis, lentoque humore scatentibus, & sanguineo colore manus inficiẽtibus Materies ei mirè firma datur, & ob id scutis faciendis, vt perhibet Plinius, aptissima. Nam accepta

Duo Sambuci genera.

Materia Sãbuci scutis faciẽdis apta.

pta plaga, (vt de ficu, tilia, salice, betula, & vtraque populo, ille idem testatur) se protinus contrahit, clauditque, & ob id ferrum contumaciùs transmittit, aut transmissum pertinaciter retinet. Alterũ sambuci genus agreste potiùs quã hortẽse Gręcis chamæacte (quòd humi breuius iaceat, ac si esset pumila sambucus) Latinis Ebulus, & Gallis Hyebla dictum, herbaceo generi propius accedit, quàm arboreo, quadrato caule constans, densis articulis geniculato, cui folia ex interuallis circa nodulos expandũtur, amygdalinis haud dissimilia, præter serratũ marginis ambitũ. Graui odore planta hæc nauseã mouet, flore, acino, & muscario, sambuci æmula: sed odore longè dispari. Nascitur in opacis, vliginosis, & aquosis locis. Hæc perfunctoriè & obiter de vtriusq; sambuci pictura & effigie scripta sint: Superest vt eodẽ penicillo, medicas vtriusq; facultates depingere, ꝓ nostræ Mineruæ tenuitate satagamus.

Ebulus seu humilis sambucus.

Stillatitia aqua radicum Sambuci maioris, & item minoris, hoc est Ebuli, hydrope tympanite laborantes mirificè iuuat: si huius vnciæ binæ, illius verò quaternæ, vtrisq; simul mistis, ab ęgrotante diebus xxx. cõtinuis hauriãtur. Eiusdẽ sambuci tenerrima folia, quæ primo statim germina erumpunt, vnà cum pari põdere radicũ plãtaginis, suillæq; axungiæ veteris trita & subacta, podagricos dolores præsentaneo remedio placant. Succus foliorum, collectiones cerebri, & priuatim mẽbranæ quæ circa cerebrum est, infusus lenit. Eiusdem, vt etiam ebuli, decoctum, recenter ambustorum inflãmationes refrigerat: & canis morsum cum polenta sanat, mollissimis foliorũ appositis. Aqua è sambuci floribus fronti & sincipiti

Hydrops tympanites.

Podagra, ambusta, cerebrũ, canis morsus, & capitis dolor.

cipiti illita, capitis dolores mitigat, qui à calido humore processerint. Foliorum teneritudines & germina ex oleo & sale eduntur, ad pituitã & bilem detrahendã. Acini tingunt capillũ. Vtriusque sambuci decoctũ in vino veteri, foliorũ, seminis, vel radicis, ad binos cyathos potum, aluo aquas detrahit: sed ventriculo summè est noxiũ, nisi roborãtibus tam intus q̃ foris ille præmunitus fuerit. Succus è cortice radicis expressus, vomitum valentissimè mouet, & aquã intercutẽ excludit: præstat idem è radicibus extractus. Vsta sambuci folia & in puluerẽ trita, fluentem è naribus sanguinem sistũt. Decoctionis radicis & vini cyathi duo, hydropicos exinaniunt: & foliorum decoctũ, insidẽtibus vuluas & vteros emollit. Resistunt folia serpentium ictibus in vino pota: & illiti cauliculi cum hircino seuo, podagris valde prosunt. Sed ad omnia efficacior est sambucus minor. Baccarum vtriusque succus à recremento suo purgatus seu defæcatus, si cum melle optimo coquatur ad Zulapij consistentiam, aurium dolores tollit, si calidus imponatur. Fungi qui ad imã sedem caudicis sambuci reperiuntur (auriculam Iudæ proditoris vocant nonnulli) in aqua rosacea macerati, capitis dolores & columellę inflammationes emendant. Hoc loco mihi prætereundum non est, sambucinum vnguentum omnium præstantiss. ad ignis ambustiones, quod hoc paratur modo. Accipe corticis viridis sambuci, qui statim sub primo delitescit libro herbacei coloris, libram vnam (vel quantum libuerit, habita sequentiũ ratione) olei pluries loti in stillatitia florũ sambuci aqua, libras duas, ferueant simul aliquandiu: deinde in colatura expressa adde ce-

Hydrops, vomitus, nariũ sanguis, vteras, podagra & serpentes.

Iudę auricula auriũ dolor, & columellæ inflãmatio.

Compositio vnguẽti sambucini præstantiss ad ignis ambustiones.

ræ no-

ræ nouę & odoratę, necnon ſucci ſurculorũ ſambuci, cuiuſq; vncias quatuor: rurſus ferueãt quouſque ſuccus exhauriatur & vaneſcat: tũc ab igne auferto, & rudicula agitato, vt omnia ritè pmiſceantur: ſub finem, adde vernicis liquidi vncias duas, & ouorum duorũ albumina, diu multũq; cochleari agitata. Tum demum miſce omnia diligenter, & mundo vaſe ea in vſum reſerua. Hæc Andreas Matthiolus. Ad Ebuli medicas facultates accedo.

Aluus, pulices, muſcæ, procidentia ſedis.

Ebuli, ſeu minoris Sambuci, caules tenelli & cymæ, cum butyro recenti, vel oleo & ſale ſi coquantur, aluum lubricabunt, & ſparſa ex ſimplici decoctione foliorum aqua, pulices necabit, ac muſcas fugabit. Radicum ſuccus procidentem ſedem reprimit, & anginam tollit, ſi calidus illinatur circa gulam, & inſuccato eo linteolo, exteriùs admoueatur. Semen per diutinas & multas aquæ lotiones à nigro circunſtante ſucco repurgatum, datur vtiliter ex decocto chamępythios podagricis, iſchiadicis, & Hiſpanica lue laborantibus. Nam deiectoria vi eorum dolores eximiè mulcet, quòd ruentes in partes affectas humores partim reuocet, partim excludat. Radix in vino decocta & cibis data, hydropicos iuuat, & vteri ſpiracula laxat, eiuſque vitia emendat. Sunt qui Ebuli radicibus ſuccum eliciant, & ſubinde inſolent, ac in paſtillos digerant, & ad idoneum opportunumque vſum ſeruẽt. Hic clyſteribus infuſus, tam inteſtinorũ, quàm coxendicum dolores à frigiditate & flatu obortos tollit. Quinetiam vtiliter fœminarum locis ad menſes euocãdos ſup ponitur, præſertim ſi lana exceptus intromittatur. Ebuli decocto commodè & ſalubriter ſuffi-

Podagra, iſchias, hiſpanica lues.

Hydrops, vterus.

Inteſtinorũ & coxendicũ dolor, mẽſes, & cachexia, ſeu mali corporis habitus.

untur


untur qui febre diuturna vexati, in cachexiam, hoc eſt, malum corporis habitum deuenerunt: dum modò ventriculus & iecur interim odoratis aſtringentibus, & ad id conferentibus medicamentis, opportunè roborentur.

HActenus quam breuiſſimè potuimus, ſed non tam accuratè quàm voluimus, medicas hortenſiũ materias, & earũdem facultates, methodo, vt res ipſa poſcere videbatur, perſpicua, & diſtincta, perſtrinximus, docere potiùs, quã ornare contenti. Hoc potiſſimũ conſilio vt tenuis fortunę hominibus, vrbanis ac ruſticis, quò nos inuitat chriſtiana charitas, aliqua ex parte populari iſta medicina conſuleremus. Quibus quoties libet nõ licet medicos accercere, aut inuiſere, et à pharmacopœis cõpoſita medicamenta, vel alia, ſumptu magno comparare. Prætereà, vt medicinę ſtudioſis feneſtram aliquam aperiremus ad huiuſcemodi auxiliares hortulos, patriæ, parẽtibus ac amicis, vbicunq; locorũ fuerint, deſcribendos, colendos, exponendos, & pro cuiuſq; facultatibus, elegãtius exornandos. Si in id conſilij rationes traducent ſuas, curabunt vt vetus medicina, & priſcus medendi vſus, ab omni impoſtura & ſuſpicione alienus, in apertam & deſideratam lucẽ, veluti poſtliminio, aliquando redeat: magno ſane, & indicibili poſteritatis commodo.

FINIS.

ARTIFICIOSA METHODVS COMPARANDORVM HORTENSIVM FRVCTVVM, OLERVM, RADICVM, VVARVM, VINORVM, CARNIVM ET iusculorum, quæ corpus clementer purgent, & varijs morbis, absque vlla noxa & nausea, blandè succurrant.

Autore ANTONIO MIZALDO
Monluciensi, Medico.



COLONIAE AGRIPPINAE,
Apud Ioannem Gymnicum, sub Monocerote, M. D. LXXVII.

NOBILI ET ERVDITO VIRO EMONDO DE LAIGE, REGIS IN SVPREMO SENATV PArisiensi Consiliario, & Cœnobiorum B. Mariæ de Fontenayo, necnon S. Memmij, & de Miserayo Abbati, pio iuxtà ac benefico, ANTON. MIZALDVS Monluciensis, S. P. D.

SVPEtioribus annis, dum sedulò mecum retractarem, spectatissime Senator, idemq; Abbas doctissime, quàm turpi sæculorum consensu exolescat prisca Hortorum disciplina, cœpi apud me cogitare, num aliqua via illi, pro mea tenuitate, auxiliares manus vtcunque possem porrigere. Cùm itaque in eam cogitationem diu, multumqúe incubuissem, tandem in animum induxi meum, compendio concludi posse ac prehendi præcipua rerum omnium hortensium capita & secreta, maximè quæ vsui & publicæ vtilitati commodant. Quando itaque Dij facientes adiuuare solent, vt scribit Marcus Varro: & menti bonæ semper occurrit Iupiter, vt est apud Homerum: κηπουρικῶν, seu Hortensium

historiam, pro exiguo, sic satis, Mercurioli mei genio, quatuor Opusculis methodicis ita contexere sategi, vt primum, Hortorum curam, auxilia, ornatum, & secreta quamplurima ostenderet: Secundum, auxiliares & medicas eorundem vtilitates percurreret: Tertium, varias Insitionum arteis proponeret: Quartum, quod nunc prodit, iucunda & benefica medicandorum hortensium olerum, radicum, fructuum, vuarum, vinorum, & carnium quarundam artificia explicaret, quæ corpus blandè purgent, & varijs illius morbis clementer succurrant, absque noxa & tædio.

Hæc Dei Optimi Maximi præsidio, sine quo vanæ sunt hominum cogitationes, vbi tandem absoluissem, & conatus nostros hisce in rebus, vt alijs etiam plerisque omnibus, cùm alias nationes, tum maximè Germaniam, bonarum literarum & sublimium ingeniorum parentem fœcundam, probauisse & laudauisse intellexisset Typographus, semel atque iterum anno præterito ad me venit, exponens dictorum librorum nostrorum Exemplaria, quotquot penes se habuerat, oppidatim & regionatim, ad vnum omnia, auidè à bibliopolis mercatoribus distracta fuisse, & eam ob rem summopere cupere, & enixè rogare, vt per me liberum ei esset, illa eadem denuo incudi literariæ castigatiùs reddere, cum auxesi

auxeſi & acceſsione rerum earum, quibus fusè & variè à me illuſtrata & locupletata eſſe nouerat: Non potui, quod meum eſt ingenium, nec pro officio debui, viro amico, & in commune bonum rem æquam poſtulanti, vltro non acquieſcere. Commiſi itaque, quod dicunt, vela ventis, oramque ſoluentibus liberis noſtris, aut, ſi mauis, libris, bene precatus, eorum publicationem eò libentiùs Typographo conceſsi, quòd ſciam illos à multis, obuijs, vt aiunt, & porrectis expectari manibus: Adhæc, quòd rectè intelligam Hortenſium cultum & curam, principem partem eſſe philoſophicæ agriculturæ. Nec temerè: prodigij etenim ſimile haberi debet, quòd accidat vt res corporibus noſtris, vitæque vtilitati, & omnium incolumitati maximè conueniens, & quæ ſine controuerſia ac dubitatione proxima & quaſi conſanguinea eſt Medicinæ, vſqueadeò negligatur, vt ancillulis, & media è plebe quibuſuis, perfunctoriè, ac veluti per tranſennam, tractanda committatur: cùm olim Regum & principum virorum, vt alibi oſtendimus, ſummo illa fuerit ſtudio & curæ non poſtremæ. Sine ludicris artibus, inquit Columella (qui rem hortenſem diligenter, ſi quis alius, tractauit) atque etiam ſine cauſidicis, ſatis fœlices olim fuere, futuræque ſunt vrbes: at ſine agricultoribus, & hortorum colonis, vrbeis, ne longiùs ſit eundũ, incolentibus, vel non ita procùl

 degen-

degentibus, nec conſiſtere mortaleis, nec vrbanos & agreſtes ali poſſe, certum eſt.

Hæc ſunt, Senator ampliſsime, & Abbas prudentiſsime, quæ me inuitarunt, imò verò impulerunt, vt quatuor iam dicta Hortenſium opuſcula, caſtigatiora, auctiora, &, vt conferenti cum prioribus liquebit, locupletiora in lucem denuo exire libenter annuerim: & ſub tui nominis clypeo, ceu ſub Palladia Aegide, medica hæc Hortenſium Artificia peregrè proficiſci, & per hominum manus volitare, haudquaquam moleſtè ſuſtinuerim, tibiq́ue candidiſsimè ac libentiſsimè deuouerim & obtulerim, tantiſper dum meliora & paulò ſublimiora tibi meditamur. Dignaberis itaque mei erga te animi μνημόσυνον iſtud qualecunque eo vultu eaq́ue manu accipere, qua nuper Hortorum ſecreta noſtra, tibi ex animo nuncupata excipere dignatus es.

Verumenimuerò, moroſus quiſpiam hîc forſitan inſurget, meq́ue inflatis buccis, ad conuicia vſque obiurgabit, quod de tuis virtutibus, autoritate, & eruditione, cùm in hac libri nuncupatione tum etiam alterius, ne verbum quidem faciam, præter aliorum morem & modum. Huic reſpõſum velim, id à me conſultò factum eſſe, quòd certò ſciam te laudanda multò libentiùs facere, quàm facta fuiſſe audire: teq́ue malle tacita laudum tuarum cogitatione, quàm publica illarum prædicatione

frui:

frui: quod prudentis esse, ecquis sanæ mentis denegabit? Sed hæc in præsentiarum satis, vel fortasse plura quàm oportuerit, præsertim apud occupatissimum Senatorem, quem Deus Reipublicæ & nobis & amicis omnibus diu incolumem seruare dignetur. Lutetiæ, Calend. Februa. anno restitutæ salutis humano generi, 1575.

LECTORI CANDIDO. ET AMICO.

COGITO frequenter, amice Lector, quî fiat vt hodie, ſi aliâs vnquam, medica remedia, præſertim quę cõpoſita vocant, in tantum venerint deſpectum, & tã præſentem nauſeam, vt vel ſolo nomine audito medicamenti cuiuſuis necdum viſi, aut guſtati, ita ex tempore fremant, vomituriant, & impalleſcant pleriq;, vt gelidæ videantur mortis imago. An ꝙ in tam multiplicẽ & multiformem varietatẽ venerit medicina (quæ, Plinio autore, vna & ſola imperantibus imperat) vt, vel leui morbo profligando, herbarum, radicum, ſeminum, florum, & aliorum, horrendi plerunq; guſtus & odoris, diuerſiq; generis medicaminum, tota, vt ſic dicam, plauſtra cumulatim, & (ſi ita licet loqui) farciminatim ac variegatim præſcribat, & variè à pharmacopœis miſcenda, tribulanda, & ad nauſeam vſque ſumenda exhibeat? cùm olim illa ipſa, vel ampliſsimo Senecæ teſtimonio, paucarum herbarum fuerit ſcientia, quæ in tam variam & tantam alicubi medicamentorum farraginem hodie eſt progreſſa, vt, vel ad eorum conſpectum ſicuti diximus, vel metnionem, aut odorem, vomituriãt fere omnes, imò verò derepente vomãt plęri-

plærique, & nonnunquam per inferiora aluum largiter exonerent, ac si deiectorium pharmacum hausissent: prout ventriculi eorum vis expultrix sursum, vel deorsum irritata fuit. Hinc nimirum, scribit Antonius Guainerius Papiensis medicus exercitatissimus, se vidisse Ducis Sabaudiæ medicum catapotia è pharmapopolio domum ferentem, ab illis, solo odore, tam strenuè purgatum, quàm si illamet catapotia deglutiuisset. Verumenimuerò non minùs memorabile quàm admirabile habendum puto, quòd Antonius Musa inter medicos Italiæ celebris, eam in rem de se, necnon de matre, & sorore ad hunc scribit modum. Mihi vsu venit vt dum Colocynthidem tractarem, & præsentibus matre ac sorore illam manibus aperirem, ego solo illius attactu, illæ verò odore, adeò soluti fuimus, vt nullus nostrûm fuerit, cui venter decies magna perturbatione commotus non fuerit. Ex quo mirandum non est si odore pharmacorum quæ huiuscemodi simplicia medicamina violenta, turbulenta, & penè dixerim, venenata admittunt, tactu, nedum odore & gustatu, immò verò cogitatione & apprehensione nonnullos offendant, & in illis deiectorij medicamenti locum obtineant. In quam rem dicam quòd mihi aliquando contigit. Imperaueram cuidam sacrifico catapotia, à quibus summè abhorrebat, nihilominus morbi quo tum prehendebatur status illa seriò exigebat: Cùm autem ille medicam nostram schedulam, tota die manu meditabundus gestasset, nihil magis cogitans, quàm illa catapotiorum sarcina se posse eximere & liberare, sub vesperam dum pharmacopœum, vrgente mor-

bo, adire satageret, ecce, ventris tantâ saburrâ est leuatus, vt postridie lætabundus medicam illam scriptiunculam ad me retulerit, dictitans gestationem illius, septenæ purgationis & deiectionis loco ei fuisse præcedente nocte, & ob id bellè valere, & immensas gratias mihi agere. Audis, Lector candide, audis, quid cogitatio & apprehensio pharmacorum, nedum sapor & odor, in multorum corpora exerceat. Narrabo aliud quod hisce oculis vidi, nimirum hominem eruditum, qui quoties iter faciebat proximè pharmacopolium in quo purgans aliquod pharmacum miscebatur, percepto eius odore, vix domum reuersus, vsqueadeò soluta erat aluo, vt idipsum pharmacum sumpsisse videretur.

Notus est mihi itidem alter non obscuro loco natus, qui in pharmacopolio quopiam vel tantillum moratus, adeó aluum sibi sentiebat moueri, vt foras illã depositurus è vestigio exire cogeretur, excitata facultate expultrice à viroso & tetro pharmaci cuiuspiam odore, vel illius saltem apprehensione, à quo totâ abhorrebat naturâ, id cum plærisque commune habens. Sed in his versatum satis: è quibus facilè colligis, Lector optime, pharmacorum vsum permultis adeò exosum, & præter illorum naturam esse, vt mori centies malint, quàm ab eis semel, vt loquuntur, excarnificari, ob causas priùs enarratas.

Quod cùm animaduerterem, priscorum vestigia insequendo, & delicatioribus palatis, exactiorísque sensus stomachis inseruiendo, & visui, olfactui ac gustatui omnium obtemperando,

LECTORI.

do, præsens hocce Opusculum, ex probatorum placitis concinnatum, auctum & castigatum, multisq; locis locupletatum, in commune bonum foras prodire non recusaui. Quod fœlix faustumq; sit precor, & opto.

SVMMA ET PRAECIPVA CAPITA EORVM QVAE CONTINENTVR IN Libello de medicandis hortensium materijs, vt corpus blandè & absque noxa purgent.

Vites

CAPITA COMPONENDORVM VInorum quæ corpus variè purgent, ac diuersis morbis clementer succurrant.

VINORVM MEDICATORVM PARticulares aliquot formulæ & præsidia, ex Græcis Florentini Georgicis.

Ex

EX M. CATONE.

EX DIOSCORIDE.

Ex Arnaldo Villanouano & alijs.

FINIS.

ANTONII MIZALDI MONLVCIENSIS, MEDICI, PVLCHRA ET ARTIFICIOSA METHODVS

comparandorum fructuum, olerum, radicum, vuarum, vinorum, & carnium, & aliorum quæ corpus blandè, & clementer abſque noxa vlla repurgent.

CELEBRIS ille & eximius medicus ARNALDVS A VILLA NOVA tradit in eo Opuſculo quod de regulis generalibus curationis morborũ edidit, prudẽtem & pium medicum ſatagere debere imprimis, vt medicinalibusq; cibis, potius quàm puris medicamentis morbos expellat. Circumſpecti itaque, ac ſapientis medici ingenium ac ſtudium eò maximè conuertetur, vt purgantiũ medicamentorum quę vel ſanis, vel ægris imperat & pręſcribit, ſapor, odor, &, quoad eius fieri poteſt, color grati ac blandi reddantur: vt ſumentium oculi abſque vllo horrore quod offertur aſpiciant, nares ſine deſpectu olfaciant, lingua abſque nauſea deguſtet, ac ventriculus cum vniuerſi corporis aſſenſu, iucundè & perlibenter amplectatur. Nec temerè, nam vt fœtida, ingrata & minùs placentia ſtomachum ſubuertere ac contriſtare ſolent, ſic odorata, iucunda, ac grata eundem exhilarare

Sapientis & circumſpecti medici officium.

Quænã ſtomacho placeant, & diſpliceant.

& roborare consueuerunt. Odore enim iucundo fit, vt non modo iucundius sit medicamentum, sed etiam eo odore spiritus animalis vnà cum vitali iucundissimè reficiatur. Hinc nimirũ graueolentia tam sani, quàm ęgri omnes libenter fugimus. Debent itaque medicamenta purgantia iucunda esse, quatenus licet & fieri potest, vt à ventriculo placidè comprehensa & amplexata in actum facilè deducantur: & ne ex insuauitate nauseam, flatus & fluctuationes pariant. Res ea, ardua sanè, si aliàs in votis fuit vnquam, hoc maximè tempore, esse debet. In quo non tam fastidientes sunt stomachi, quàm delicatula hominũ palata, ac morosi, intractabiles & indignabundi ægrotantes. Nã vel audito solius pharmaci, ceu carnificis cuiuspiam, nomine, necdum viso eo aut gustato, vsq; adeò fremunt, nauseant, cõmouentur, desudant, & expallescunt, vt nihil mors in illis cõmutatura videatur. Quod dũ sollicitè animaduerterem, preciũ operæ facturũ me putaui, si pro ingenij mei tenuitate, facilẽ & expeditã methodũ proponerẽ, qua duce quibus deinceps in suo hortulo, ne longiùs eundum sit, olera, radices, fructus, vuas, &, vt paucis dicam, solita alimenta, in pharmaca & medicamenta purgantia, salubriter ac iucundè possit conuertere. Quæ non minùs grata, quàm salutari impostura, beneficium nec præuisum, nec expectatum (saltem nescientibus) summum adferent. Nam siue manducabuntur, siue ex decocto, vel aliter, haurientur, corpus adeò blandè, & absque vllo tædio, à superfluis & grauantibus excrementis vacuabunt, vt qui sumpsit, dicat, nihil sibi oblatum fuisse, nisi quod assuetum, familiare & quotidia-

Fastidientes & morosi huius ætatis stomachi.

Autoris scopus & institutum.

tidianum erat, applaudente visu, olfactu, gustatu, & ventriculi, corporisque vniuersi, assensu, vt diximus, & complexu sanè quàm grato. Constat tanti artificij lapsis hinc annorum duabus chiliadibus, plus minùs, autores ac inuentores omnium primos fuisse Pœnorum & Græcorum solertes Geoponicos, ac medicos. A quibus, ceu per manus, tam nobile & salutare inuentum accepit, & diligenter excoluit M. Cato, Dioscorides approbauit, Columella non ignorauit, Plinius proposuit, Ioannes Mesuæ intellexit, Palladius non omisit, Arnaldus Villanouanus multùm locupletauit, & neotericorum medicorum, qui rerum experimenta profitentur, diligens obseruatio apprimè confirmauit, ac mirandum in modum adauxit. Beati medici, inquit summus ille philosophus & medicus à Villanoua, quibus Deus scientiam arcanorum naturæ impertiuit, & secretorum suorum conscios fecit. Honora tales, ait, quoniam illos elegit Altissimus, & naturæ quasi socios esse voluit. Sed, prô dolor (inquit) multi sunt ad medicinam vocati, pauci verò electi. His positis superest, vt rem, quod dicunt, acu tangamus, & vnicuique facili methodo ostendamus, quonam pacto deinceps in suo hortulo copiam salutarium ac suauiter purgantium medicamentorum, sibi & amicis comparare facilè poterit. Sic itaque à verbis ad rem transeo.

Catalogus eorũ qui de medicatiõe Hortensium scripserunt.

Sententia verè aurea, sed hodie parũ animaduersa.

De eligendis & apparandis medicis materijs instituto idoneis. CAP. I.

OMNIVM primùm, si fieri potest, ineunda est amicitia fidi ac periti alicuius medici:

& eo præsente, apud quempiam Pharmacopolam vel herbarium, rerum medicarum diuitem, seligenda (si aliter non liceat) sequentium medicamentorum simplicium, purgando corpori accommodatorum, syluula: vt hortenses materias variè purgantes experiaris. Sed medicamenta ea, recentia, &, quoad eius fieri poterit, succosa, ac è multis selecta esse debent: non exsucta, marcida, cariosa, olida, vieta, & ob id viribus exhausta, scopoqúe tuo prorsus inutilia. Si talia comparari non poterunt, saltem his proxima eligentur, & vbi operandum erit expurgabuntur, eluentur, &, si opus erit, negligenter contundentur, ac die vno, vel horis aliquot, sicuti ostendemus, in aqua, vel alio idoneo liquore, macerabuntur: vt ad ingenium redeant, & collabentes vireis recolligant, ne frustretur opus, qua dicemus methodo, aggrediundum. Verumenimuerò, priùs quàm illi manum admoueamus, iucundum erit ac sanè quàm vtile, nosse facultates medicamentorum, quibus hortenses materiæ imbui debent, vt hinc medicatæ ac purgantes euadant, pro tibi proposito scopo. Auspicabimur itaque catalogum à medicamentis, quibus M. Catonem, & ante illum Pœnorum, Græcorúmque geoponicos ac medicos ea in re vsos esse legimus. Hinc gradum facturi ad recentiorum obseruationes, & eorum maximè quos arcanorum naturæ locupletes esse nouimus. Veratrum seu Elleborus, præsertim niger, quo maximè vsi fuerunt prisci, vtramque bilem ac pituitam purgat. Colocynthis pituitam & bilem cum humore muccoso à neruis. Scammonea (succus scammonij plantæ) necnon diachridium, seu scammo-

Electio medicamentorũ huic instituto idoneorum.

Catalogus medicamentorum hortensium cũ facultatibus eorundem

nea præparata. Bilem atram, necnon flauam, ex ſanguine & partibus longinquis, perinde atque planta ipſa. Tithymali omnes, quorum genus agnoſcit Eſula, pituitam, aquas & atram bilem. Cucumer agreſtis, vel aſininus, cuius ſuccum Elaterium vocant, pituitam & muccos à neruoſis partibus. Turbith, pituitam. Lathyris, aquas & pituitam: quomodo etiam Ricinus ſeu palma Chriſti. Thymelæa, quæ Perſis Mezereon dicitur, bilem, pituitam & aquas. Hæc à priſcis inter arborum & vitium medicamentoſas & purgantes materias, connumerata lego. Quæ ſi quis obijciat recenſeri inter violenta pharmaca, & ob id parum tuta eſſe: huic reſponſum volumus, illorum vim ac furias frænari & alterari ſuccis contrariarum qualitatum, quibuſcum miſcentur, &, vt ita loquar, concorporantur, ac tranſſubſtantiantur. Addo quòd illorum impetus frangitur, & ſi quę inſit virulentia, coërcetur via, modo, ac tempore tranſmutationis quam ſubeunt, vt cauſas alias omittam. Recentiores qui rerum ſecreta vigili ſtudio rimantur & perquirunt, de obſeruatione ſæpius repetita promittunt arbores, vites, radices & plãtas, etiam medicamentoſas euadere, à ſimplicibus pharmacis purgantibus, quæ hodie nobis in familiari ſunt vſu, & ſumma carent violentia. Cuiuſmodi ſunt Polypodium, Epithymus, Cartamus, Sena, Hermodactyli, Agaricus, Rhabarbarum, Tamar Indi, Myrobalani, & alia, vt paulò pòſt dicemus. His iactis fundamentis, ſtructuram medicationum aggredior, & ſic δενδριατρίαν noſtram inſtituo.

Reſpõſio ad quædã obiecta.

Quomodo selectarum arbuscularũ fructus ita medicamentosi euadant, vt corpus clementer absque molestia purgare possint. CAP. II.

Quæ arbores eligendæ huic artificio.

CVM volueris tibi comparare fructus purgante facultate, aut alia dote, vt scribemus, præditos, eliges de multis arbusculam cuius tibi visum fuerit generis, sed ferentem fructus generosos ac suaues, humilem et parum supra terram extantem, iuuenem, quæ bimatum, aut trimatum non excesserit: in aëre libero & perflato educatam, læto solo natam, & ab hominum, pecorumq; iniuria prorsus exclusam. Hanc per veris initia, dum omnis parturit arbos, vel paulò antè vt feret anni tempestas & natura, nonnihil supra radicem, ima parte findes, sed cortice clementer tractato, & nulla iniuria affecto. Deinde impactis fissuræ cuneolis osseis, vel ligneis, per longitudinem ad sesquipalmũ, plus minùs, pro arboris corpore & modulo, illam aperies: statimquè quod adapertum erit, emedullabis, si medullam quidem habuerit caudex. Quòd si fissuram non possit admittere, nonnihil vltra matricem, ex alto terebrabis, & apto instrumento, medullę portiunculam, vel eius loco, matricis, aut cordis, vt vocant, quidpiam auferes, vel derades. Ioanni Mesuę hîc satis est arborem locis duobus vel tribus, vnius palmæ interuallo, tenuiter perforari, absque vlla medullæ spoliatione, vt mox dicemus. Quòd si nec terebrationem etiam sustinere possit, ineunda erit via alia, sicuti postea docebimus. Vbi fissuram, aut foramen diligenter expurgaueris,

Primus modus medicandarum arborum.

gaueris, pharmaco ex superioribus aliquo, vel elleboro nigro tuso, vel scammonea, aut colocynthidis succo vel elaterio aut alio, iuxta scopum tuum electo, nonnihil tuso, &, si opus fuerit, macerato vtrunq; ita inescabis, farcies, ac saturabis, vt prouerbij memineris, *Ne quid nimis.* Nam ibi quidquam nec pressum, nec plus æquo addensatum esse oportet, vt nutritioni arboris, & transpirationi suus detur locus, posśitqúe per medullarem syphunculum, aut matricis ductum, vis medicamenti vnà cum alimento sursum liberè ferri, & formando, fouendoq; fœtui sensim subministrari. Posteaquam id ritè peregeris, tum demum latera plagæ, & fissuræ, ablatis cuneis, ita committes, & vtrinque adduces, vt nihil interhiet, aut difflatum, vel rimulā admittat: circumposito etiamnum vulneribus Catoniano emplastro: quod argilla constat, vel creta, & arena cui bubulum fimum recens admistum sit, & ad lentorem vsque subactum. Sunt quibus abundè satis sit, cum Columella, paleato luto benè subacto, plagas obducere, & superiori parti vulneris, muscum, cespitem, cerā, aut picem, tenero cortice vestitam apponere, ne pluuia illabatur, vel à frigoribus, pruinis, niuibus, grandine, aut aliter, arbuscula desuper offendatur. Postremò, omnia vimine, aut vinculo alio diligenter obstringuntur, ne diffluant, aut bestiarum occursu, dissiliant. Eadem planè seruabitur diligentia in muniendo & resarciendo foramine: nisi quòd ad eius ostiolum, paris magnitudinis & formæ teres lignum sic intrudetur, vt exactè foramen claudat. His ad vnguem & opportunè actis, arbuscula suæ relinquetur

Hæc summè notanda, ceu vniuersalia.

Emplastra vulneratis arboribus idonea.

Pulchra Philosophia hortensis & rustica.

naturæ, vt fructus, fauente cœlo, probè coquat, & suo tempore decerpendos foueat. Quos experieris eadem facultate præditos, quâ intrusa medicamenta. Ex quo verè dici poterit, *Patrem sequitur sua proles.* Ioannes Mesuæ Arabicæ medicinæ Doctor præstantissimus docens quomodo fiant pruna quæ aluum subducant, & corpus vacuent, ad hunc scribit modum. Truncum arboris pruni, duobus locis, vel tribus, vnius palmæ interuallo, tenuiter perforant, immissoq; scammonio lutant: pruna ob id purgantiora euadũt. Dantur succo, vel decocto, cum saccharo, ad vnciam vnam. quo loco malè scribi puto, libram vnam. Cæterum, sedulò prospiciendum erit, ne ab erucis, aut alijs germinum prædonibus infestetur medicata arbuscula. Quod ratum esse hactenus obseruatum fuit, ob vim medicamẽtorum, quæ etiam in folia diffunditur. Vnde illa ad multa prodesse nouimus, raroq; vidimus ita medicatarum arborum fœtus verminare.

Obseruanda & cauenda in hac Dendriatria.

Modi sex medicandarum arborum, vt fructus ferant qui corpus clementer purgent. CAP. III.

Secundus modus medicandarum arborum.

QVANDO arbuscula, quo diximus modo selecta, germinum lactescentes oculos aperire, & carbunculos, florum suorũ rudimenta, pandere satagit, statim ac sedulò, vitiũ more vndiq; est ablaqueãda, aut, si familiariùs & crassiùs me loqui iubes, discalceanda, vsq; ad radicũ fibras & venulas. Quæ vbi apparebunt, & ritè expurgatæ erunt, illis sursum ac deorsum fascicu los, vel, vt medicè, imò vero Catonianè & rusticè loquar,

loquar manipulos aliquot, ex suprà memoratis pharmacis, iuxta pręscriptum methodum apparatis, sternes, consepelies, & infodies, superaggesta terra, optimo simo debitè temperata. Si siticulosa erit anni tempestas, matutinæ & vespertinæ rigationis imbre quandoq; recreabitur arbuscula, & ita suæ naturæ in tempus, colligendis eius fructibus opportunum, relinquetur. Hæc prisca est medicandi formula.

Tertius modus medicandarum arborum.

Qui subtiliore sunt Minerua, & rerum arcana penitùs scrutãtur, hanc viam, fœlici successu, inijsse, mihi nunciarũt. Sub finem Martij, insignem ramum quempiam radicis generosæ arboris medium secant: Et quâ truncum vel caudicem spectat, in vas terreum humidis rebus, ijsque medicamentosis & purgantibus, plenum, ita inserunt, & hinc inde claudunt ac obstruunt, vt nihil effluere vel difflari posit. Tum demum regesta terra, cælo & aëri arborem in autumnum, vel tẽpus aliud decerpendis eius fructibus idoneum committunt: quo reuoluto, opus, si quidem necesse erit, initiante vere, iterãt. Non disimili artificio, quo Architectos, & solertes aliquot lignarios artifices, vti nouimus: dum sibi arbores comparare satagunt, quorum ligna variè figurata & picturata conspiciantur. Si quis loco medicamentorũ, vel medicamentosarum plantarum, odores, vel odoratas aquas, aut quid aliud in vas, quo diximus modo, consepeliendum immiserit, non solùm fructus arboris illius, sed folia & cortices, idipsum miraculo quodam præ se ferre obseruabit.

Pulchra & notanda.

Rei huius fidem de experientia sibi factã constanter nobis faciebat, anno 1563. amicus noster

Petri Bellonij cædes deploranda.

Petrus Bellonius, librorum multorum præstantium editione, & totius Europæ & Aphricæ peregrinatione celebris, paulò antè, quàm impius ensis ſcelerati cuiuſdam graſſatoris, vel ipſiuſmet Bellonij (vt fertur) famuli ſub veſperã, non procùl à ſuburbijs Lutetianis, illũ nobis ſuſtuliſſet: dum Regios hortos, quibus erat præfectus, ex mandato Reginæ matris, inuiſere ſatagebat.

Quartus modus medicandarum arborum.

Rem eandem paulò faciliùs aſſequeris, ſi antequam ſaliuet medicanda arbuſcula, circunfoſſis eius radicibus, ſed nullo ictu iniurioſo offenſis, aquam macerationis & infuſionis electorum ſcopo tuo pharmacorum vel plantarum purgãtium, velut ex vbere ſenſim inſtillaueris, & dies aliquot idipſum opportunè repetiueris, vel ſaltem vnaquaque hebdomade ſolicitaueris, donec defloruerit, & fœtus ſui plenum rudimentum tibi exhibuerit. Si Aquilo ſpirabit, & gelu regnabit, defendes quod dicũt à frigore myrtos. Quod fiet iniectis ad radices arbuſculæ tuæ paleis multis fimo pingui ſuperonuſtis: ſed ita, ne fimũ arborem propiùs contingat, & putrente ſuo calore illam funditus perdat. Id laboris & periculi euades, ſi frigoribus exactis, rem totam aggrediaris. Vbi retorrida erit æſtas, ſub crepuſculum vtrunque, ſimili potione, ſed paulò dilutiore, arbuſculam ſubinde refocillabis. Modus hic eſt admodũ expeditus, & paratu facilis. Nã cuiuis promptũ eſt, plantas, vt vocant, laxatiuas, vbiq; inuenire, & ex catalogo primi capitis ꝑ arbitrio ſeligere, ac nonnihil contuſas, diem vnũ aqua multa macerare, & tum demum illa, quo dictum eſt modo vti. Hanc viam omniũ prꝫſtantiſsimam eſſe ſcribit Arnaldus à Villanoua, in operibus medicandarum

Via medicãdi ꝑſtãtiſs.

darum arborum, plantarũ ac vitium, vt proprio dicemus loco. Nam malitia rerum valde alteratur per recessum facultatis earum in aliam substantiam. Ex quo, inquit, sine vlla noxa & periculo facilis sequi solet purgatio ex illis.

Si quis arbusculas huic negotio accommodas non habebit in suo horto, fundo, vel prædio, arbore quantũuis magna, ad hunc modũ vti poterit. Eligat ex ea ramum quempiam generosum et bellè educatum, quem Gallica terebra, aut aliter, ad medullam, vel matricem vsque, & nonnihil vltra, perforet, facto satis amplo foramine, pro rami modulo. Deinde foramen illud medicamẽtis, vt dictum est, inferciat, obturet, vestiat, liget, ac ita naturæ regendum permittat, donec maturos reddiderit fructus, & summè medicamentosos, reliquis ex ea arbore nihil tale agnoscentibus. Modus hic tam est certus ac probatus, vt viderim quandoque pomiferam arborem, à perito artifice colono, quem vno aut altero colloquio institueram, ita medicatam & comparatam, vt quatuor ramis ex eodem trunco natis, poma diuersarum qualitatum & medicinarum proferret, ac alijs quatuor diuersorum saporum & odorum. Quod nec insitione factum erat, nec alio adulterandi artificio, quàm eo quòd hîc describimus. Erat & id summè in ea arbore admirandum, quòd neque folia, neque fructus ramorum ita medicatorum ab erucis aliquo modo infestabantur, alijs eiusdem vndique populatis & erosis. Venio ad reliquos Dendriatriæ nostræ modos, vt ex pluribus habeas vnde seligas.

Quintus modus medicãdarũ arborũ.

Artificiũ valdè pulchrũ.

Sunt qui medicandas arbusculas opportuno tẽpore transplantent, sed ita, vt scrobi illis factæ & de-

Sextus m[odus] medican[da]rũ arbor[ũ]

& destinatæ, selectas herbas medicamentosas, stercoris loco, larga manu priùs substernãt, & radicibus defodiendarum circumponãt, ac demũ adobruãt, remisto pingui lętamine terrę. Si feruida sequatur æstas, & insolens grassetur incendiũ, quale per κυνοκαύματα sæuire solet, aqua maceratio nis plantarum substratis similium, arbusculam idoneis horis reficiunt.

CAP. IIII.
Modi alij admodum faciles, expediti, & probati

Septim⁹ modus medicãdarum arborum.

QVidam ex Dioscoridis consilio, in vino Phthorio, plantas multas, quibus inest purgandi facultas, ad imum truncũ medicandæ arbusculæ disseminant, vel vndecunq; implantant, & adeò profundè illarũ radices infodiunt, vt radicibus arbusculæ, si fieri potest, adhæreant. Quæ ne resiccentur, aut tabescãt, crebra rigatione hinc inde tempestiuè occurrũt, satagunt que vt plantarum facultates purgatrices, ea perfusione, quasi vehiculo, alimentis arbusculæ radicatim permisceãtur, & sursum, vi ramorum attractrice, emulctrice, & vegetatrice, ad fructuum formationem & alimoniam, sensim attollantur. sed ita sunt coaptandæ & disponendæ huiuscemodi plantæ, vt arboris truncum amplectantur & coronẽt. Nam ex illarum ἀπορρ̈οίᾳ & effluuio, aliquid in amplexatam, insensibili trãspiratione, abibit, & conformabitur. Quod sanè absurdum esse non debet: cùm videamus arboreos fructus plerosq;, certarum plantarum sapores ac odores præ se ferre, quas vel substratas habent, vel haud ita procul dissitas. Sic quædam mala, brassicam

Pulchra & notatu digna.

olent

olent, quòd illam vicinam videant, eiusq́ue diurna & nocturna defluuia exhauriāt, ac modo imperceptibili, duce aëre, imbibant. Sic prætereà, vina quædam plus alijs diuretica esse experimur: licet in eodem tractu & fundo omnia nata & educata sciamus. Quod vicinis & socijs herbis ac radicibus, quibus facultas inest ciendi vrinas, ascribēdum duco.

Non defuerunt qui fissuras, aut terebrationes medicandę arbusculæ, iuxta primā methodū artificiosè factas, compositis medicamentis purgantibus oppleuerint, & reliqua præscripto ordine perfecerint. Quod quàm fœliciter, nondum ex illis audire licuit.

Octauus modus medicādarum arborum.

Noui quosdam qui ramum ex selecta arbore ita raptum & vulsum vt aliquid de ea secum auferret, ac generosis fructibus scateret, figulino vase, aut ligneo cado, stercorata terra saturo, altissimè infodiebant, & plātulas purgante facultate præditas, hinc inde comites illi dabant, ęstuq́ue vigente, aqua macerationis plantarum consimilium, diluculo, & vespere, larga manu irrigebant. Id tandiu, positis interuallis, repetentes, donec fructus adultos, & ad vnguem maturos iudicarent. Modū hunc verissimum esse, mihi certò asseruit quidam ex eorū monachorū ordine, quos Celestinos vocant. Nec alijs plantis se vsum asserebat, quàm ijs quæ in publicis cœnobij hortis occurrebāt: nimirum Lathyride, Ricino, Tithymalis, Viola martia, Malua, & similibus. Quarū auspicijs, quo dictum est modo, cerasia, pruna & persica præcocia, sibi comparauit, quę clementer & absque tædio, aluum subducebāt, ad tres, quatuor, quinque, plures vel pauciores deiectiones,

Nonus modus medicādarum arborum.

pro assumptorum quantitate & numero. Addebat se hinc magnam gratiam & fauorem inijsse apud multos præpotentes ac diuites; quos participes fecerat fructuũ suorum medicamentosorũ. Quod hîc scriptum volui & adnotatum.

Decim⁹ modus medicandarũ arborũ.

Postremum erit, quod vna & altera obseruatione mihi hactenus fœliciter, & ex animi sententia successisse deprehendi. Sunt quædam præcocia & fugacia pomorum genera, quæ figlinis, aut ligneis vasis capacibus, aluntur, crescunt, fouentur & maturescunt: dum poma dico, fructus eos cum Grammaticis intelligo, qui molli pelle vel tunica teguntur. Vbi illorum parentes arbusculas defloruisse, & fœtum adhuc informẽ, sua forma velle informare obseruo, tunc liquoribus ex maceratione simpliciũ medicamẽtorum purgantium & scopo meo idoneorum, expressis, nascentes & adhuc lactescentes arbuscularum partus, velut ex vbere, blãdo instillatu & irrigatu foueo, idq; electis horis & temporibus, dies aliquot facere perseuero, paucis contentus fructibus & arbusculis: sed ijs generosis tamen, & ob id accuratè et solicitè educatis. Si retorrida et sicca inualescit tẽpestas, vt hinc sitire videantur, simili liquore, opportunis horis etiam refocillo, & ob rapidum æstum siticulosam terram, ad inebriationem vsque, diluo & irrigo. Hæc de medicandis arborum fructibus vt aluum subducant, satis erunt. Nunc demum nobis explicandæ veniunt aliarum medicationũ formulæ, sanè quàm iucundæ & vtiles.

Arborum

Arborum medicationes aliæ, ad particulares effectus, pulchræ & animaduersione dignæ. CAP. V.

SI ab arbuſculis tui horti, alia exigis medicatā auxilia, quàm præcedentia (quæ aluo duntaxat lubricandæ fuerunt accommodata, & talibus humoribus vacuandis deſtinata, quales medicamenta ipſa mouere apta ſunt) potes, pro concepto ſcopo tuo, quidquid viſum fuerit, arbuſculis ipſis, iuxta præſcriptos modos, committere, & quodāmodo implantare. Itaq; ſi fructus habere voles cōtra peſtem ac venena auxiliares, loco purgantium medicamentorum, cōmodè ac ſalubriter vſurpare poteris, theriacem optimam, vel mithridatium, aut radices alexipharmacas, & alia peſti ac venenis aduerſantia (de qbus multa in noſtris contra peſtē Secretis) ijsq; arbuſculas tuas, quā dictum eſt methodo, imbuere, ac ſaturare.

Fructus contra peſtem et venena.

Si fructus ὑπνοτικοὺς καὶ ὑπνοφόρους, hoc eſt, ſomnum conciliantes habere ſatagis, plantas, radices, ſemina ſoporifera, & alia, arbuſculis tuis nō diſsimili accommodabis methodo.

Fructus ſomniferi.

Verumenim verò, priuſquam manum de hac, quod dicunt, tabula remoueam, paucis admonebo quid Ioan. Langius aduerſus fures fructuum hortenſium et arboreorū ſcripſerit. Cātharidum vſum, inquit, nuſquam cōmodiorem reperi, quàm ſi crudum earum puluiſculum pomis, prunis, ficubus, perſicis quoq;, & alijs venuſtioribus fruct. ab ima arbore pendulis, inſerueris, fiſſuramq; reducta cute vel putamine celaueris & occultaueris. Hæc ſi pomorum fures de decerpta guſtauerint, intolerabilis vrinæ dolor & ſtillicidium furtum

illorum

illorum redarguet, ac supplicij grauitate pensabit. Sed de his satius fuerit tacere, quàm plura scribere. Alia penè innumera, pulchra & vtilia ex hisce progymnasmatis & pręludijs nostris, facilè excogitare ac inuenire poterit Lector ingeniosus & industrius. Nam intelligenti, vt loquuntur, pauca sufficiunt.

Fructibus arborum, odores & sapores quosuis, nec non etiam colores, facilè tomparari posse.

CAP. VI.

QVAE hactenus de medicationibus arborũ tradidimus, eadem etiam ad odores, sapores, colores, & alia quamplurima, methodo simili, fructibus comparanda & variè concilianda, transferri aptarię possunt, applicatione rerum idonearum pro voto & arbitrio tuo selectarum ad id quod quæris & optas. Hinc scilicet, absque vllo insitionis artificio & mangonio comparantur fructus, etiam per summam maturitatem acerbi, alij acidi, nõnulli austeri: quidam dulces, melliti, saccharati: plerię moschati, cinnamati, seu canellati, aut alterius saporis vel odoris, tam grati, quàm ingrati: &, vt paucis dicam, quales perito artifici formare visum fuerit. Quod verissimum esse, non tam de auditu, quàm ex gustu & odoratu, non semel exploraui & obseruaui. Imò verò (quod fidem superari multis videbitur) mora lutea, pyra rubra, ac mala cærulia, tam intus, quàm in cute, & ex sua quæę arbore pendentia, non sine admiratione, aliquando conspeximus, contrectauimus, aperuimus, & gustauimus, sed nulla

Fructus diuersorum saporum.

nulla saporis gratia, quę coloribus illis adulterata fuerat, & hinc tota in pabulum oculorum potiùs quàm linguæ delitias, migrauerat. Miretur hoc qui nescit, nec intelligit multa in vasto mũdi huius theatro, miraculi loco esse, quæ ingeniosa hominum diligentia, artificioso medicamentorũ adulterio, & solerti insitione, comite vbique industria & labore, in lucem protulit. Vnde rectè admodum scripsisse mihi videtur poëta.

Hortẽsis Philosophia.

Ipsa nouas arteis, varia experientia rerum,
Et labor ostendit miseris, vsusq; magister.

Causa cùm plerosque lateat, illis tãtum miraculi & stuporis ingerit, vt præter naturam talia fieri credant. Res ea, cùm in his quę hactenus docuimus, & deinceps ostensuri sumus, tum maximè in varijs arborum insitionibus & florum varietate locũ habet. Quarum ope & ingenioso artificio, medicamentorumq; & colorum mangonio solerti, fieri plerunq; videmus, vt vna arbor prodigioso spectaculo, diuersi generis, varij gustus, insueti odoris, necnon coloris & facultatis, poma, nuces, vuas, flores, & alia ab vno eodemque trunco emergẽtia, proferat. Quod exemplis duobus, penè prodigiosis, demonstrare ac illustrare pergam, licet id extra institutum esse videatur.

Mira artificiorũ ingenia.

Arbores duæ summæ & prodigiosę admirationis. CAP. VII.

INcomparabilis ille rerum naturæ interpres Plinius, de insigni quadam arbore, hunc in modum scribit. Vidimus insitam arborem iuxta Tiburtes Tullias, omni genere pomorum onustam: alio ramo nucibus, alio baccis, aliunde vi-

Pliniana arbor admirabilis.

te, ficis, pyris, punicis, malorumq; generibus: sed huic breuis vita fuit. Hactenus ille. Multo mihi prodigiosior videtur arbor ea, quàm Ioannes Baptista Porta, Neapolitanus, describit in Opusculo suæ Magiæ naturalis. Vnam, inquit, nouimus arborem, delitias horti nuncupatam, crassitudinis & proceritatis non ingratæ. Hęc trifurcata erat, & in vno ramo vuas duas vinaceis vacuas, discolores & medicatas gerebat: quarum altera soporem, altera alui deiectionem moliebatur. Secundus ramus persicum proferebat, ex persico & nucipersico, interuallis pluribus, ęquè distinctum, & absque vllo osse. Quòd si cui inerat, nucleum dulcem vti amygdala dabat: & nūc hominum, nunc animalium faciem mentiebatur, diuersaq; lineamenta demonstrat. Tertius, cerasia exossa, acida ac dulcia emittebat: adhæc mala aurea. Cortex floribus, rosisq; consitus erat. Porrò fructus ipsi debitam magnitudinem superabant, ac alijs dulciores & odoratiores erant. Verno tempore efflorescebat arbor, & vltra legitimum tempus suos fœtus educabat: nam diu in arbore morabantur, & continuę fœcunditatis orbem toto anno ministrabant. Per quosdam enim gradus poma sibi succedebant, & fętura interpolabatur. Brachia ponderibus inclinata procumbebant. Denique sic cœlum & solum arbori fauebant, vt pulchriorem in tota vita non conspexerim. Hactenus ille: ex quo tam raræ arboris historiam huc proferre voluimus, vt intelligeres,

Arbor prodigiosa & inaudita.

Arbor verè aurea, si talis vspiam reperiatur.

Quantum ars ipsa valet, quantúmque industria pollet,

Et quantùm insitio fœcundos adiuuat hortos:
Necnon ingenium medicandi hortensia solers:
Queis fauet impatiens otij labor, optimus artis
Cuiuscunque dator.

Sed dimissa insitione, de qua nuper Opusculum edidimus, institutum repeto, et ex diuerticulo in viam cœptam redeo: à qua (occasione data) ideò nonnihil deflectere voluimus, vt ostenderemus artem medicandarum arborum cum insitione copulatam, planè admiranda moliri, si in peritũ & industrium cadat artificem.

Arborũ insitio & medicatio multa possunt.

De collectione, repositione, custodia & vsu fructuum medicamentosorum: & alijs in hac artę obseruãdis. CAP. VIII.

Ante quàm propositam narratiunculã aggrediar, admonebo artis huius studiosos, quòd medicationes hactenus præscriptæ, minorem materiam, rigationẽ & sedulitatem exigent in arbusculis fructum paruulum ac molliculum ferentibus, quàm ijs quæ illum maiusculum ac duriusculum producunt. Primi generis sunt, cerasus, morus, prunus, persica arbor, antepersica, præcocia, olea, & vitis. Secundi, malus, pyrus, cotonea, amygdalus, iuglans & similes arbores: quarum, vti etiã superiorum, fructus non exactè suas vires medicamentosas exerent, ante maturitatem. Per quàm die sereno, circa nouilunium, alto Sole, blandà manu, absq; vlla iniuria, lęsione & vitio, fructus decerpentur, ac loco idoneo, vt in nostris hortorum Secretis docuimus, in vsum accuratè reponentur. Si custodiæ non erit locus,

Admonitio valde notanda.

Tẽpus ac modus collectionis & repositionis fructuum.

vel, quòd anni tempeſtas auſtralis & pluuioſa, illam negauerit, adeò vt hinc à labe & corruptione periclitari videantur: vel quòd per imbres & nebulas collecti fuerint, & ob id excrementitio humore, putredinum parente, abundauerint. ſublata omni mora, calente clibano (ſi per Solem minùs licet) aut craticulis ad focum ſuſpenſis, integri, ſi parui & tenelli erunt: vel bipartitò, aut quadripartitò diuiſi, & ab interaneis repurgati, necnon depellati, ſi magni & diriuſculi aderunt, paulatim reſiccabuntur, ac blandè torrebuntur. His ita comparatis, illico mundis vaſculis, vel calathis, papyro internè veſtitis, reponentur, & accuratè ſeruabuntur. Si recepto more condire voles, præclarè ac ſalubriter ages. Vſus omniũ erit, vel ex propria cuiuſque carne & pulpa, vel ex eiuſdem iuſculo & decocto, ſicuti de prunis fieri ſolet per Ichthyophagiam, & eſuriales ferias. Tempus vtendi eſto matutinum, vel paulò ante paſtum, & nonnunquam ſub ſomnum. Quantitas limitabitur pro cuiuſque corporis modulo, ætate, ſexu, temperamento, mouendi facilitate, vel difficultate, & medicamentorum, quibus imbuti erunt fructus, natura forti, cita, aut debili. In quam rem, tibi prudenter & opportunè conſulendi erunt docti atque cordati medici. Quod vt facias, te etiam atque etiam amicè moneo, & valde cohortor. Penè omittebam ꝙ fructuum medicatorum tam oſſa, quàm ſemina, diligenter colligi debent, ac diligentiùs cuſtodiri, ob vim medicamentoſam quæ ſumma illis ineſt, non dicam aduerſus lumbricos & interanea ventris animalia, liberandasq; obſtructiones, ſed & alia quamplurima, quæ hîc reticere malo, quàm paucis xe-

Quomodo ſiccari debeant.

Vſus, tẽpus & quantitas.

Pulchra & valde notãda.

cis explicare. Habent de multis id solenne, quòd si implantentur, aut serantur, quæ hinc emergent arbores, medicamentosum nescio quid prę se ferent. Quæ res in surculis aut ramulis, ex simili arbore detractis, & alibi inserendis, vel pangendis, locum vix habet: nec etiam in medicata arbuscula, si transplantetnr ac transferatur. Nam materni lactis & soli genitalis negata facultate, sublatoq́ nutricis assueto vbere, succos oblita priores, meritò à proprio temperamento, eoq́ medicato, in aliud degenerare potest. Quare si voles vt ad ingenium redeat, & vires medicamentosas, penè exhaustas, resumat, medicatâ alimoniâ, quibus dictum est modis, refocillanda, ac instauranda tibi erit. Nec id solùm in trāsplantatis & trāslatis locum habet, sed etiam in ijs quę nec cœlum nec solum mutant. Vnde par erit quotannis, aut saltem quoque biennio, recens medicamentum, siue simplex, siue compositum, aut antidotum, vel quiduis aliud, denuò illis accommodare. Quemadmodum ex Græcis Florentini Georgicis, transcripsit Neopolitanus Palladius, & plerique illo antiquiores.

Pręcepta pro transplantatione.

Dignū animaduersiōe.

Quomodo non medicati fructus, tam æstiui, quàm autumnales, decerpti & domi asseruati, medicamentosi euadāt vt corpus repurgare posśint.

CAP. IX.

HIC nequaquam silētio dissimulabo, quod à multis summè desideratum, & cupidè expetitum scio. Quid illud? inquies. Quomodo citò, facilè, & quouis tempore, quilibet repositos fructus, siue verni fuerint illi, siue æstiui, seu au-

Res multis multorū votis expetita.

tumnales, ita posſit componere, vt clementer & abſq; nauſea aluum moueant, & ſubducant, corpuſq; à ſuperfluis excrementis liberè ac blandè vacuent. Si patientem aurē mihi præbueris, paucis docebo. Omniū primùm à fido quopiā Pharmacopola tibi comparabis purgātia aliquot medicamenta ſimplicia, ex eorum claſſe quæ violēta nō ſunt. Qualia ſunt Rhabarbarum, agaricus, ſena, polypodiō, epithymus, ſemē cartami, myrobalani, thamar Indi, & ſimilia. Vbi vnum, aut duo ex his, ſcopo tuo idoneis, probè ſelegeris, ex medici conſilio legitimas ac ſanas portiunculas, negligenter, ſi opus erit, fractas & contuſas, horis aliquot, cum tantillo cinnamomi & ſeminū aniſi, infundes, ac macerabis, in ſero lactis, oxymelite, ptiſſana, vino, aqua, aut blando quopiam liquore, vt viſum tibi erit, pro corporis tui & partis anni, necnon aëris temperamento & ſtatu. Deinde quidquid id erit, percolabis, clementer exprimes, & calidis cineribus, apto vaſculo, ſuperpones: ibiq; horis aliquot inſuccabis, vt loquitur Columella, cōpuncta locis multis pruna, perſica, pyra, ficus, cotonea, vel ceraſia: ex his quę tibi ad manum erūt, nihil refert, modò Solem paſſa fuerint, vel clibano, vt diximus, reſiccata, aut aliter aſſeruata. Vbi liquore illo medicato, & iuſculo, affatim imbuta erūt, & pro rugoſis obeſula apparebunt valdeq; turgebunt, tum demū medicamētoſa habebis alimēta, quę abſq; vlla moleſtia, corpus, ſoluta aluo, blandè repurgabūt. Rem eādem fœliciter etiam experieris in vuis, quas Damaſcenas nuncupant: magno ventriculi ac hepatis cōmodo, ſed detractis priùs, & ex illorum pulpa ſecluſis vinaceis. Si inſuauem quempiam guſtum

Quomodo reſiccati fructus medicamentoſi fiāt.

Primus modus.

Correctio

vt amarorem, acerbitatem, vel quid simile, præ se tulerint medicata isthæc alimenta, saccharo optimo, aut puluere glycyrrhizæ, vel cinnamomi facilè tegi, ac dissimulari poterit: adhæc aniso condito, vel coriandro præparato, aut huiusce-modi artificio quopiam aromatico & dulci, pro cuiusque gustu ac palato. Quidpiam igitur ex ijs prægustabitur, aut vnà mãducabitur vel sumpto illo medicamentoso cibo, statim deglutietur, vt contraria contrarijs emendentur.

praui gustus & saporis.

Est modus quidã expeditus & salutaris, ita coquendorum in foculo cydoniorũ, & aliorũ quorumcunq; fructuũ maiorum, vt corpus à grauãtibus excrementis absq; vllo tædio, torminibus ac fastidio cleměter purgent: imò verò purgando, viscera roborent. Hunc qui nosse volet, velle autem debent omnes, percurrat aream tertiam, cãpi septimi, nostri Horti medici, seu Alexikepi, qui nuper rerum multarũ accessione locupletior & emẽdatior in lucẽ prodijt: illic inueniet quod placuisse queat. Sed de his fusiùs agemus paulò pòst in vino Cydonite, & Hydromelo.

Secundus modus.

Ioannes Langius, illustrissimorum Comitũ Palatinorũ medicus doctiss. in quadam epistola ad Cyrlerũ, de medicatis fructibus ad hũc scribit modum. Accipe aquã aut vinum, in qua vel scãmonea, vel tithymali cortices, aut turbith, vel id genus fortium medicamentorũ, maceratũ sit: in quo pruna sicca ex Damasco, caricæ, vuę passæ, donec turgescant, maduerint. Hæc absq; vllis torminibus aluum leniter expurgant. Nam hæc sola virtute medicamẽtorum, exuta eorum substantia, imbuuntur. Hactenus ille.

Cognoui qui antea commemoratos nobis fru-

Quartus modus.

ctus, tam ſiccos, quàm recentes, nullo modo macerabant, ſed cũ purgantibus medicamentis ſimplicibus, eis à medico præſcriptis, & modicè fractis, ſi opus erat, raroq; linteolo deligatis, prunorum modo in vino aqua temperato, coquebant: & addito ſaccharo multo albiſsimo delicatis palatis edendos proponebant: vel ſolum eorum iuſculum propinabant, & decoctorum carnem per ſetaceum excernebant, ac mundo vaſculo repoſitam, in vſum idoneum, & tempus opportunum accuratè cuſtodiebant: de eodem boue, vt dici ſolet, lora trahentes, vnaq; & eadem fidelia duos parietes dealbantes.

Quintus modus.

Noui alios, qui fructus iam dictos, poſt longam macerationem quo nuper dictum eſt modo, blandè ſiccabant in clibano, & iterum ac tertiò macerabant, & demum reſiccatos, pyxide includebant, & quoties opus erat, excludebant, ac in vſum opportunè conuertebant, reſperſo multo ſaccharo optimo. Si vigebat æſtus, in aqua roſacea macerabant: ſi hyems erat, ſuffocatis in vino pauco aliquot eorum buccellis, & copioſa ſacchari aſpergine dealbatis, liberè vtebantur, & quidquid erat vini ſuperbibebant. Sed vt quod ſentio verè dicam, non ſunt hæc temerè tentanda abſque docti medici conſilio, perinde atque alia pleraque hactenus ſcripta. Nam ille ſelecta medicamenta, ægrotantium affectibus, aut ſanorum præcautionibus idonea ſeliget, & ad legitimum pondus, ac doſim, vt loquuntur, omnia deducet, iudicioq; & arte ſingula temperabit. Imò verò ſuopte Marte, iuxta hanc methodum, noua comminiſcetur artificia: quando non omnia poſſumus omnes.

Doctus medicus in hac philoſophia vbique conſulendus.

Quo-

Quomodo lactuca, borrago, portulaca, & olera alia, ad hæc cucumeres, cucurbitæ, pepones, raphanus, cinara, fraga, grossulæ, framboesiæ, & similes fructus ac plantæ, deiectorias facultates induent, & sapores ac odores varios admittent. CAP. X.

SI ad medicationes olerum, radicum, & plantarum multarum, prudẽter referas quæ de medicandis arboribus nuper scripsimus, nouo hîc sermone opus non erit. Verumenimuerò, quia plantæ radicibus tam solidis non innituntur, quàm arbores, nec tam robusto donãtur corpore, nascunturq; plurimũm seminibus, vel implantationibus, ac breuioris sunt vitę, idcircò de illis peculiarem hîc instituemus narrationem. Si itaque semina plantarum titulo capitis huius propositarum, aut aliarum, maduerint triduo, vel quadriduo (antè quàm serantur) in iusculo macerationis purgantium medicamentorum simplicium, initio huius Opusculi descriptorum, & siccata, vicibus iteratis remaduerint, ac ita optimæ terræ, pingui fimo saturatę, ac diligenter subactæ, commissa fuerint, quicquid inde nascetur, medicatorum seminum facultates ac ingenium referet.

Hortensiũ penè omniũ medicationes.

Primus modus.

Idem etiam continget, si medicamentosa illa maceratiõis aqua, vel iusculo, (seu cremore quopiam) pullulantes plantulas, & adhuc lactescentes, aliquot diebus, velut ex nutricis vbere, stillando, & non mergendo, aut inebriando, opportunis horis foueris ac rigaueris: hinc enim alui solutionem facilem & corporis purgationem ab

Secundus modus.

illis cōciliabis. Si grauis æſtus inferiora torrebit, eodem liquoris hauſtu illas ſitientes, affatim, & identidem, ſed tempeſtiuè, (vt in arboribus dictū eſt) refocillare, ac recreare poteris.

Tertius modus.

Sunt qui per adoleſcentiam plantarum, radices earum blandè circunfodiūt ad capillares vſque fibras, ſed abſque vlla iniurioſa tractatione & eradicatione. Tum demum, purgantia medicamenta ſimplicia, propoſito ſcopo ſelecta, & nonnihil contuſa, ſi opus erit, earum nudatis radicibus ſparſim inijciunt, ac diſſeminãt (vt in arboribus diximus) regeſtaqúe terra adobruunt, conſepeliunt, ac ita educati, creſcere, & medicamentari permittūt. Quod à multis factum, & ſalubriter expertum, verè ſcio.

Quartus modus.

Nonnullis abundè ſatis eſt dū plantulas tranſferunt, in ſcrobiculum illis defoſſum mittere ac ſubſternere ſelecta medicamenta: deinde ſtercorata terra, & ſi opus erit, irrigata, omnia condere, ac ita cœlo & ſolo committere. Modos alios requires ex medicationibus arbuſcularum. Et quæ de liquoribus, & ſuccis medicatis ad plantarum radices infundendis, tradita ſunt, eadem etiam ad ſapores, & odores (de coloribus dubito) prudenter, ac ſolerter coaptare poteris, exemplo Ariſtoxeni Cirenei: qui, vt ſcribit Plinius, à patria deſciſcens philoſophia, & helluonum voluptati ac collegio ſubſcribēs, natas in hortis lactucas, veſperi vino mulſo rigabat, eoqúe potu, donec ſatis ebibiſſent, ſatiabat: vt poſtridie, cùm illuxiſſet, placētas virides à terra miſſas, ſe habere venditaret: dignum helluone inuentū, nedum philoſopho. Sed in medicamentoſo plantarum mangonio & artificio verſatum ſatis. Manum

Hiſtoria pulcherrima.

itaque

itaque ex hac tabula mouebo, vbi admonuero, quòd plantæ, quibus à natura ineſt purgatrix quædam lubricitas, vt violis martijs & maluis: aut lactea ſubſtãtia & dulcedo, nõnihil etiã deiectoria, vt lactucis: vel nitroſus ſuccus, & ob id medicamentoſus ac deiectorius, vt braſsicæ & betæ: aut lenta & excrementitia humiditas, vt portulacæ: hæ, inquam, & ſimiles plantæ, cura admodum ſolicita, medicamentisq́ multis non indigent, vt medicatę, ac purgantes euadant, cùm id naturâ ferè comparatum habeât: & ob id modica alteratione indigent, vt medicamentoſæ fiant. De peponibus, cucumeribus, & huius plumę alijs, non diſsimilis erit ratio, ob ſuccum excrementitium, aquoſum, & nonnihil lubricũ, quo largè ſcatent.

Pulchra & notatu digna

Vites varijs modis medicatas reddere, vt earum vuæ, & vina ex illis expreſſa, aluum clementer moueant, & corpus abſq; moleſtia purgent. CAP. XI.

SEcundum vindemiam, vbi vites ablaqueantur, quantum putabis ei rei ſatis eſſe vini, tot vites ablaqueato, & ſignato: earum radices circum ſarrito & purgato. Poſtea, veratri radices in pila contundito, & circũ vitem ponito: his ſtercus vetus, & veterem cinerem, ac duas partes terræ circùm addito. Radicibus vitis terrã inſuper inijcito. Hoc vinum ſeorſum legito. Si voles ſeruare in vetuſtatem ad aluum mouendam, ſeruato: nec commiſceas cum cætero vino. De eo cyathum ſumito, & miſceto aqua, ac bibito ante cœnam: ſine periculo aluum mouebit.

Priſca medicandarum vitium philoſophia. Primus modus.

Aliter

Secundus modus.

Aliter, cùm vites ablaqueantur, signato quampiam, ne admisceas cætero cum vino. Treis fasciculos veratri atri circumponito circùm radices, & terram insuper inijcito. Per vindemiam de his vitibus, quod delegeris, seorsum seruato, cyathū in cæteram potionem indito, aluum mouebit, & postridie perpurgabit, sine periculo. Hæc ad verbum M. Cato in suis de re rustica Commentarijs.

Africanorum & Græcorum geoponici ac medici, Catone multò antiquiores, hac incedūt via. Sarmentum quod pangendum est, ima parte finditur, trium vel quatuor digitorū mensura, sublataqúe medulla, simplex medicamentum purgans & deiectorium, ex his quæ primo capite recensuimus, contusum, medullæ loco intruditur. vel compositi alicuius pulpa (quod præstantius est) immittitur. Postea vulnus aut fissura, ne quid effluat, idoneo emplastro tegitur, deligatur et ita sarmentum terræ mandatur. Hæc Florentinus, ex Græcorū geoponicis & medicis vnus, & post eum Palladius.

Tertius modus.

Recentiores satagunt, vt vitis ablaqueatæ radices emundentur, deinde purgātis alicuius medicamenti compositi succum, vel ex simplicis alicuius maceratione liquorem, affusione & rigatione, per dies aliquot repetita, affatim cōbibant & exhauriant, maximè, dum noua de grauido palmite gemma tumet. Hoc peracto, terram radicibus regerunt, & ante omnia diligenter cauēt, ne tum gelidus & niuosus spiret Aquilo, radices percellens, ac vires medicamentorum obtundēs. Qui ex vite hunc in modum medicata nascentur racemi, deiectorij erunt ac purgantes, perinde atque vinū ex illis expressum, sicuti scripsit & adnota-

Quart⁹ modus.

notauit idem Florentinus, libro primo & ſecundo ſuorum Georgicôn. Modus hic ſanè quàm facilis eſt, ac valdè expeditus, vt teſtatur Arnaldus à Villanoua, ob cauſas in arboribus expoſitas. Hinc nimirum viſa, repertaq́ eſt vua, vt ille idē ſcribit, cuius acinus quilibet aluum clemēter mouebat, habebaturq́ res ea pro ſummo miraculo. Qui vuis & vinis albis oblectantur, vitem ac vina huiuſcemodi medicata ſibi comparabunt: qui rubris, contrà: quando, velle ſuum cuiq; eſt, nec guſtu viuitur vno.

Eſt alius modus comparandorū huiuſcemodi racemorum facultate deiectoria præditorū cum ſuis vinis, quem nec tacebo, nec tibi diſsimulabo. Sarmēta ex generoſis vitibus, opportuno tempore ſeliguntur, & in vas aliquod ſemiplenum purgantibus potionibus, vel medicamentoſis liquoribus, maceratione longa paratis, deponuntur: deinde illis terra optima remiſcetur, ac tātiſper reſoluitur, irrigatur & curatur, donec ſarmentorum & flagellorum oculi nitantur exire. Id vbi fit, more vitium cæterarū, idoneo loco circunſpectè panguntur, ſummaqúe habetur cura ne iniurioſa tractatione, vel tantillum offendantur, & hinc ex ſuo membro excutiātur. Qui inde naſcentur racemi, pro facultate ſucci ac liquoris, quo imbutus fuerit palmes, medicati euadent, perinde atq; vinum quod ex illis exprimetur.

Quintus modus.

Notandum & cauendū

Aliæ vitium, vuarum & vinorum medicationes pulchræ & ingenioſæ, ad ſomnum, contra venena, & alia.

CAP. XII.

ETSI

ETSI quę hîc ſcripturi ſumus, facilè & explicatè colligi poſsint ex pręcedentibus, dicã nihilominus de illis aliter, paucis ac breuiter, quantũ feret materia. Si loco purgantiũ medicamentorum compoſitorũ, aut diluti eorũ, vel decocti ſimpliciũ, quippiã ex ijs antidotis, quę ſomnum conciliant, in liquorẽ ſolutum, ad vitis radices ablaqueatas, tẽpeſtiua rigatione effuderis, vel hypnoticas & ſomniferas plantas ijſdem radicibus conſepelíueris: aut circũ plantaueris (vt vult Dioſcorides, in vino phthorio) tam vuę quã calcata & preſſa ex ijs vina, ſomnum facilè conciliabunt. Idem fiet, ſi truncum vitis ſelectum, vt de arboribus diximus, Gallica terebra, aut alia, perforaueris, & eadem antidota foramini intruſeris, ac vulnus, quo oſtenſum eſt modo, tractaueris, obduxeris, ligaueris, ac Deo & naturę permiſeris. Si theriacem, mithridatium, aut alexipharmacum aliud, eò intruſeris (ſublata ſi opus erit medulla) vel diluto eorundem, aut liquore macerationis plantarum venenis pugnantiũ, radices imbueris, & frequenti rigatione, eaq; tempeſtiua, perfuderis, vitem habebis antidotariã, alexipharmacam, peſtifugam, & venenorum, ac venenatorum omnium hoſtem capitalem: adeò vt nullum animal veneno imbutum, ſub ea ſtabulari audeat, ac ſtationem aliquã capere. Quin etiam aiunt acetum ex vino vitis huius antidoratię & theriacalis factum, necnon vuas paſſas, miram habere facultatem contra toxica, peſtilentẽ aërem & morbum, venenatorum morſus, ac alia pleraq;. Quibus deficientibus, proderunt etiam, vitis eiuſdem folia trita, & venenatorum ictibus appoſita. Quòd ſi rurſus horum omnium penuria

Vitis ſomnifica qualiter fiat.

Vitis antidotaria, & venenis pugnans.

Mira vitis theriacalis efficacia

ria

ria fuerit, cinis ſarmentorum hominẽ à periculo vindicabit. Nam & citra theriacem vitis cuiuſcunq; ſarmentum, aduerſus morſum canis mirè auxiliatur, modò non fuerit rabidus. Autores ſunt (ne quis putet meum eſſe commentum) Pœnorum & Græcorum geoponici ac medici, & inter hos Florentinus, qui hæc poſteritatem latere noluit. Cæterùm hîc nec omiſſum velim, nec intactum, quòd ſi de huiuſmodi vitibus medicatis ſarmentum transferendum, aut inſerendum accipiatur, vires ſui medicamenti, vt de arboribus diximus, vix reſipiet, nec materni medicaminis guſtum retinebit. Quare oportebit noua infuſione, eaque aſsidua, vim ſeneſcentis ſucci iterare & ſuſcitare, vt ſcribit Neapolitanus Palladius, rerum agri doctor non aſpernandus.

Præceptum notandum.

Quomodo carnes gallinarum, caponum, perdicum, columborum, phaſianorũ, pullorum, anſerculorum, turturum, alaudarum, turdorum, & ſimilium alitum: Adhæc, hœdorum, agnorum, lepuſculorum, cuniculorum, porcellorum, & ſimilium quadrupedum medicamentoſæ fiant, vt corpus ab excrementis blande purgare queant.

CAP. XIII.

Ex præcedentium explicatione & doctrina, facilè fuit colligere non poſſe rationi, aut ſenſui, aut experientiæ, aut doctorum virorum ſententiæ conſentaneam eſſe illorum opinionem qui negant vires ſeu poteſtates certo generi â forma ſubſtantiali contributas (quæ in temperamenti aut materiæ proprietate conſiſtunt) alijs non-

Vires certo generi attributas, alijs ſpecie diſtinctis communicari.

nonnunquam rebus & specie distinctis communicari: id quod vijs multis, & exemplis compositionum, transmutationumque varijs, in fructibus, oleribus, radicibus, vitibus & vinis, hactenus pro tenui nostra Minerua vtcunque ostendere satagimus. Hinc nimirum, nec frustra, nec temerè Gallenus multis in locis testatur lac capræ quæ scammoneam, & tithymallos vel marinam brassicam depasta fuerit, purgatorium euadere. Id quod etiam Hippocrates non de capra modò, verumetiam de mulieribus affirmat: putatque hinc non parum referre, quo siue mulier, siue animal cibo vsum sit, cuius lacte salubriter vti velis, siue sanus, siue marasmode ægrotans febre, aut ad infantulorum probam alimoniam. Cùm itaque sic res habeat, vt quo cibo vescuntur animalia, illius odorem & vires resipiant ac redoleant quodammodo eorum carnes: cùm lactigeræ pecudes, & boues, quem delinxêre salem (vt est apud poëtam) referunt in lacte saporem, imò verò in butyro & caseo, cùm iuniperum oleant turdi qui illius baccis perlibenter vescuntur, quidni etiam alitum quarundam, & quadrupedum iuniorum medicatis rebus & pabulis, vt mox dicemus, educatorum, medicatas eorundē vires & facultates in propria carne & pulpa referant, & hinc medicamentosa ea caro & purgatrix euadat? Sed quonam, inquies, modo, id assequetur? vt priscos medicos & philosophos, qui ea de re scripserunt, in præsentia omittam, ex recentioribus, pro multis, vnum Thomam Erastū proferam, quem paucis audire graue non erit. Docuit me, ait, aliquando præceptorum meorū vnus, purgatorias reddere gallinarum carnes, &

De lacte medicato notanda & obseruanda.

Turdos olere Iuniperū quandoque.

Quomodo fiant purgatoriæ alitū, & animaliū paruorum carnes.

bene

bene succeſsit in hunc modum. Decoquẽda ſunt purgantia pharmaca, vt helleborus, ſcammoniũ, agaricus, tithymalli, & ſimilia, cum tritico, aut hordeo. Hoc ſolo exſiccato ſi veſcantur longo tempore gallinæ, (vel huiuſmodi volucres aliæ) purgabit earum caro comeſta, nec erit admodũ inſuauis & guſtui ingrata. Hæc ille. quod artificium non ad ſolas gallinas, capones, perdices, phaſianos, & huius plumæ alites alias, ſed etiam ad quadrupedia animalcula quædam, vt hœdos, agnos, lepuſculos, porcellos, & huius pili ſimilia prudenter accõmodabis, medicato, vt diximus, domeſtico eorum pabulo. Nam de agreſtibus hîc non loquimur, ſed domi vel educatis, vel educã-dis. Verumenimuerò, precium operæ iſtius fuerit eundem Eraſtum rurſus audire, eam in rem alibi paulò pleniùs & planiùs ad hunc philoſophantem modum. Hellebori radix, inquit, in aqua cocta, medicatam eam reddit & purgatoriã: in qua ſi maceratus panis aut triticum à gallina dies aliquot comedatur, & in chilum, ſanguinẽ, & carnes in eis permutetur, tum demum occidatur, coquatur, & à quopiam homine edatur, proculdubio purgandi vim & facultatem, & hellebоro contractam, per tot ſubſtantiales mutationes conſeruaſſe deprehendetur. Hoc ſi eſt, quis, obſecro adeò inſaniet vt in tali carne formã hellebori, aut huius eſſentialem poteſtatem quærat. Erunt itaque hæc, cùm in præcedentibus, tum ijs quæ deinceps dicẽtur accipienda de viribus quæ in temperamenti aut materiæ proprietate conſiſtunt. Non ſum neſcius pleroſq; etiam magnates ſuperiores alites vel animalcula exenterata ac plumis, & corio exuta, infarcire purgãtibus medica-

Eraſtus in explicatione de purgantium medicamentorũ facultatibus.

Alius modus medicandarum carniũ alitum & paruorum animalium.

dicamentis simplicibus, vt Rhabarbaro, agarico, folijs sennæ, semine [cartami, radicibus polypodij, epythymo, & similibus, vno, duobus, vel pluribus simul, addito cinnamomo, semine anisi, vel fœniculi, nec non herbis parti ægrotanti idoneis & congruis: tum demum hæc omnia ventri alitis, vel animalis inserta, consutoqúe ostiolo, per quod immissa erunt, igni lento torrenda cõmittere: vt vaporosa medicamentorum horum substantia imbuta caro, &, vt sic dicam, insuccata, medicamentosa & purgatrix euadat. Alij farctam in hunc modum alitem, & his medicis miscellaneis intus saturatam, pingui iusculo incoquendam deponunt, eoque decocto purgante vnà cum carnibus salubriter vtuntur: & hinc corpus à grauantibus excrementis blandè repurgant. Sed de his hactenus scriptum sit, vt alijs suum demus locum & ordinem.

Modus alius & forma.

Hæc itaque de medicandis arboribus, fructibus, oleribus, radicibus, vitibus, vuis, vinis, & carnibus satis erũt. Quæ si placuisse, & grata fuisse intellexero, quæ apud nos latent & pulchriora, & pręstantiora, ex vmbra in lucem communi iuuandi studio proferemus.

ANTONII MIZALDI MONLVCIENSIS, MEDICI, ARTIFICIA PVLCHRA COMPONENDOrum vinorum, *quæ diuersis morbis blandè ac iucundè succurrant: cum prisco & recenti quorundam catalogo, & auxilijs.*

CERTVM est priscos medicos summo studio ac diligentia perquisiuisse, quonã modo diuersis affectibus corporis & animi, cùm curandis, tum excitandis, vina artificiosè concinnarent, & medicata factitarẽt. Qualia sunt Theophrasti apud Heracleam Arcadiæ, quę viros dementabant: Athænei apud Thasios, quæ somnum accersebãt, & fugabãt: Plinij Arcadica, quæ fœcunditatem fœminis importabant, & viris rabiem. Adhæc Trœzenia, quæ qui biberant, negabantur generare: & Lycia quæ qui gustauerant, his soluta aluus firmabatur. Hinc, scilicet, variæ illæ, apud M. Catonem, vinorum concinnationes, ad varios affectus: necnon apud Dioscoridem: & ante iam dictos omneis, apud Pœnorum & Græcorum geoponicos ac medicos, sicuti suo loco deinceps ostendemus. Horum artificia omnibus penè morbis, cito, tutò ac iucũdè, nec non (vt aliquid de meo addã) quàm minimò, auxiliãtia, cùm legissent posteriores medici, hinc

Varia antiquorum vina ad varios affectus.

(fortaſſe) conſultò moti fuerunt, vt medicamenta quædam purgantia, vino macerarent, & horis aliquot infunderent, ad conciliandã ei medicamentoſam facultatem. Quod, Dij boni, quanto applauſu, & corporis totius conſenſu ſic hauritur? Quas, obſecro, vireis in corpore clementer ac blãdè ita non exerit? Quam ſuauitatem medicamentis & rebus, quibuſcum miſcetur, non adfert? Quas facultates cerebri, ventriculi, iecinoris, cordis & inteſtinorum non roborat, ſubſtantiæ, ac naturæ ſuæ familiaritate, quę nobis amica eſt, aſſueta, & penè dixerim congenita? Hinc nimirum Galenus noſter, Falernum Mithridatio, & Theriacæ miſcendum præcepit, vt multorum amarorum, quibus cõſtat antidota illa, iniucunditatem tegat, & ventriculo qui amara auerſatur, ſuauitatem conciliet, contemtricemqúe eius vim roboret. Rectè itaque ac prudenter ſolertes medici factitia vina excogitarunt, quę facultates impreſſorum illis medicamentorum, celeriter ac iucundè toti corpori, eſſentiæ tenuitate, ac familiaritate diſtribuerent, & à varijs affectibus illud opportunè liberarent, abſq; noxa, tædio, ac nauſea. Horum compoſitiones multiplices, & artificia diuerſa, tibi candidè, vt omnia, proponere ac paucis exponere, nec detrectabo, nec grauabor: vt habeas è multis quę pro arbitrio ſeligere & ſequi poſsis.

Vini facultates miræ in corpus.

Vinorum medicamentoſorum artificioſæ aliquot concinnationes, tam per vindemiam, quàm alio quouis tempore aggrediendæ.

CAP. I.

VIN-

VIndemiæ tempore, mustum ex albis racemis iisque optimis, ac minimè vitiatis expressum (si albo vino delectaris) vel ex aliis comparatum, seliges ac sepones: & antè quàm efferueat, in doliolum, cadum, lagœnā, vel aliud vasculum, ex mūda & proba materia concinnatū, opportunè infundes. Sed ita, vt priùs selectę materiæ tuę medicę, lotæ ac purgatæ, in dictum vasculum descenderint: siue herbæ fuerint illæ, seu radices, flores, semina, species, aromata, fructus, grana, aut res aliæ quæuis medicamentosæ, quarum facultates mustum imbibere, ac præ se ferre satagis. Quod equidem duodecuplam proportionem habere debet ad dictas materias plùs, minùs, pro intensiore & remissiore illarum sapore, odore & qualitate. Id vbi factum erit, scutellâ vno latere apertâ, vel illo aliquātulùm sublata, vinarij tui vasis osculum, & supremum spiraculum operies: vt fæces sensim ab imo ad summum tendentes, liberum habeant emissarium, & quod medicato habitu ac feruore sursum volitat, despumatum ad inferiora retrudatur. Vbi feruor resederit, & despumatio cessauerit, vas omnino replebitur, (quod pro aliis deinceps dictum velim) &, ne quid effluat, diligenter stipabitur, ac loco idoneo in vsum seponetur: q post duos menses opportunus erit. Vides quāto artificio hîc elaboratur, & quasi à natura conficitur, &, vt ita loquar, incorporatur, quod iniectum et comprehensum est. Nā per naturalem musti calorem, validamq; ebullitionem, interna rerum infusarum, necnon confusarum fit agitatio, velitatio & impresio. Quâ vinū, multò superius, viribus ꝓpriis eas spoliare, sibiq; proprias facere, nō imbi-

Primus modus componendorū vinorum medicatorum.

Pulcherrima narratio, pro sequentibus valde notanda.

Arguta philosopha & vulgaris

imbibere, &, vt theologicè loquar, transsubstantiare, vijs, modisqúe omnibus molitur, ac tandem assequitur. Ex quo medicamentosum euadit, & hinc vi admodum penetrabili, artifice industria, insitas, conceptasq; rerum immissarum, sibiq; creditarum facultates, ad omnia corporis membra, in nictu oculi, iucūdè perfert ac distribuit, absq; vllo naturę grauamine, tædio, nausea, aut fastidio: sicuti probatum, expertum, ac summè obseruatum habemus, scimus, ac vidimus. Hoc primum est concinnandorum vinorum artificium paratu admodum facilè, sed mihi vtcunque suspectum. Nam periculum est, ne musto immersæ, aut natantes materiæ, ex mora, loci natura, difflatione præpedita, & alijs, vitium trahant, ac vinum ita labefactent, vt ætatem ferre non posit, sed in vappam illico abeat, aut ante tempus acescat. Quare præstaret, feruore vini sedato, & despumatione facta, illud elutriare, & in alterum vas transfundere: inclusasqúe materias excludere, & procul amandare. Nisi malles aliud mustum illis superfundere, & hinc comparatum vinum, quod priore multò erit imbecillius, pauperibus ęgrotantibus elargiendum custodire.

Refutatio superioris artificij.

Secundus modus.

Est alter modus quamplurimis vsitatus ac familiaris, cuius talem habeto formulam. Medicæ materiæ, pro concepto cuique scopo electę, in optimi musti iusta quantitate (comparato ad id vase idoneo) tantisper coquuntur, & temperato igni, ex semiustis carbonibus accenso, tamdiu leniter bulliunt, spuma ad vnguem exclusa, donec pars tertia, plùs, minùs, absumpta fuerit: aut mustum ipsum, rerum immissarum saporem ac

odorem exactè imbiberit. Id vbi factum est, noctem integram adopertum vas, cum suo vino & materijs quiescit, sequente luce, per vimineum colatorium omnia transmittuntur, ac vinum ita percolatum alteri musto (sed minoris quantitatis) vase ad id accommodo, diligenter remiscetur, & transuasatur: aptato ad summum eius spiraculum & emissarium operculo, qua nuper scriptum est formula: vbi perfectè deferbuit, & defœcatum est, ritè impletum, operculatum & clausum, loco idoneo, in vsum custoditur, ac seponitur. Sed rursum modus iste (quanquam non ignobilis) sua non vacat suspicione, ob rerum immissarum ebullitionem plùs æquo (fortasse) maiorem vel minorem, intensiorē aut remisiorem, nulla graduum basi in his præscripta & obseruata. Nam sunt multa quę longam coctionem sustinent, alia vero breuem: cuius si non habeatur perspecta ratio, vires decoctorum resoluuntur, & in fumos illico abeunt. Quare satiùs esset, ac multò consultiùs, medicas materias tamdiu in musto macerare, donec illarum naturam ac facultates, tam gustatu, quàm odoratu, induisse ac ebibisse deprehendetur. Quod vbi constabit, lenta ebullitione eaqúe leui, negocium, quo dictum est modo, facilè absoluetur.

Infirmatio superioris modi.

Consilium notandum.

Aliæ eorundem vinorum artificiosę compositiones, magis tritæ ac vulgares. CAP. II.

SVNT aliæ medicandorū vinorum methodi, quas paucis tibi expediam. Medicæ materiæ

Primus modus.

recentes, aut, si id minùs licet, semisiccæ, & negligenter contusæ, lineo, aut cannabino sacculo admodum raro imponũtur, & ad præscriptas formulas in optimo musto præmadent atque innatant, additis lapillis, si leuiores erunt, vt in vino hyssopite docet Dioscorides. Vbî satis emaduerint & maceratæ fuerint (quod ex sapore & odore musti illis imbuti percipitur) tum demũ blandè, & quãtùm licet, expeditè coquuntur, despumantur, & excluso sacculo, factaq; illius forti expressione, vinum ita medicatum, alteri (sed minoris quantitatis) miscetur, & nonnihil mouendo, agitatur. Id vbi exactè in suo doliolo deferbuit, diligenter repletum & operculatum, diligentiùs custoditur.

Secundus modus.

Alij in generosum vinum (nihil refert nouum fuerit, necne, adhæc album an rubrum) selectas, pro arbitrio, medicas materias, lotas ac repurgatas immittunt: & horis aliquot, vt dictum est, ibidem macerant, coquunt, despumant, percolant: & absque vlla expressione, vinum in vas mundum deponunt, replent, optimè claudunt, & vsui reseruant. Hæc via trita est & vulgaris, quam etiã nouit media de plebe popellus. Probarem sanè materias sacculo aut linteo vbique includi, vt commodè, & absque vini iactura, excludi ac retrahi possint. quod Dioscorides vbiq; facit.

Tersius modus.

Qui solertiores sunt, & ingenio perspicaciore secreta rerum explorant, medicas easdem materias, quo dictum est modo, apparatas, cum duodecupla quantitate racemorum alborum, aut nigrorum, miscent, confundũt, & vindemię more, calcant, vnaq; tandiu in doliolo ad id congruo, alio-

aliorum vinorum more efferuescere permittũt. donec clarum & defæcatum vinum, ex his miscellaneis secerni possit. Id vbi animaduertunt transuasant, & vbi iterum deferbuit replent, & custodiunt. Sed ea de re in compositione vini Guaiaci fusius scripturi sumus. Quod ad reliqas materiarum attinet, vinum illis desuper inijciunt, referuescere sinunt, exhauriunt, vt vina alia curant, & in vsum ægrotantis familiæ seponunt. Nam tantùm distat inter hoc postremum, & præcedens, quantùm distant (quod dicunt) æra lupinis. Hic modus mirum in modum mihi arridet, ob legitimam rerum fermentationem, permistionem, sequestrationem, insinuationem, & alia, quæ sciens omitto, & volens prætereo, ne longa narratio tædium pariat.

Non desunt qui vina ista inualescente æstu, (dum insana Canicula messes concoquit, & ardenteis contristat Sirius agros) vitreis phialis, ad Solis viuificum ignem, conficiant: artificio non damnando, & conatu nequaquam inutili, ob causas nobis alibi expressas. **Quartus modus.**

Quædam obseruanda, cùm in præcedentibus, tum sequentibus.

CAP. III.

HIC supersunt quædam, ex Dioscoride, & alijs, nunc demum aperienda, quæ in octo capita paucis digeram. Primum, vinorum factitiorum vasa debere impleri: quia non plenis facilè in acorem transeunt vina, & promptissimè corrumpuntur: quod populare est. Secundum, Medicata vina, perinde atq; medicamenta, rectè **Primum in hac œniatria seruandum.** **Secundum.**

valentibus insalubria esse, nisi ad morbi alicuius præcautionem sumantur, ex consilio docti & prudentis medici. Tertium, febricantibus summo delectu & iudicio exhibenda esse, imò verò, si Dioscoridi credimus, abdicanda: præsertim quę cum frigorificis rebus nihil habent commune. Nam vinum ad febrem, est vt ignis ad ignem. Quartum, factitia vina misturarum vires sibi asciscere. Quare non difficile fuerit ijs qui rerum naturas norunt, medicatorum vinorum vires coniectura quadam assequi: vt in vino è Betonica tradit Dioscorides, quod nos paulò pòst describemus. Quintum, vina ista dum in vsum traducuntur, & è suis doliolis identidem hauriuntur, periclitari vapescere, acescere, aut aliter vitiari: nisi maturè illis prospiciatur. Quod fiet si optimum oleum salis expers superfundatur. Nã veluti tectorio quodam, ab huiusmodi labe illa defendet. Sextũ, medicamentosis vinis, vti etiam alijs, summè commodare, vel incommodare vasa, in quibus reponuntur, & ligna ex quibus illa compingũtur. Sic factum & expertum videmus, vinum in cadis, vel doliolis Tamaricinis conditum & seruatum, lieni ac splenicis magnoperè conferat: & in Fraxineis pesti ac venenis constãter repugnet, & ita de multis, ne sim narrando molestus. Septimum, vina medicata quæ cum musto fiunt, non esse vsui antè XL. dies, vel menses duos ab eorum deferuefactione, secus autem de alijs. Octauum, absque arduo labore & sumptu, vinum medicatum fieri sine igne & ebullitione, si quæ visum erit in fascilum deligaueris, & vino immerseris, adiecto lapide pendulo, vt materiæ, hoc veluti ponduscul odegrauatæ, in

Tertium.

Quartum.

Quintum.

Sextum.

Septimum.

Octauum.

vinum

vinum descendant. Idem fiet, si linteolo raro, vel sacculo mundo materias incluseris, &, vt dictum est, in vinum demiseris. Quod diebus nonnullis hinc exactis gustandum erit, & paulò pòst regustandum: & tandiu repetendum, donec vinum, rerum infusarum saporé ac odorem in se transtulisse, & exactè ebibisse videbitur. Quod vbi deprehendes, tum demũ materias excludes, & vinũ habebis pro illarum facultatibus medicamentosum, tibi sedulò custodiendum, & ne difflatum admittat, accuratè obturandum. Superioribus addere πάρεργον non erit, quòd quæ insignem habent qualitatem, & vino remisceri debent, parua mole, maximam illius quantitatem exigent, ob saporis, vel odoris excellentem vim, citam penetrationem, & extemporaneam insinuationem, quæ & gustui & olfactui sese statim imprimit. Hæc si nimia erit, & ob id ingrata, dulcibus, odoratis ac suauibus emendari, vel saltem tegi & dissimulari poterit: sicuti in medicatis fructibus docuimus. Sed de artificijs vinorum medicatorum hæc satis erunt. Nunc demum restat, vt particulares aliquot eorundem formulas tibi proponamus, cum proprijs singulorum auxilijs, vsu, & remedijs: gradatim ab antiquorum placitis & formulis, ad recentiorum scripta, modos & experimenta eundo. Quod, vt dictum, ita etiam factum agnoscas, sic verba ad rem confero & deduco.

Pręceptũ valdè obseruandum.

Parasceue ad vinorũ medicantium facultates.

VINO-

VINORVM MEDICATORVM ET MEDICANTIVM PARTICVLARES aliquot formulæ, & præsidia, ex Græcis Florentini Georgicis.

Vinum factitium ex Rosis, Anetho & Aniso.

Triũ vinorũ factitiorũ vires et naturę.

IN vinum mustum, vel aliud, conijcito rosarum exunguium & montanarum, necnon anisi ac mellis partem, cum modico croco: simul ligato omnia. Id commodum erit stomachis & pleuriticis. Colligato præterea Anethi semen in linteo, & in vinum demittito: somnificum erit, vrinam mouebit, ac cibos concoquet. Rursus Anisi semen, vino, vt dictum est, inijcito, difficultatem lotij emendabit, ac visceribus summè proderit.

Vinum ex Asaro, Pulegio, & fœniculo.

Primum vrinam elicit, hydropicos & ictericos iuuat, hepaticos corroborat, ischiados & tertianarios recreat, ac febrium rigores soluit. Secundum, aduersus serpentium & reptilium venena vtile est. Tertium, lapsam appetentiam erigit, stomachum firmat, & vrinas mouet.

Vinum ex baccis Lauri, Petroselino, & Conyza.

Vinum ex baccis Lauri, tussi, pectori, torminibus, & difficultatibus vrinæ auxiliatur, senibus prodest, aurium doloribus succurrit, serpẽtibus ac reptilibus aduersatur, & mulieres, quibus vterus strangulationem minatur, apprimè iuuat. Ex Petroselino, ventriculum roborat, eius flatus discutit nauseabundos, appetentiam

excitat,

excitat, vrinam ducit, & somnum conciliat. Ex Conyza, stomacho est valde accommodum: paralyticis, stupentibus, tremulis, torminosis & nephriticis opitulatur, pestilentibusq; morbis summè conducit.

Vinum ex Ruta, Fœno græco, Hyssopo, & Apio.

Primum aduersus venena, venenata medicamenta, flatus, & reptilia, auxiliare est. Secundum hepati plurimùm prodest, præsertim si fœnum græcum fuerit contusum. Tertium, pectus purgat, coctionem iuuat, & aluo est vtile. Quartum confert lotio reddendo, appetentiæ ac neruorũ præcordiorumq; doloribus. Sed apij semen debet mitti contusum in vinum.

Vinum ex Absinthio & Thimo.

Absinthij maximè Pontici, drachmas octo cõtunde, & raro linteolo illiga: demum in amphoram cum cassia inijce, & mustum optimum superfunde, relicto spiraculo, vt feruescat: deinde reple & serua. Vsus erit ad præcordiorum ac hepatis dolores, necnon ventriculi cruditates, & affectus alios eiusdem. Eijcit etiam animalia quæ in intestinis connutriuntur. Vinum ex Thymo sic concinnatur. Thymum dum floret collectum & siccatum, terito: deinde in dolium chœnices quatuor indito, & vini albi metreta affusa dolium ad dies XL. oblinito. Potens est mulieri lac detrahere, & ægritudines fœmineas emendare. Hactenus Florentinus inter Græcos geoponicos medicos eximius.

Amphorę libræ 80.

Chœnix libræ 2. et quadrans.

Metreta, lib. 108. mensurales.

MEDICATORVM ET MEDICANTIVM VINORVM PARTICVLARES ALIquot formulæ, & præsidia, ex M.Catone.

Vinum factitium ad aluum mouendam.

Cyath*, vnc. i. semis.

IN vinum mustum veratri atri manipulum in amphoram conijcito: vbi satis efferbuerit, de vino manipulum eijcito: id vinum seruato ad aluum mouendam. De eo cyathum sumito, misceto aqua, & bibito ante cœnam, sine periculo aluum mouebit: vel cyathum in cæteram potionem indito, aluum mouebit & postridie perpurgabit sine periculo.

Vinum concinnare, si lotium difficilius transibit.

Congius, libræ, 10.

Iuniperum in pila contundito, libram indito in duobus congijs vini veteris, in vase mũdo de feruefacito. Vbi refrixerit, in lagœnam mittito mane ieiunus cyathum sumito, proderit.

Vinum ad Ischiadicos.

De iunipero materiam semipedem crassam minutim concidito, feruefacito cum vini veteri congio. Vbi refrixerit in lagœnam confundito & postea vtitor id vini cyathum: ieiunis mane proderit.

Vinum ad tormina, & si tineæ, & lumbrici molesti erunt.

Heminæ, vnc. 10.

Sumito triginta mala punica acerba, contundito, indito in vrceum, & vini nigri austeri congios treis superponito: vas oblinito post. xxx. dies aperito, & vtitor: ieiunus heminam bibito.

Vinũ

Vinum ad dyspepsiam & stranguriam.

Malum punicũ vbi florebit colligito: tres heminas in amphoram infundito: vini veteris quadrantal addito, & fœniculi radicem puram contusam ad heminam vnam: oblinito amphoram & post dies xxx. aperito, & vtitor. Vbi voles cibum concoquere & lotium facere, hinc bibito quantum voles sine periculo. Idem vinum tineas etiam perpurgat & lumbricos, si sic cõcinnes. Incœnatum iube esse: postridie thuris drachmam conterito, & mellis cocti drachmam vnam, & vini prædicti sextarium: dato ieiuno, & puero pro ætate triobolum, & vini heminam. Hactenus M. Cato, qui in mensuris paulò est liberior, si hæc tempora & corpora spectes.

Quadrantal idem quod amphora.

Triobolus, drachma semis.

MEDICATORVM ET MEDICANTIVM VINORVM PARTICVLARES aliquot formulæ, & præsidia, ex Dioscoride.

Vinum Rhodites, seu è Rosis.

Rosarum contusarum minam linteolo deligatam, in musti sextarios VIII. demergito, & post III. menses defæcatum vinum transfundens recondito. Vtile est his qui febre carent, & ad ventriculi coctiones, eiusq; dolores, à cibo potum. Valet etiam cõtra humidas aluos & dysenterias.

Mina & libra, idem. Sextarius, li. 2. cum vnc. 8

Vinum absinthites.

Variæ sunt apud Dioscoridem vini huius concinnandi formulæ, ex quibus hãc paratu faciliorem tibi selegimus. Absinthij Pontici mina tusa,

Cadus q; & metreta dicitur, capit libras 108.

& raro linteo deligata, in cado musti maceratur binis mensibus. Vtile est vinum id stomacho vrinam mouet, coctionem tardam accelerat. Hepaticis, regio morbo, & renum vitijs auxiliatur: fastidia discutit, & ijs prodest, quibus ventriculus negotium exhibet. Valet contra longam pręcordiorum distensionem, & inflationes, teretesq́ vẽtris tineas, & remoratos menses.

Vinum Hyssopites.

Libra foliorum hyssopi tusorum, & linteolo raro cum quibusdam lapillis inuolutorum (vt degrauatus ponduſculo fasciculus sidat) in musti amphoram conijcitur. Vinum post XL. dies defæcatum elutriatur. Prodest contra pectoris, laterum & pulmonis vitia, veterem tussim et suspiria. Vrinam cit, torminibus & horroribus febrium circuitu repetentibus auxiliatur, ac menses mouet.

De amphora vide suprà.

Vinum è Bethonica.

Herbam semine prægnantem cum suis ramulis, librę vnius pondere, congijs duobus vini macerant, & post VII. mẽsem transfundunt. Ad multa interaneorum vitia, vt frutex ipse, pollet. Et, vt in vniuersum dicatur, factitia vina, misturarũ vires sibi asciscunt. Quare non difficile fuerit ijs qui illarum naturas norunt, vinorum vires coniectura quadam assequi. Veruntamen vinorum vsus febricitantibus abdicandus est. Fit etiam è Betonica acetum ad eadem vitia vtile.

De congio suprà.

Præceptũ vniuersale & notandum.

Vinum Thymites seu è Thymo.

Valet contra ægras coctiones, fastidia, dysenteriam, neruorum & præcordiorum dolores, hyber-

hybernos algores, & venenata animalia, quorũ morſum frigus inſequitur, aut putreſcit locus. Ad eadem pollet vinum Origanites.

Vinum ex Aſaro & Dauco.

Prius vrinam ciet, ac hydropicis, regio morbo laborantibus, hepaticis, iſchiadicisq; conuenit. Poſterius facit ad dolores thoracis, pręcordiorum & vuluæ. Menſes pellit, ructus euocat, & vrinam cunctantem ducit. Prodeſt etiam tuſsi, ruptis & vulſis.

Vinum Saluiatum & Marrubiatum.

Quod prius eſt, valet contra renum, veſicę & laterum dolores, ſanguinis reiectiones, tuſsim, rupta, vulſa, & ſuppreſſos menſes. Poſterius conuenit vitijs pectoris, & omnibus morbis quibus marrubium confert.

Vinum ex Apio, Anetho, Fœniculo & Petroſelino.

Omnium eadem eſt conficiendi ratio, & vires eædem. Sumuntur ſeminis apij recentis maturi & cribrati vncię nouem, linteo raro colligantur, & in muſti amphoram demittuntur. Appetentiam excitat, ſtomachicis auxiliatur & difficili vrinæ, ac faciles ſpiritus facit.

Vinum Granatorum.

Ex varijs artificijs, quibus vinum iſtud concinnatur, hîc aliquot Dioſcoridi ac recentioribus probata cõſcribemus. Succus exprimitur ab acinis Punicorũ, quibus lignoſus abeſt nucleus (apyrena vocant) & ad tertias decoquitur, ac ita reponitur. Efficax eſt contra fluxiones inter-

Varij modi cōponendi vini Punicorum.

nas, & febrim cum alui profluuio exortam. Vrinam mouet, aluum astringit, & stomacho admodum est vtile. Alij repurgatos Punicorum acinos, statim prælo subijciunt, & expressum succū vitreis amphoris recondunt, ibiq; per se tandiu efferuescere sinunt, quousque deferbuerit & subsidat fæx. Deinde in alias transfundunt amphoras, quod à fæcibus repurgatum eximunt, & oleum super affundunt, ne mora longa vapescat, vel corrumpatur & acescat. Sunt qui repurgatos acinos cum pari mensura vuæ nigræ, saporis austeriusculi, remisceant, calcent, & per se efferuescere sinant, quoad vinum clarum euadat. Deinde percolatum, in doliolis adseruant: sic enim gustui plurimùm arridet. Modum alium expeditum reperies in nostro Alexikepo, seu auxiliari et medico Horto, cāpi VII. area XI. vbi de facultatibus Punicorum agimus, quas etiam agnoscit vinum ex illis concinnatum, quando factitia vina miscellaneorum suorū vires sibi adsciscunt: vt ex Dioscoride proposuimus in vino è Betonica. A quo plura, & longè diuersa vinorum medicatorum genera reposces.

VINORVM MEDICATORVM ET MEDICANTIVM PARTICVLARES aliquot formulę & auxilia, ex Arnaldo Villanouano, & alijs.

Vinum mirabile pro melancholicis.

QVI laborāt melancholia ex bile adusta collecta in vasis hepatis ac venarum, vt scribit Arnal-

bit Arnaldus, aut natura ſunt bilioſi, componãt ſibi vinum ſecundum aliquam ex pręcedentibus formulis, quod capiat bugloſsi, meliſſæ, ſcolopendriæ, epithymi, behen albi & nigri, polypodij querni, foliorum ſenæ, roſarum rubrarũ exũguium, florum borraginis & bugloſsi, ſingulorũ mundatorum, quam voluerint partem, iuxta ꝓportionem vini concinnandi. Huius vſus ſalubris erit, per veris & hyemis tempora, & maximè autumni, in quo præcipuè viget melancholia. Si diu ſeruari debet, tuendæ tantùm ſanitatis gratia, & non profligando præſenti morbo, excludetur ſena, & loco eius ſubſtituetur behen albi & rubri, ana (vt loquuntur) hoc eſt, ſingulorũ vncia vna. Vinum id melãcholicis triſtitiam aufert, ærumnoſas cogitationes abigit, lætitiam inducit, rationem componit, cor exhilarat, & humorum incinerationes emendat. Valet etiam aduerſus quartanas ex aduſtione factas, & ſanguinem à limo ac fæcibus repurgat, corporiſq; habitum reparat. Poteſt id vinum alteri miſceri, & ſolito more ſumi, ſi paulò potentius ac medicamentoſius eſſet.

Vſus vini melancholiã emendãtis.

Vinum Cardiacum ſeu cordiale.

Fit ex borragine, meliſſa, bugloſſo, & cinnamomo. Prodeſt aduerſus cordis palpitationẽ, & cardiacum affectum. Sanguinem corruptum emaculat, ſcabiem abolet, lepram curat, ſpiritus recreat, & animum exhilarat. Melancholicos humores & aduſtos per vrinas educit, ac cerebrum à craſsis, turbulentis & ærumnoſis melancholiæ fumis expedit. Quibus addo, ait Villanouanus, quòd dementes & furioſos, vinculis retinendos, plurimùm recreat, & ad rationis diſcretioniſq;

Vinum bugloſſatum.

Historia pulchra.

vſum perbellè reducit. Teſtis eſt mihi conſcientia, inquit, niſi viderim matronam quandam hinc liberatam: quæ frequenter ex quauis iracundia, velut demens & impos animi efficiebatur, dicenda tacenda loquebatur, & adeò furioſa & intractabilis fiebat, vt ligari cogeretur, donec deferbuiſſet furor, & illa ad ſe rediјſſet. Fuit ei præſtantiſsimo auxilio, & præſentiſsimo remedio, vini iſtius vſus, indicatus à peregrino homine quodam, eleemoſynã pro foribus dictæ matronæ implorãte, vt ille idem Villanouanus ſcribit. Qui etiam teſtatur ſuccum borraginis, aut buglosſi defæcatum, ſeu (vt loquuntur) clarificatum, ad ſuperiores affectus valde prodeſſe, ſi vino miſceatur, & quotidie hauriatur: nec indiget vlla dulcoratione, quòd ex ſe multùm ſit dulcis ac ſuauis ſuccus ille.

Succus borraginis.

Vinum Paſſulatum, vel vuarum Damaſcenarum,

Paſſulæ & Damaſcenæ vuæ, ſuccoſæ & à ſuis vinaceis & nucleolis repurgatæ, ac parum contuſæ, mittuntur in vas idoneum, cui ſuperfunditur muſtum, & quibus dictum eſt modis perficitur. Vtile eſt ſenibus, valetudinarijs, pituitoſis, melancholicis, & mulieribus delicatulis. Pectus lenit, iecur & ventriculum roborat, ſanguinem emendat, putrefactioni reſiſtit, nauſeas tollit, corpus impinguat, ac bellè nutrit. Aſthmati & tuſsi auxiliatur, coctricem facultatem cum alijs naturalibus, ſummè iuuat, & lienteriam, aluiq; fluxiones compeſcit. Syncopem tollit, humiditates conſumit, ac hydropi aquoſæ ſuccurrit. Paucis,

Vinũ pſtantiſsimũ & ſaluberrimum.

Paucis, qui hoc vino vtitur à pituosis infirmitatibus defenditur.

Vinum Cydonites, seu Cotoneorum.

Vinum melites, seu cydonites sic fit. Mala cotonea, seminibus suis castrata, frustulatim scinduntur, rapi modo, vt scribit Dioscorides, & duodecim librarũ pondo, in musti metretã, diebus xxx. macerantur: postea defæcatum vinum reponitur. Id astringit, roborat, & recreat. Vnde cardiacis, stomachicis, hepaticis, dysentericis, nephriticis, & vrinę difficultatibus, summè prodest. Qui post macerationem exempta cotonea coquere volet, ac per saccum excernere, & saccharo condire, habebit cydoniatum satis laudabile, & familiæ ægrotanti salutare. Est & Hydromelum multis celebratum, ac falsò Hydromel à plerisque nuncupatum, cùm nihil mellis admittat, & nomen habeat ab aqua, & cydonijs, quæ Græci μῆλα nuncupant. Huius compositio hunc habet modum. Nouis imbribus nimirum vernis, cœlestis aqua mundo vase excipitur, diu in vmbra quiescit, percolatur defæcata, & in ea tandiu macerantur cydonia, suis interaneis purgata, & frustulatim diuisa, donec succus transijsse videatur in colorem vini giluj, aut pallidi. Demum aqua illa per dies caniculares longo tempore insolatur, vel lento igni, ex carbonibus absque fumo excitato, coquitur, ac despumatur: postea in vas refunditur, quod diligenter opertũ, loco idoneo seruabitur. Post septimũ mensem ꝓ vino vti licebit, ad omnia corporis vitia, quæ robore virium & astrictione indigent: cuiusmodi sunt resoluta, dissoluta, imbecilla, sudoribus diffluentia,

De metreta scriptũ suprà

Compositio Hydromeli.

Vires pstantissimæ hydromeli.

tia, & similia. Viscera omnia laxa recolligit, nauseam & vomitum compescit, lapsam appetentiã erigit, vẽtriculum firmat, lubricas aluos retinet, hepar calidum emendat, hęmoptoicis & sanguinem spuentibus succurrit, coctionem adiuuat, ac reptantes in cerebrum vapores deprimit. Ante cibum retentricem facultatem stabilit, intestinis robur addit, & deprauatum illorum motum cõponit. Vsus eius omni ætati, sexui ac regioni, vt scribit Auicenna, valde congruit, lætitiam inducit, sitim restinguit, colorem faciei reparat, debiles renes confirmat, ebrietati ac crapulæ occurrit & conualescentibus omnibus valde prodest. Sed de multis id illi est admirabile, quòd contra auram pestilentem, venena, ac venenata, diuinitùs opponitur, & præbibitur, quemadmodũ sæpiùs exploratum vidimus. Cæterùm, si quis volet ex tempore vinum cydonites sibi comparare, sed superiore multò infirmius, assata cotonea, depellata, & adhuc calentia in vinum generosum mittat, & horis aliquot inibi maceret, deinde vinum illud percolet. Vel purgata cydonia & exenterata, in vino albo perstrenuo ac subtili, diem vnum vel alterum insuccari & inebriari sinat, postea igni lento, & vase mundo, ad id accommodo, excoquenda componat, vinumq; illud transcolet, ac in vsum custodiat. Si reliquias cotoneorum, vt paulò antè ostendimus, condire volet, habebit cydoniatum non ignobile. Cui, post secretionem & sacchari misturam, si vnà etiam Rhabarbari optimi, & subtiliter puluerati, idoneam portionem adiecerit, aut clementer purgans simplex medicamentum aliud addiderit, & miscellanea illa confuderit, tribulauerit, &

[Margin: Notandũ & obseruandũ.]

[Margin: Aliæ formulæ cõponendi vini cydoniati.]

& recoxerit, habebit præstantiſsimum cydoniatum, & valde accommodum aluo mouendæ, & corpori vacuando, idq́ multò certius & salubrius, quàm ex eo quod ſcammoniatum & diagridiatum Lugduno adfertur: quemadmodum in Horto noſtro medico haud ita pridem multorum remediorum & ſecretorum acceſsione aucto & illuſtrato, ſcripſimus. Ad quem, vt reliqua cotoneorum ſecreta agnoſcas, te libenter mitto & inuito. Inuenies illic quod didiciſſe iuuet.

Quomodo fiat cydoniatũ laxatiuũ.

Vinum Roſmarinatum.

Vinum ex Roremarino concinnatũ, nouum non eſt, nec in noſtra Europa inuentum: de quo hunc in modum ſcribit Arnaldus Villanouanus autoris cuiuſdam anonymi verba referens. Cùm eſſem, inquit, in Babylonia, multis precibus & inſtanti efflagitatione accepi à quodam vetulo & docto medico Sarracenorum, virtutes Roriſmarini, quas Rabi quidam pro ſummis habebat arcanis nemini publicandis. Inter alias vinum proponebat, cuius compoſitio non degenerat à formulis aliorum vinorũ medicatorum. Eius facultates planè ſunt admirandæ in omnibus frigidis ægritudinibus, præſertim capitis & neruorum. Languentẽ & deiectã appetẽtiam excitat, cor ſuo odore dilatat, ſpiritus omnes recreat, diſsipatos recolligit, cerebrum roborat, mẽbra laxa & fluida ſtabilit, ac tremulas corporis partes cõfirmat, tam potu, q̃ fotu: dum facies eo eluitur, elegantem ac ſummè pulchram reddit, expolit & erugat. Si arteriæ brachiorum & temporum eo intingantur, & foueantur, illico vires cerebro & cor-

Inuentio vini Roriſmarinacei.

Miræ facultates vini ex Roremarino

di communicant, & proinde auræ contagiosæ ac pestilenti morbo valde occurrũt, partes illas principes aduersus huiuscemodi luem armando ac roborando. Vsum insuper habet summũ, ac facultates eximias, vt corpus reddat immune ab anthracibus, furunculis, scabie, & malignis pustulis omnibus, excremẽtitias superfluitates ac superflua & muccosa excrementa dissipãdo, & internas corruptiones emendando. Pituitam incîdit, melancholiam diluit, sanguinem emaculat, obstructa reserat, crassa tenuat, lenta dissecat, & ab omni corruptela corpus vindicat. Quandocunq; os vino isto colluitur, suauem & odoriferum conciliat halitum, dẽtes emundat, gingiuas roborat, & si quod vitium illis inest, ad vnguem curat. Hulcera manantia & humida resiccat, putridisque febribus summè auxiliatur. Si quis à longa infirmitate reualescens, pane tosto, & huic vino intincto, necnon saccharato, ieiunus vtatur, collapsam appetentiam suscitabit, ac ventriculo summè commodabit. Phthisicos, hecticos, paralyticos, lethargicos, epilepticos, cardiacos, quartanarios, cœliacos, pulmonarios, podagricos, nauseabũdos et fluxionibus obnoxios quosuis, tam potu, quàm fotu, mirum in modum adiuuat. Quod etiam præstare fertur vinũ macerationis & decoctionis florum eiusdem. Sed ex omnibus facultatibus, quas pręstãtissimas habet vinum istud, ea est, quòd theriaces vicariũ vbiq; habetur, cõtra venenatos cibos & potiones, necnõ venenata omnia, aut veneni naturam habentia. Quod postremum erit, mirandum in modum auxiliatur mulieribus, quæ mensiũ suppresione & vteri affectibus laborant : facitq; plurimum ad con-

> Reualescẽtes ex longa infirmitate.

> Vinũ rosmarinatũ theriaces vicariũ.

ad conceptus, etiam si longo tempore desperati sint. Hæc partim ex Villanouano, partim ex multorum experimentis & libris, bona fide hîc tibi communicare & impertire voluimus.

Vinum obstructiones aperiens, & melancholicos emendans.

Fit ex folijs & radicibus cichorij, scolopendræ, endiuiæ, & aliquot summitatibus absinthij. Quæ post longam macerationem in vino, & sufficientem decoctionem percolantur, & vinum aliud superfunditur, recoquitur, ac postremò per colatorium exceptum, priori miscetur, & in vase idoneo reseruatur. Si insignem amarorem, aut gustum aliquem ingratum præ se tulerit emendabitur, quo dictum est modo in fructibus medicatis. Valet tale vinum ad tollendas obstructiones hepatis, lienis, & viscerum, amoliendosqúe affectus hinc natos: quales sunt icterus, nubilium pallidi colores, & similes. Si vncia vna, vel drachmæ decem epithymi & polypodij quercini, modicè contusorum, macerentur in selibra generosi vini albi, & leniter ferueant, deinde percolentur, & hauriantur, melancholicis opem miram adferent, si potio per aliquot dierum interualla repetatur. Compositio copiosa fieri poterit, & ad vsum reseruari.

Vinum ad omnes obstructiones.

Vinum pro melancholicis.

Vinum Euphragiatum ad oculos.

Mittitur Euphragia in mustum, & quibus dictum fuit modis conficitur vinum, cuius vsu oculi senum iuueniles fiunt. Nam impedimenta quibus visio deprauatur, aut imbecillior euadit, ab omni homine cuiuscunque fuerit ætatis, ha-

Impedimentorum visus ablatio.

bitus & temperamenti aufert. Noui quendam, inquit Arnaldus, multo tempore nihil videntem, & hinc vitam miserè trahentem, qui intra annum præsidio huius vini, visionem sibi reparauit. Nam eo priuilegio dotata est planta vnde conficitur, vt vitiatis oculis præsentissimo sit remedio: adeò quòd si puluis eius cum vitello oui exhauriatur, rem miram in restauranda visione prestabit. Idem fiet si cum vino albo propinetur, cui præmacerata vel præbullita sint aliquot fœniculi grana. Cuius rei testes sunt multi adhuc superstites (inquit Arnaldus) & fide digni, qui facto experimento, literas etiã minusculas & subtiles legerunt, cùm antea, absque perspicillis & ocularibus, ne maiusculas quidem videre possent. Si id vini aqua fœniculi temperaueris, eius vires summè augebis.

Vinum Enulatum.

Enula campana reddit præcordia sana,

Vinum in quo per triduum macerata fuerit Enula campana, seu Helenium, mirabili affectu visum illustrabit, & pesti pugnabit, menses ac vrinas mouebit: inflationibus, torminibus, serpentium morsibus, & tussi ac pectoris vitijs etiamnum auxiliabitur.

Vinum Saluiatum.

Saluia in neruorũ affectibus prę stantissima.

Quocunq; fiat modo vinum è Saluia, siue per decoctionem plantæ in vino, siue per suspensionem eiusdem in sacculo, mirabilis est vsus & facultatis aduersus gingiuarum vitia & relaxationes, dentium vacillantium dolores, neruorum et neruosarum partium affectus, paralysim, cõtractionem, conuulsionem, tremorem, & similes. Nam neruos valde roborat, recreat, ac sustinet,

tam potu, quàm calente fotu; post longã & blandam frictionem. Nec quidquam est vt tradit Arnaldus, eo pręsidio certius ac melius. Prodest etiam aduersus epilepsiam, quæ vitio stomachi, vel vteri, per partium sympathiam & cõsensum excitatur. Reliqua tibi conferenda erunt, cum his quæ de facultatibus Saluiæ scripsimus in nostro Horto medico: nam medicata vina, eorum vires referunt, quibus remiscentur, vt ex Dioscoride antea adnotauimus.

Vinum Hyssopites.

Hoc vinum cum glycyrrhiza dulcoratum, vel saccharo, propriè & peculiariter vinũ senum dici solet. Nam vim habet digerendi, incidendi, tenuandi, tergendi, aperiendi, attrahendi, & vrinas mouendi. Magno est auxilio in humida tussi, & epilepsia, maximè puerili. Humiditates ventriculi & vteri desiccat, potu & fotu. Pulmonis bronchias ab infarctu & obstructiõe liberat: vias omnes vocales à pituita expedit, hydropicos iuuat, & humiditate laxatas partes, fomẽtis calidis desiccat, reficit ac roborat.

Vinum senum & pituitosorum.

Vinum Fœniculatum.

Conficitur hoc vinum ex semine fœniculi, valetq́; plurimum aduersus oculorum caliginem, ventris flatus & tormenta, hydropem, & cachexiam, seu malum corporis habitũ, in pueris maximè. quod se expertum tradit Arnaldus. Præterea venenis ac cibis malarum qualitatum occurrit, & contra tusses, pulmonisq́ue vitia summè opitulatur. Lac & genitale semen multiplicat, nauseam tollit, laterum dolores sedat, colicos cruciatus demulcet, vẽtos internosq́; dissipat, coctio-

Multæ vtilitates ex vino fœniculato.

coctionem iuuat, obstructa aperit, & splenis, hepatis & ventriculi labores finit. Si ex radicibus componatur id vinum, nephriticis & renum calculo vexatis medebitur, vrinas proliciet, vesicæ commodabit, ac menstrua soluet.

Vinum Eryngatum.

Fit, vt cætera vina, tam radice quàm tota planta. Stranguriam & vrinæ stillicidium statim soluit addito saccharo, & ad generationem mulieres cessantes excitat, imò etiam viros, semen augendo. Menses ac vrinas pellit, & tormina inflationesqúe discutit. Prodest etiam contra iecinoris vitia, venena, pestem, & alia à multis experta.

Vinum conceptus adiuuans.

Vinum Anisatum.

Obstructiones internas liberat, flatus discutit, ructus acidos componit, coctionem reparat, & coli excarnificationes emendat. Sed omnium maximè mulieribus prodest, quib. lac multiplicat, si comite optimo saccharo affatim diebus aliquot hauriatur: nam sic efficacissimum esse censetur. Renum dolores & vitia ex flatibus amolitur, ac arenulas ab ijsdem cleměter excludit: maximè si quis præsumpserit dianisum & diatragacanthen. Nam statim cruciatibus sedatis, à congestis arenulis emundantur renes, & vnà cum vrinis eluuntur.

Remedium optimũ aduersus renũ arenulas.

Vinum Rhodites, seu è Rosis.

Aestiuum dici potest vnum hoc, quòd per æstatem & calores corporibus summè conueniat. Fit ex rosis rubris exunguatis, desiccatis, & musto, vt dictũ est, impositis ac tractatis. Idẽ multò

Vinum æstiuum.

citiùs,

citiùs, sed imbecillius, concinnabitur, si in vini amphoram tantùm rosaceæ aquæ immittatur, quantum cuiusque gustus, & odoratus ferre poterit. Internos æstus refrigerat, cor & viscera roborat, facultates corporis vanescentes sustinet, membrorum laxitatem firmat, dissoluta resarcit, dissipata recolligit, diffluentes sudores continet, putredini resistit, & pestilenti aurę ac febri, præstantissimum est remedium. Biliosis & calidis naturis admodum est salubre, efficaciterquè prodest contra lyenteriam, dysenteriam, retentricem imbecillam, vomitum, nauseam & syncopem, maximè si aqua pluuiali & chalybeata temperetur. Si eo frequenter os colluatur, præter quàm quòd dentes imbelles firmabit, & fluidas gingiuas roborabit, etiam halitus summam graciam præstabit. Si facies eo lauetur cum succo limoniorum, indicibile decus, & admirandam venustatem illi comparabit. Si guttula vna oculis instilletur, illorum aciem emẽdabit. Nam ratione vini detergebit ac mundabit, & rosarum causa, oculorum substantiam roborabit, recolliget, ac firmabit.

Miræ facultates vini rosacei.

Faciei decus & venustas.

Vinum Halicacabi, seu Alkekengi.

Hoc vinum fit ex Halicacabi acinis seu cerasijs, quando sub vindemiam in suis vesiculis flauescunt, & hinc maturitatem præ se ferunt. Compositio cadit in aliquem modorum initio descriptorum. Si ad extemporaneam concinnationem vrgeret necessitas, hac incedes via. Aliquot ex dictis cerasijs in generosissimo vino albo conterentur, macerabuntur, vna & altera ebullitione feruebunt, percolabuntur, & addito saccharo, vel

Extemporanea compositio vini Halicacabati.

tantillo

tantillo cinnamomi, si opus erit, vinum haurietur. Valet contra dysuriam, vrinæ inuitam retentionem, ac difficilem eius expulsionem. Nam statim illam elicit, & quantumcunque suppressa fuerit, abundè fluere cogit: vnà è renibus arenulas adeò copiosas, & attritos calculos secum educens, vt manu excipi & facilè discerni possint. Hinc fit, vt assuetus, & domesticus illius vsus, nephriticos & calculosos multos à sæuissimis cruciatibus, ceu à quopiam immani tortore, quasi diuinitùs, me monitore & consultore, eripuerit. Sed vsum illius imperabam, circa nouilunia & paulò pòst, repurgato prius corpore cum recenti cassia Rhabarbarata. Si inueteratus erit affectus, vt in senibus, longiore mora & vsu opus erit. Sed eã in rẽ mihi succurrit historia, ab Arnaldo Villanouano ad hunc descripta modum. Fuit tempore meo, Cardinalis quispiam, cui per totum quatriduum adeò vrina supprimebatur, vt iam totus venter inferior, vtris modo, miserè turgeret: ex quo nihil promouentibus remedijs, pro deplorato & conclamato habebatur, nisi quidam medicus Empiricus, velut ad machinas deus, opportunè illi adfuisset, & magno ac fœlici successu, vinum halicacabi propinasset: nam hinc vsque adeò solutus fuit ei vesicę sphincter, & ostiolum, vt concham vnam, inquit Arnaldus, iugiter effuso & reddito lotio, impleuerit. Quo solo experimento medicus ille, alioquin ignobilis & parum eruditus, magnus ac diues euasit.

Aduersus vrinę vitia.

Remedium præstantissimum pro nephriticis.

Pulcherrima historia.

Empiricorũ fortunæ improuisæ.

Vinum Caryophyllatum.

Caryophylli sacculo aut linteo raro inclusi, mer-

merguntur intra mustum: vel, quod satius est, suspenduntur. Vinum valebit contra asthma antiquum, & putrem senum tussim, syncopē & epilepsiam. Coctionē iuuabit, frigidum stomachum recreabit, & halitus suauitatem conciliabit. Verumenimuerò quia corpus summè calfacit, consultissimum fuerit, ei vel saccharum vel glycyrrhizam addere, vt aquam rosaceam.

Senibus vinum accommodum.

Vinum Gramineum.

Componitur ex radicibus graminis seu centinodiæ, vel polygoni probè mundatis & elotis. Lumbricos occidit, renes ab arenulis vindicat, vesicam lotio grauidam et impeditam exonerat, obstructiones hepatis aperit, necnon mesaraicarum, quę ex cruditatibus fiunt. Dolores arthriticos placat, vacuata eorum materia pituitosa per vrinas. Nam radix graminea etiam inter diuretica recensetur. Si vinum id concinnare voles ex Polygono mare, seu centinodia, quam officinæ corrigiolam vocant, & linguā passeris, habebis præstantissimum auxilium, mihi sæpenumerò in quāplurimis fœlicissimè expertum ad vitia omnia renum & vesicæ: maximè contra arenulas, calculum, nephritim, dysuriam, & colicos ex his cruciatus.

Ad vrinę impedimenta & labores.

Vinū optimū & valde probatum.

Vinum Ebulatum, seu ex Ebulo, vel Chamæacte.

Vinum hoc solutiuum est alui, & fit ex acinis ebuli maturis. Qui vindemiæ tempore parum calcati, in musto feruent, despumantur, per colatorium vimineum transmittuntur, & vinum defæcatum vsui custoditur. Aliter, cum musto, lento igni

Cōpositio ebulati vini.

to igni

to igni feruent, donec pars tertia absumpta fuerit: deinde spuma exclusa, nocte vna sub dio quiescunt: postridie, vt prius, percolantur. Sunt qui pro acinis radices vsurpent, & quo dictum est modo, componant. Pituitam & bilem trahit, hydropi medetur, vuluarum claustra aperit, vlceribus tam internis quàm externis prodest, ac omnium maximè ischiadicis, podagricis, & lue Venerea infectis. Nam vi sua deiectoria, dolores eorum mirificè demulcet, vacuata & reuulsa materia, quæ ad fluxum parata erat, & iamiam fortassis viam sibi fecerat. Sed stomacho nonnihil incommodat, ob id odoratis in vinum missis recreandus, ac roborandus erit.

Vinum aduersus luem veneream.

Vinum, fœtum in grauidis continens, & steriles ad concipiendum præparans.

Vinum flatus è corpore deturbans, & grauidas ne abortiant summè adiuuans, fœtumque, donec legitimum adfuerit pariendi tempus, illæsum ac vegetum custodiens, hanc habet compositionem. Accipe seminum apij, menthæ siccæ & ammeos, singulorũ drachmas tres: masticis, caryophyllorum, cardamomi, rosarum rubrarum, singulorum drachmam vnam: cinnamomi, corticum radicum capparum, castorei, zedoariæ, ireos Illyricæ, singulorum scrupulos duos, sacchari albissimi & optimi libras duas. Fiat ex his omnibus vinum, quo solet modo componi aromatites, vulgò Hippocraticum nuncupatum. Vsus erit manè & serò, parua quantitate. Roborat vteri ligamenta, vterumque ipsum exhilarat, & virtutem eius retentricem ad perferendum onus

Compositio præstantissimi vini.

onus gestationis summè iuuat. Præterea, steriles, ob flatulentam vteri dispositionem, vel eius frigiditatem, humiditatem, aut lubricam naturam, quæ genitale semen sibi concreditum diffluere sinit, emendatis & reparatis huiusmodi vitijs, ad concipiendum, retinendum & generandum habiles reddit. Hactenus, maxima ex parte, Arnaldus Villanouanus, medicus & philosophus excellentissimus, quem pro nostra tenuitate, paulò tersius loqui fecimus quàm ferebant tempora, in quibus prauè, sic satis, scribebat, sed rectè & peritè medicinam faciebat, sat superque persuasus, remedijs, non verbis, morbos curari. Alia medicata vina ex quibuscunque plantis & rebus medicamentosis ac salubribus, iuxta præcedentes formulas componi poterunt, quorum facultates, miscellaneorum illis immissorum facultatibus, conformes erunt.

Sterilitatis causæ, & cōceptus impedimenta.

VINVM GVAIACI, ET EIVS LEGITIMA COMPOSITIO, AC VERA EXHIBITIO: CVM EXACTA *methodo curandæ luis venereæ, seu scabiei Hispanicæ, aut morbi Neapolitani, ex Petro Andrea Matthiolo Senensi.*

CAVENDVM est à quibusdam impostoribus, qui cùm sint earum ignari rerum quæ ad medicinæ facultatis contemplationem spectant, dum lignum Guaiaci, vel eius cortices ex vino decoquunt, cyclaminum, bryoniam,

Error & impostura quorundam.

 pityusam,

pityuſam, colocynthidem, & turpetum admiſcent, atque alios mille cacodæmones, qui eos de medio tollant. Quippe nulla habita temperamenti, ægritudinis, temporum anni, ſexus, nec ætatis ratione, ſingulis diebus huiuſce decocti tepidi cyathum omnibus indifferenter potandum exhibent. Quo fit, vt ſi forte quadam vnum quandoque perſanent, decem poſtea iugulent, tanquam improbi carnifices. Verùm, vt quiſque horum manus euitare, atque effugere poſsit, operæprecium viſum eſt, vini Guaiaci conficiendi rationem ſubiungere, ac ſubinde hauriendi modum addere. Sumito igitur ligni Guaiaci pręſtantiſsimi, limâ in ſcobem tenuiſsimam attriti, aut tornatili inſtrumento minutim conciſi, libras quatuor, corticum eiuſdem libras duas: cardui benedicti libram vnam & ſemis: adianti, aſpleni, florum vtriuſque bugloſsi, cuiuſque libram: caſſiæ odoratæ drachmas ſex: ſeminis aniſi ſeſq; vnciam, ſacchari libras quinque. Deinde conijciantur omnia in cadum vinarium mundum aptæ capacitatis, deſuper affuſis vini albi quamoptimi & feruentis, libris centum & quinquaginta, mox diligenter vas operculetur, omniaq́ue ſic macerari triduo dimittantur. Poſt triduum verò linteo percolentur, aſſerueturq́ue huiuſce macerationis vinum, in alio vaſe ad ægrotantium potum. Siquidem bibitur hoc tam in prandio quàm in cœna, ſecundi Guaiaci decocti loco: non manè, neque veſperi, ſerapij vice, quemadmodum temerè multi facere conſueuerunt. Hoc idem vinum longè etiam melius, & maiore quantitate vindemiarum tempore confici poteſt, admixtis ligno, cortice, cæteriſq́ue alijs, recentibus

Cõpoſitio vera & legitima vini Guaiaci.

Alia vini Guaiaci cõpoſitio vindemiæ tempore.

vuis

vuis albis in mustum compressis, ibique tamdiu dimissis, quousque mustum efferuescere desinat, & pellucidum, clarumque reddatur: veruntamen multiplicanda sunt omnia, quæ conueniunt medicamenta, pro vuarum ratione.

Præter huius vini potum cibis associandum, bis in die, manè scilicet & vesperi, tribus aut quatuor horis antea quàm sumatur cibus, ægrotantibus exhibeo decocti ligni ex aqua, secundum communem medicorum vsum senas vncias, admixtis vncijs duabus liquoris, hoc modo parandi. Sumito primum adianti, lupi salictarij, fumariæ, aspleni, senæ, singulorum manipulos tres: radicum centaurij magni, glycyrrhizæ, filiculæ, vtriusque buglossi, singulorum vncias quatuor: seminis anisi, melanthij, florum satiui & erratici buglossi, omnium santalorum, cassiæ, quàm cinnamomum vocant, singulorum drachmas quinque. Hæc ex aquæ libris viginti quatuor, decoquantur ad tertias, demum colentur. Sumito deinde præstantissimæ senæ, libras duas: conijcito in vas fictile oris angusti, demum percolatum decoctum feruens superimponito, ac inde obturato fictilis ore puluinari anserinis plumis farcto, ignique prius calefacto, fictile inuoluito, & loco calido collocato, ac ita per diem & noctem reponito. Postridie verò manib. sena premitur, mox dilutum percolatur: cui adijciuntur diluti rosarum efficaciter aluum subducentis libræ sex, sacchari libræ octo: efferuescunt deinde simul subiecto igne quousque tertia pars vanescat. Quo facto additur electissimi Rhabarbari minutim concisi vncia, ac ita iterum feruent omnia, donec

Compositio liquoris præstantissimi.

Senæ præparatio optima.

Zulapij modo consistat liquor. Postremò percolatur linteolo, & vase vitreo reconditur. At si ægrotantes multa pituita redundent, decocto præscripto, optimi turpeti vncia vtiliter addi potest.

Victus ratio pro diætarijs venereo morbo correptis.

Superest victus ratio, quæ ægro talis præscribenda est, scilicet vt tam in prandio quàm in cœna edat panis ternas tantùm vncias, sitqúe is similaceus, ac probe in clibano coctus: adhæc tantundem carnis pullorum gallinaceorum, perdicum, attagenarum, turdorum ac auicularum, in syluis, vineis ac montibus victitantium, assatæ potius quàm elixæ: quin & vuę passæ modicum. Bibat autem oportet pręscripti vini æquam cum cibo mensuram. Quòd si quis purum id bibere non posset, diluatur aqua quæ in phialis vitreis addita Guaiaci vnciola, breui temporis spatio efferbuerit.

Quo tẽpore instituenda diæta & curatio.

Tempus huic curationi aptissimum est Ver, Martio, Aprili & Maio mensibus. Quòd si hoc tempore fieri non possit, fiat mense Septembri in Autumno. Nam sicut æstiuis ardoribus, & exurente iam Sirio, non modo diuturna pharmaca, sed ne quidem breuia tolerant homines: ita nec brumali tempore, dum ingenti frigore sæuit hyems. Interea ægris sine metu noxę indulgere licet, modò cæli serenitas adsit, vt quandoque in proximis hortis, ac viridarijs solatij causa, lento gradu deambulent. Quippe quoniam huiusmodi hortorum amœnitate, animus plurimùm leuari solet.

In hac etiam curandi ratione, quosdam magis, alios minùs perseuerare oportet, pro morbi necessitate, & salutis mensura. Hac ergo ratione vi-

ne vinum Guaiaci exhibitum, non modò medetur cuique acerrimo Hiſpanæ luis & Neapolitani morbi incommodo, ſed etiam diuturnis articulorum, capitis, neruorum, ventriculi, iecinoris, lienisq́ue morbis pituita genitis, mirificè ſuccurrit. Nec minùs etiam podagra laborantibus opem fert, modò diuturna admodum non fuerit ægritudo. Porrò in hoc etiam illud obſeruandum eſt, quòd ego Guaiaci vinum ijs tantùm potandum exhibeo, quibus tantùm pituita redundet, vel ſaltem non exuperet bilis. Si quidem biliosis ſecundum ac tertium ligni ex aqua decoctum, vini loco ſemper cum cibis præbendũ cenſui, vt communiter ab alijs fieri ſolet. Hactenus Andreas Matthiolus Senenſis, medicus doctiſsimus & diligentiſsimus ſuis in Dioſcoridẽ Commentarijs.

Quibus proſit vini guaiaci exhibitio.

PARALIPOMENA QVAEDAM VInorum medicatorum, & hinc varijs morbis variè medicantium.

Vinum ad præcautionem generationis calculi.

ACCIPIENDAE ſunt radices & folia pentaphylli, radices graminis, fœniculi, et petroſelini, ſingulorum ad manipulum vnum: quę vbi in vmbra reſiccatæ erũt, per tempora vindemiæ collocabũtur in mundo vaſe & doliolo, ſuperinfuſo muſto albo, eoq́ generoſiſsimo, quantùm ſatis erit ad proportionẽ immiſſorum miſcellaneorũ. Peracta vini ebullitione & feruore,

diebus aliquot pòst, trāſuaſabitur, vt ita dicam, hoc eſt, in aliud vas reponetur vinum illud, neglectis materijs, quę ibi deferuēdo maceratæ fuerunt & proprias qualitates reliquerunt, tum demum diligenter & accuratè cuſtodietur in vſum eorum qui calculo obnoxij erunt: ita vt, ad præcautionem tantùm octauo quoque die, vel bis in hebdomada hauriant vncias treis, vel quatuor, ſub diluculum: non neglecta ratione corporum, ętatum, partium anni, &c.

Vinum ad maculas, ſordes & defœdationes faciei.

Tere radicem ſerpentarię, & in vino albo coque vſque ad tertiæ partis decocti conſumptionem: poſtea cola, & ex eo vino faciem ablue toties, donec emaculata appareat. Quod paucis diebus fiet, ſi manè & veſperi id quotidie perſequi velis.

Vinum contra ventoſitates, raucitatem, tuſsim & aſtma.

Vinum iſtud facilè tibi comparabis, ſi vindemiæ tempore cum muſto ebulliant, & vires ſuas tranſmittant, & vt ita dicam concorporent aniſum, fœniculum & glycyrrhiza, quæ poſtrema in duplo aliorum eſſe debet. Idem vinum fieri etiam poteſt, vrgente neceſsitate (quæ moræ impatiens eſſe ſolet) ex decoctione rerum prædictarum in vino domeſtico, vel aliunde, quouis tempore, comparato, modo generoſum id fuerit.

Vinum aqueum, ad deludendos infirmos ſitibundos.

Habe ampullam, aquæ optimæ plenam: cuius orificium pollice superposito tantisper claude, donec in vas rubro vino & odorifero plenum illa descenderit: vbi eius fundum attigisse noueris, digitum tolle, & ibi ampullam, diu satis, relinque. Cùm hinc extrahenda erit, eo modo quo priùs, iniecto ad eius osculum pollice, prudenter extrahe. Videbis paulò pòst in ea colorem vini cum exiguo illius sapore: à quo inscius ægrotans, summo suo commodo decipietur: dabiturq; ei, ad hunc modum, beneficium per imposturam.

Vinum faciem purpurissans & egregio colore illustrans, pro mulierum ornatu & mangonio.

In vino rubro tantisper bulliant brasilij ramenta & alumen, saccharinum vocatum, donec è sex partibus decoctio ad vnam redeat, vel pauxillo plus, vbi opus erit, cum bombace, vel gossypio, seu cotone, vt cum vulgo loquar, facies blandè & liniatur, & clementer tractetur, votis ridebit amantum.

Aliud vinum faciem erugans & expoliens, necnon manus dealbans.

Id præstabit vinum in quo tandiu agitatum fuerit albumẽ oui, donec liquidum & fluxile appareat. Sed expedit secundo quoque die renouari. Huius ablutio, cutem deterget, pellem mollicu-lam ac subtilem reddit, sanguinem ad superficiem educit, corrugationes complanat, & sordeis omneis exterminat.

Vinum reparans visum, & illum conseruans, multaq́; alia salubriter præstans.

Compara tibi foliorum & radicum betonicæ, caryophyllatæ, euphragiæ, chelidoniæ, rutæ domesticæ & verbenæ, singulorum manipulum vnum: seminum anisi & fœniculi, singulorum vncias duas: contunde parumper, & vnà probè colliga: tum demum proijce in doliolum musti generosi, quando ebullire satagit, ibiq́; stare permitte donec remissus fuerit totius ebullitionis feruor, ac dies aliquot ampliùs. Post hæc, transfunde vinum id in aliud vas mundum, & ex proba materia concinnatum, tuumq́; in vsum & amicorum accuratè custodi. Cùm eo vti voles, tertio quoque die id facito, ieiuno stomacho treis vel quatuor vncias hauriendo: plùs minùs, pro cuiusque ætate, corporis modulo, temperamento, partis anni natura, & alijs, in talibus obseruare solitis, de consilio docti, periti & cordati medici: quem tibi consulendum & audiendum suadeo & moneo: ne quid tua deliret amusis.

COMPOSITIO PRAESTANTISSIMI VINI ET DILVTI E SENA: secundum Ioan. Mesuem, & Andr. Matthiolum.

VINO musteo albo, inquit Mesues, miscebat quidam vim magnam Senæ, post tres menses potandum dabat, sicq́; purgabat cerebrũ, & sensoria instruméta, gaudiumq́; augebat. Sunt qui decocto Senæ cum prunis & spica, fœliciter purgent: sed modicam coctionem sustinet. Infundi-

funditur ab aureis tribus ad vnciam vnam. Clementer deturbat melancholiam & bilem vstam à cerebro, ſenſuum organis, pulmone, corde, hepate & liene. Proindeq́ꝫ morbis dictarum partium, ab humore huiuſmodi proficiſcentibus ſuccurrit, vt melancholicis febribus & antiquis: gaudium gignit, ablato humore ſine cauſa externa triſtante. Floridum corpus efficit, & viſcerũ obſtructiones aperit. Venio ad eximiam illam & exactam præparationem diluti Senetici, aut, ſi mauis è Sena, quam Andreas Matthiolus medicus doctiſsimus hunc in modum præſcribit. ſumuntur foliorum electiſsimæ Senæ drachmæ ſex: zinziberis, aut cinnamomi contriti, drachma vna: florum bugloſsi drachmæ duæ: miſcenturq́ꝫ omnia, & fictili vitreato, aut ſtanneo vaſe anguſti orificij excipiuntur, affuſisq́ꝫ feruentis aquæ, vel ſeri caprini vncijs decem, vaſis oſculum adeò occluditur, vt nullus omninò ſpirandi pateat exitus. His peractis, puluinari plumis anſerinis farcto, igniq́ꝫ calefacto vas inuoluitur, reponiturq́ꝫ in arca, vbi pernoctare ſinitur. Sic enim conſeruato calore, dilutum omnem facultatem in ſe recipit. Educet non ſolùm bilem vtramque, vt ex Meſue diximus, ſed etiam pituitam, vt tradit Actuarius, & experientia probat, adhæc aquas & ſeroſa excrementa. Mundat cerebrum, cor, iecur, lienem, pulmonem, & omnes corporis ſenſus, confertq́ꝫ omnibus eorum incommodis: auget iuuentutem, ſenium tardat, & animi hilaritatem inducit. Cor roborat, maximè ſi commiſceatur medicamentis, quæ illi ſunt amica, vt violis, roſis, floribus vtriuſq́ꝫ bugloſsi, & ſimilibus. Præterea delirio, vt tradit Serapio,

Senæ facultates præſtãtiſsimæ.

Cõpoſitio diluti Senetici præſtantiſs.

Vires diluti Senetici.

Miræ facultates Senæ.

mirificè prodeſt, necnon amentiæ, reſolutioni neruorum, phthiriaſi, cephalalgiæ, ſcabiei, puſtulis, pruritui & epilepſiæ. In vniuerſum medicina eſt optima morbis omnibus diuturnis & melancholicis. Decoctum foliorum eius & chamæmeli, cerebrum & neruos lotione roborat, aciemq; oculorum, & auditoriam facultatem plurimùm emendat. Sed prætereundum non eſt, quòd in morbo Hiſpanico, ex Manardi ſententia, maximoperè pollet, putres materias ac pituitam, contra Auerrhois opinionem, vacuando & expurgando. Verùm in facultatibus Senę hîc verſatum ſatis: quas qui fuſiſsimè noſſe volet, legat opuſculum noſtrum de Sena, planta hominibus inter alias omnes beneficentiſsima & ſaluberrima. Illic inueniet quod didiciſſe iuuet.

Morbus Hiſpanicus.

Obſeruationes & Annotationes quædam in præcedentes Vinorum medicatorum & medicantium compoſitiones.

Vina quæ in vſum medicum ſeligere & concinnare voles, alba, vel pallida, aut ijs media, è generoſa vite & benè maturis vuis, non vitiatis, nec putribus eſſe conuenit: in quibus certis ex arte proportionibus, vt medica ars exigit, materię ſuis viribus exſpoliandæ immergentur, mundo vaſe, & ex legitimo ligno conformato: niſi mauis priſcorum more, in vitreatis teſtaceis, & probè coctis figlinis, id exequi. Quo loco, naturali vini ebullitione à natura perficietur, quod arte eſt quæſitum, atque ita natura & ars ſe mutuò iuuabunt, mutuasq; operas inuicem præbebunt. Res enim in muſto poſitæ, dum per naturalem

eius ebullitionem in vase inuicem colluctantur, à vincente & fortiore musti virtute, suis exuuntur facultatibus ipsiq́ musto, ceu hospiti, libenter committunt, & vnà corpus vnum efficiunt, eoq́ modo, vt ita dicam, concorporantur & transsubstantiantur, vt cum theologis loquar, vini calore id moliente. Quod quidem vinum, quo generosius & suauius fuerit, eò penetrabilius erit, & per singula corporis membra subtiliori actione ac velociori suas vires diffundet. Ex quo refocillata corporis natura, fortius & alacrius resistet his affectibus quæ illam premunt, grauant & lædunt. Adde, quòd dum medicę materiæ in musto feruent & ebulliunt, id habent commodi, quòd earum virtus nequaquam in auras resoluitur & vanescit, nec aduritur, debilitatúrue, aut fumum olet, vt fieri solet cùm à materiali igne res ea à popularibus pharmacopœis perficitur. Suscipit itaque & imbibit vinum qualitates rerum quibuscum miscetur, estq́ illarum gratus ac iucundus, citúsque delator ad minimas & occultas corporis parteis, à quibus ob naturæ familiaritatem & delectationem, sane quàm libenter excipitur, & obuijs, quod dicunt, manibus plausibiliter, amplectitur absque vllo metu & horrore, vt fieri videmus in purgantibus medicamentis, ob tetrum illorum odorem, ingratum colorem, & abominandum saporem, q longè absunt à medicatis hisce vinis, aut si adsunt, odor præsertim & sapor, facilè & derepente occultari, ac emẽdari possunt, saccharo, melle, glycyrrhiza, vuis pasßis, pulueribus odoratis, vel similibus stomacho non ingratis, nec insuauibus. Sed in his omnibus omittendum

non

non est, quòd vinorum istorum penetratione, celerique distributione per occultos corporis meatus, vnà, eademque via corpus expurgatur, & viscera ab infarctu & obstructionibus, vinô viam vi faciente illico liberantur, expediuntur & roborantur: magno corporum commodo, & incomparabili iuuandi compendio. Nam reseratis obstructionibus libera datur excurrendi via spiritibus, natiuo calore comitatis, in quo omnium vita iacet. Quandoquidem natiuus calor pressus & conculcatus, adeo debilis euadit, vt sola obire munia vix possit, & concoquendo, purum ab impuro secernere: vnde cruditates, putredines, & ex ijs morbi: Sed hæc quia huius non sunt instituti & scopi nostri, idcirco verbū non amplùs addam.

Finis Vinorum variè medicatorum, & ob id affectibus corporis humani varijs blandè medicantium, Autore Antonio Mizaldo Monlucienſi, medico.